
3
28 B
14





TRACTATUS THEOLOGICI

QUOS

In Scholis Sorbonicis dictavit

D. CAROLUS WITASSE


Doctor Sacræ Facultatis Parisiensis, Socius Sorbonicus, Regiusque Theologiæ Professor



IN SEPTEM TOMOS DISTRIBUTI.

TOMUS SEXTUS.

DE SACRAMENTO ORDINIS.



VENETIIS, MDCCXXXVIII.

APUD JOANNEM BAPTISTAM RECURTI.


SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

INDEX.

PARS I. QUÆSTIO I. *De Nominibus, Essentia & Existentia sacramenti Ordinis.* pag. 2
ART. I. *De variis hujus sacramenti Nominibus.* ibid.
De Ordinis *nomine.* ibid.
De Nomine impositionis manuum. 3
De voce χειροτονίας. 4
De voce χειροθεσίας. 7
ART. II. *De Essentia & Existentia sacramenti Ordinis.* 8
QUÆST. II. *De multiplici Ordinum divisione.* 21
ART. I. *De numero Ordinum apud Latinos.* ibid.
ART. II. *Du numero Ordinum apud Græcos.* 31
ART. III. *De numero Ordinum apud alias Orientales Ecclesias.* 46
ART. IV. *De divisione Ordinum in sacros ac non sacros, in majores & minores.* 48
QUÆST. III. *De Materia & Forma sacramenti Ordinis in universum.* 50
ART. I. *An admittenda sit aliqua hujusce sacramenti Materia ac Forma.* ibid.
ART. II. *Quænam sit Materia ac Forma hujusce sacramenti.* 52
QUÆST. IV. *De effectibus sacramenti Ordinis.* 53
ART. I. *An Ordo conferat gratiam.* ibid.
ART. II. *An Ordinatio imprimat characterem.* 54
SECT. I. *An in Ecclesia catholica sacra Ordinatione character imprimatur.* ibid.
SECT. II. *An character etiam in improbis maneat & ab ipsis tradi possit.* 59
SECT. III. *An character Ordinationis in simoniacis & ab ipsis infigatur.* 66
SECT. IV. *Utrum character Ordinationis ab intrusis, & invasoribus suscipiatur ac detur.* 88
SECT. V. *Utrum character Ordinationis in depositis & excommunicatis maneat, & ab ipsis conferri possit.* 117
SECT. VI. *An character Ordinationis schismate deleatur aut hebetetur.* 128
SECT. VII. *An character Ordinationis in hæresi perseveret ac detur.* 138
QUÆST. V. *De Ministro sacramenti Ordinis.* 175
ART. I. *De Ordinario hujus sacramenti Ministro.* ibid.
ART. II. *De extraordinario hujus sacramenti Ministro.* 179
SECT. I. *De extraordinario Ministro Ordinum minorum.* ibid.
SECT. II. *De extraordinario subdiaconatus Ministro.* 181
SECT. III. *De extraordinario diaconatus Ministro.* 182
SECT. IV. *De extraordinario Ministro presbyteratus.* 185
ART. III. *De legitimo Ordinationis Ministro.* 189
QUÆST. VI. *De Subjecto Ordinationis.* 193
ART. I. *Quinam olim mulieres sacris Ordinationibus idoneas esse putaverint.* ibid.
ART. II. *An mulieres sacris Ordinibus reipsa sint idoneæ.* 194
QUÆST. VII. *De Dispositionibus ad sacram Ordinationem requisitis.* 199
ART. I. *De vitiis aut defectibus natalium, corporis & animi.* 200
ART. II. *De defectibus ætatis & conditionis.* 203
ART. III. *De defectibus morum & doctrinæ.* 210
ART. IV. *De defectibus sacramentorum.* 217
ART. V. *De defectu vocationis.* 230
QUÆST. VIII. *De ritibus inter ordinandum adhiberi solitis.* 231

ART. I. *De loco ac tempore quo sacræ Ordinationes fieri debeant.* ibid.
ART. II. *De interstitiis inter Ordines servandis.* 237
PARS II. *De singulis speciatim Ordinibus.* 239
QUÆSTIO I. *De Episcopatu.* ibid.
ART. I. *De Nomine, Essentia & Existentia Episcopatus.* 240
SECT. I *De Nomine* Episcopi. ibid.
CAP. I. *Quo sensu* Episcopi *nomen in Scripturis usurpetur.* 241
CAP. II. *Quo sensu* Episcopi *nomen a sanctis Patribus acceptum fuerit.* 249
SECT. II *De Episcopatus essentia.* 250
CAP. I. *An Episcopatus sit distinctus a presbyteratu Ordo ac peculiare sacramentum* ibid.
CAP. II. *De Materia Episcopatus.* 258
CAP. III. *De forma Episcopalis Ordinationis.* 264
SECT. III. *De Existentia Episcopatus.* 270
ART. II. *De necessitate & superioritate Episcoporum.* ibid.
SECT. I. *De necessitate Episcoporum.* ibid.
SECT. II. *De Episcoporum supra presbyteros excellentia ac superioritate.* 274
CAP. I. *An semper Episcopi fuerint a presbyteris distincti, iisque superiores.* 276
CAP. II. *An Episcopi sint jure divino presbyteris superiores.* 361
ART. III. *De Jurisdictione, officiis & gradibus Episcoporum.* 363
SECT. I. *De Jurisdictione Episcoporum.* ibid.
SECT. II. *De Episcoporum officiis.* 365
SECT. III. *De variis Episcoporum gradibus.* 366.
ART. IV. *De consecrationis episcopalis ministro ac ritibus.* 367
APPENDIX. *De Chorepiscopis.* 370
ART. I. *De Chorepiscoporum nominibus & eorum in Ecclesia usu.* ibid.
ART. II. *De officiis & juribus Chorepiscoporum.* 376
ART. III. *An Chorepiscopi per sese veri nominis episcopi forent.* 379
QUÆST. II. *De Presbyteratu.* 408
ART. I. *An Presbyteratus sit sacramentum.* ibid.
ART. II. *De materia Presbyteratus.* 409
ART. III. *De forma Presbyteratus.* 416
QUÆST. III. *De Diaconatu.* 418
ART. I. *An Diaconatus sit sacramentum.* ibid.
ART. II. *De materia Diaconatus.* 422
ART. III. *De Forma Diaconatus.* 425
ART. IV. *De Diaconissis.* 426
QUÆST. IV. *De Subdiaconatu.* 427
ART. I. *An Subdiaconatus sit Ordo sacer.* ibid.
ART. II. *An subdiaconatus sit sacramentum.* 430
ART. III. *De materia & forma Subdiaconatus.* 432
QUÆST. V. *De Minoribus Ordinibus & Tonsura.* 434
ART. I. *De Minoribus Ordinibus.* ibid.
ART. II. *De Tonsura clericali.* 435

TRA-



TRACTATUS
DE SACRAMENTO
ORDINIS.

Quæcunque de hoc argumento a nobis dicentur, ea duas in partes distribuentur:
Prima de sacramento Ordinis in universum;
Secunda de unoquoque Ordine sigillatim agemus.

PARS PRIMA.
DE SACRAMENTO ORDINIS in universum.



PARTEM hanc octo Quæstionibus absolvemus.
Prima de hujus Sacramenti Nominibus, Essentia & Existentia:
Secunda de multiplici Ordinum divisione:
Tertia de eorumdem Materia & Forma:
Quarta de Effectibus.
Quinta de Ministro:
Sexta de Subjecto:
Septima de Dispositionibus ad illud Sacramentum requisitis:
Octava de Ritibus in eo observari solitis.

QUÆSTIO PRIMA.

De Nominibus, Essentia, & Existentia sacramenti Ordinis.

ARTICULUS PRIMUS.

De variis hujus sacramenti Nominibus.

DUo sunt apud Latinos, totidemque apud Græcos sacramenti istius nomina: a Latinis enim *Ordo & manuum impositio*; a Græcis autem χειροτονία & χειροθεσία appellatur.

De ORDINIS *nomine.*

Ordinis vocabulum multifariam accipitur.

Primo enim certam quamdam multarum secum invicem rerum comparationem & concinnam earumdem inter se distributionem sonat; sicque vulgo definiri generatim solet: *apta variarum rerum ac decora dispositio.*

Res porro illæ aliquando sunt ejusdem inter se rationis, ut arbores: ita Cicero in suo *de senectute* libro, ubi Cyri minoris hortos describit, ait " Lysandrum (Lacedæmonium) in iis admiratum esse „ proceritates arborum & directos in quincuncem ordines &c.

Aliquando res istæ diversæ sunt: hinc Augustinus *lib.19. de Civit. Dei cap.13.* " Ordo est, inquit, parium disparium que rerum, sua cuique loca tribuens, dispositio.

Tunc autem maxime usurpatur hoc sensu, cum eæ res certa quadam graduum supremorum & inferiorum varietate ac distinctione sibi mutuo connexæ sunt: ut enim ait catechismus ad Parochos, " Est „ Ordo, si præcipuam ejus vim & notionem accipiamus, dispositio „ supremarum & inferiorum rerum, quæ inter se ita aptatæ sunt, ut „ una ad alteram referatur.

Hoc modo ecclesiastica hierarchia ex Episcopis, Presbyteris & Ministris constans, recte ac commode *Ordo* nuncupatur. Est enim illa admirabilis quædam sacrarum dignitatum, & functionum complexio ac distributio, in eundem finem tendens, & ita ordinata, ut a minoribus ad majores gradatim ascendatur.

Secundo *Ordinis* vox ſumitur pro certo hominum ſtatu pluribus communi : ſic in republica Romana quondam triplex erat Ordo, 1. Senatorius, 2. Equeſtris; 3. Plebeius: ſic & apud nos tres Ordines etiamnum in regno nominantur.

Frequentius tamen dignitatem ſignificat, quæ ita communis eſt multis, ut eadem tamen ipſis propria ſit, illoſque ab omnibus aliis diſtinguat : talis eſt Ordo ſenatorius apud Ciceronem *pro Cluentio*; talis Ordo Sacerdotum in quodam marmore apud Seldenum *ad Eutych. Orig. par.* 3.

Hac ratione miniſtri Eccleſiæ jam a primis religionis noſtræ incunabulis *Ordo* dicebantur, quo a plebe ac laicis ſecernerentur. Hinc apud Tertullianum *de idololatria, cap.* 7. Ordo eccleſiaſticus : *de exhortatione caſtitatis cap.* 7. Ordo ſacerdotalis : *ibid.* " Differentiam, inquit, inter Ordinem, & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas : " libro autem *de Monogamia*, *cap.* 11. " Quomodo, inquit, totum Ordinem Eccleſiæ de monogamis diſponit, ſi non hæc diſciplina præcedit in laicis, ex quibus Eccleſiæ Ordo proficit.

Tertio tandem *Ordinis* nomen apud Chriſtianos accipitur pro actione, qua quis ad ejuſmodi dignitatem evehitur; eaque *Ordinatio* proprie vocatur : hæc autem in quodam ritu, certaque verborum formula poſita eſt : qua de re poſtea. Sic *Ordinis* vocem uſurpavit olim Zoſimus ſummus pontifex *epiſt. ad Heſychium tom.* 2. *Conciliorum*, *pag.* 1556. dum enim in eos Præſules invehitur, qui plures quam par eſſet Presbyteros conſecrarent " Hinc paſſim, inquit, numeroſa popularitas Presbyterorum, ... dum parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud præſtare non poſſunt, divinos Ordines largiuntur.

De nomine IMPOSITIONIS MANUUM.

Cum in Sacerdotibus inaugurandis præcipuum apud nos locum ſemper habuerit manus impoſitio, inde Ordinatio nomen *impoſitionis manuum* apud veteres traxit : eoque vocabulo ſæpiſſime intelligitur.

Actorum cap. 6. v. 6. de ſeptem primis Diaconis, *Hos ſtatuerunt*, inquit Lucas, *ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus*.

1. ad Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum presbyterii*.

Ibid. cap. 5. 22. *Manus cito nemini impoſueris; neque communicaveris peccatis alienis*.

2. ad Timoth. 1. 6. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*.

Hæc enim Scripturæ loca de Ordinatione accipienda ſunt.

Cum autem in pleriſque religionis chriſtianæ ritibus, & in pluribus etiam Sacramentis, Confirmatione nimirum ac Pœnitentia, manuum im-

impositio adhiberetur ; eo factum est perspicuitatis & discriminis gratia , ut quæ præsentis est instituti manuum impositio , ea *ordinatoria* appellaretur : sic enim loquitur Stephanus Tornacensis *epistola* 18. olim 28.

Cæterum hic manuum impositionis ritus , ut alii non pauci , a Judæis ad Christianos dimanavit : suos enim etiam Judæi Presbyteros ac doctores habuere , quos ad eam dignitatem manuum impositione promovebant: de quo consule, si lubet, Baronium *ad ann.Christi* 44. Seldenum *ad Eutychii Origines pag.* 30. *&c.* Morinum *de sacris Ordinationibus parte* 3. *exerc.* 7. *cap.* 4. Buxtorfium *in lexico* , *ad verbum* סמך , Grotium *ad cap. Matth.* 9. 18. *&* *ad cap.* 19. 13. Ligfootum *in harmonia evangelica*, *par.*3. *sect.*17. *ad Lucæ cap.*4.15. *tom.*1. *pag.* 478. *in chronicis ad annum Christi 66. & Apocalyps.* 22. *pag.*135 *tom.* 2. *ad annum Christi* 43. *& Act. cap.* 15. *pag.* 73. *&c. in horis denique Hebraicis ad cap.* 13. *Act. Apost. pag.*726.

De voce Χειροτονίας.

Χειροτονία , si vim nominis spectes , est manuum extensio ac porrectio.

Hinc apud Athenienses ad significandam magistratuum electionem usurpata est , quod mos iis esset porrecta manu ferre suffragia . Hanc consuetudinem præter alios plures indicat Tullius *in oratione pro Flacco* . " Data, inquit , concio Lælio est : processit ille , & Græcus apud „ Græcos, non de culpa sua dixit; sed de pœna questus est. Porrexerunt „ manus, psephisma natum est.

Cum autem Magistratus hac electione constituerentur, hinc eadem illa vox eorum etiam creationem significat apud Demosthenem *oratione* 1. *in Philippum*.

Utraque hac notione χειροτονίας vocabulum apud Christianos acceptum est.

Ita sentiunt Zonaras *ad can.* 1. *Apostolorum* , *&* 4. *Nicænum* , *&* 19. *Antiochenum* , Balzamon , Harmenopulus , & Philotheus *ibid.* ita Arcudius *de sacramento Ordinis cap.* 1. Morinus 3. *par. exercit.* 1. *cap.* 2. Beveregius *ad can. Apost. pag.* 9. *&* 10. Cangius *in lexico*, Habertus *in Archieratico pag.* 492.

Et sane supradicti canones vix aliter exponi queunt.

Quidquid sit autem de his Ecclesiæ canonibus, ut & Chalcedonensi 15. qui in eundem sensum affertur;

Sic profecto intelligendum est illud Pauli 2. ad Corinthios 8, 18. *Misimus cum illo fratrem cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias ; non solum autem, sed & ordinatus est* (χειροτονηθεὶς) *ab Ecclesiis comes peregrinationis nostræ*. Quis enim non videt meram esse hanc officii vulgaris designationem, non proprie dictam Ordinationem?

Adde

Adde synodum Laodicenam, quæ *can.* 5. sic statuit : " Non oporte-
„ re Ordinationes (χειροτονίας) fieri in præsentia eorum qui audiunt. "
Ibi enim de electionibus sermo est; quod cum Balzamone Zonaras observat : " Χειροτονίας nomine, inquit, electionem hoc loco canon in-
„ dicavit. Cum namque in electionibus aliquorum crimina, propter
„ quæ illi forte a sacro Ordine arcendi sint, a Præsulibus enuntientur;
„ Patres existimarunt a ratione penitus esse alienum, aliquos adesse,
„ qui ea quæ disserentur exciperent.

Hinc est quod Hesychius inter Grammaticos longe eruditissimus, in *Lexico* " Χειροτονία, inquit, ἐκλογὴ seu electio est.

Cur autem ejusmodi electio χειροτονίας nomine donaretur causam aperiunt, tum Balzamon *ad canonem* 1. *Apostolorum*, tum Zonaras, cujus hæc verba sunt *ibid.* " Nunc quidem, inquit, *Chirotonia* vocantur
„ preces, sanctique Spiritus invocatio, dum quis sacerdotio initiatur,
„ & consecrationem sortitur : ex eo dicta, quod Pontifex extendat
„ manum, benedicens homini ad sacra deligendo; sed ipsum suffragium
„ quondam nominatum est *Chirotonia*. Nam cum turbæ liceret in ur-
„ bibus eligere sacros præfectos, conveniebat ipsa turba, & alii qui-
„ dem hunc, alii vero deligebant illum. Quatenus autem plurium suf-
„ fragium vinceret, eligentes ferunt solitos extendere manus : & per
„ manus ita porrectas numerabantur qui vel hunc vel illum delegissent:
„ plurium vero calculis electum summo sacerdotio præfecere. *Chiroto-*
„ *niæ* nomen hinc desumptum; quo sic etiam Synodorum Patres inve-
„ niuntur usi, suffragium nominantes *Chirotoniam* : Laodicensis nempe
„ synodus in canone 5. &c.

Dubitari itaque non potest quin χειροτονίας vocabulum nudam electionem indicet, quamquam id nonnulli inficiantur.

Attamen longe frequentius apud Christianos usurpatur ad ipsammet Ordinationem ac consecrationem designandam.

Actorum 14, 22 *Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias Presbyteros* (Græce χειροτονήσαντες) *& orassent cum jejunationibus*. Quod enim de legitima Ordinatione hic agatur, ex adjuncto jejunio liquet; ut etiam notat Chrysostomus ad hunc locum. Beza tamen vertit : *Cumque per suffragia creassent Presbyteros* : ineptissime : quasi vero Apostoli media in turba plebis manum duntaxat porrexerint, & cum aliis e vulgo Presbyteros elegerint; non vero ordinaverint.

Constitutionum apostolicarum *lib.* 8. *cap.* 21. " Quando Subdiaconum ordinas (χειροτονῶν) Episcope, inquit auctor, impones super eum manus.

Canon Apostolorum 1. " Episcopus, inquit, a duobus aut tribus Episcopis ordinetur, græce χειροτονείσθω. " Id enim de ipsamet Ordinatione esse intelligendum, & res ipsa satis arguit, & diserte monent Balzamon & Zonaras.

Epiphanius *hæresi* 75. refellens Aerium, qui Presbyteros Episcopis

esse pares ex eo colligebat, quod perinde ac Episcopi manus imponerent : χειροθετεῖ. " Imo vero, inquit, manus non imponunt ad or-
„ dinandum, οὐ χειροθεσίαν τοῦ χειροτονεῖν.

Chrysostomus eodem sensu vocem hanc usurpat pluribus in locis : *homil.* nempe 14, 27. & 31. *in Acta*; *homil.* autem 13. *in* 1. *Timoth. pag.* 486. ad illud Pauli : *Cum impositione manuum presbyterii*, " Non de
„ Presbyteris hoc loco, inquit, sed de Episcopis loquitur Apostolus :
„ non enim profecto Presbyteri ipsum ordinarant ἐχειροτόνει.

Hieronymus *in caput* 58. *Isaiæ*, explicans illud : *Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum* (quod Septuaginta χειροτονίαν, interpretati sunt.) " Plerique nostrorum, inquit, χειροτονίαν,
„ id est Ordinationem Clericorum, quæ non solum ad imprecationem
„ vocis, sed ad impositionem impletur manus .... intelligunt.

Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus *actione* 1. *VII. synodi*, *pag.* 67. exponens quid voluerit Nicæna synodus I, cum Novatianos per manuum impositionem suscipi jussit, " Nonne, inquit, de quadam be-
„ nedictione hic loquitur, & non de consecratione (οὐχὶ ἐπὶ χειρο-
„ τονίας.)

Balzamon *ad canonem* 1. *Apostolorum*, eadem plane ratione vocem hanc accipit.

Zonaras autem *ibidem* indicat ævo suo hanc vulgarem fuisse istius vocabuli significationem : " Nunc quidem, inquit, *Chirotonia* vocantur
„ preces, sanctique Spiritus invocatio, dum quis sacerdotio initiatur
„ & consecrationem sortitur.

Atque id passim notant eruditi :

Fronto Ducæus *in notis ad Chrysostomi tomum* 1. *pag.* 2. *cap.* 2. " Apud
„ profanos quidem scriptores, inquit, χειροτονία, quæ proprie *manuum*
„ *extensionem* sonat, decretum significat, vel suffragiorum lationem ;
„ ..... sed apud Christianos & sacros auctores, peculiariter pro eccle-
„ siasticorum ministrorum Ordinatione sumitur.

Petavius *lib* 1. *de ecclesiastica hierarchia*, *c.* 8, *num.* 10, " Nomen χειροτονίας, inquit, ambigue usurpatur : ac sæpe Ordinationis sacramen-
„ tum, id est consecrationem significat; interdum nudam electionem,
„ quæ popularibus suffragiis olim fiebat.

Jacobus Goar *in Euchologio*, *pag.* 239, Χειροτονίας voce, inquit, ut plurimum recentiores Græci Ordinem significant; rarissime χειροθεσίας dictione. *Pag.* 257, " Χειροθεσία, ... inquit, cæremonialis est tan-
„ tum ; ..... χειροτονία autem .. forma sacramenti effectiva.

Petrus de Marca *lib.* 6. *Concordiæ*, *cap.* 2. *num.* 7. " Apud auctores
„ ecclesiasticos, inquit, vox illa semper significat *Ordinationem*, quem-
„ admodum a Frontone Ducæo adnotatum est in notis ad opera Chry-
„ sostomi.

„ Morinus *de sacris Ordinationibus*, *parte* 3. *exercit.* 1. *cap.* 2. " Pro-
„ prie, inquit, χειροτονία est ipsa Ordinatio, καθιέρωσις consecra-

tio

„ tio: .... rarius Græci nomine χειροτονίας pro electione utuntur.

Et vero, quod idem *ibidem* monet, non aliud nomen in libris ritualibus Græcorum ad exprimendam Ordinationem occurrit.

Quod autem magis mirum eſt, hanc eandem vocem in eundem ſenſum uſurpant Syri : quod a Græcis acceperunt. Hunc ipſum Morinum conſule *ibid. parte* 2. *pag.* 489. *in notis ad Ordinationes Syrorum.*

Imo non tantum *Ordinationem* vox illa ſignificat ; ſed etiam interdum ad majores Ordines reſtringitur : ſic v.g. Simeon Theſſalonicenſis χειροτονίαν a χειροθεσία diſtinguit, & χειροτονίαν de Diaconatu ac Presbyteratu proprie accipi docet : in opuſculo *de Ordinationibus* : Lectoris eſt, inquit, (σφραγὶς) ſignari, Subdiaconi, manuum impoſitione benedici, χειροθεσία ; Diaconi vero ac Presbyteri, Ordinatione, χειροτονία.

Quoniam autem ritus ille, quo ſuſcipiebantur, & in Ordinibus ſemel ſuſceptis aliquando confirmabantur a ſchiſmate aut hæreſi ad Eccleſiam revertentes Clerici, quandam habebat cum veri nominis Ordinatione ſimilitudinem; eam ob rem χειροτονία etiam dicebatur. Qua de re altercantes vide Valeſium *ad lib.* 1. *Socratis cap.* 9. & *ad lib.* 1. *Theodoreti cap.* 9. Habertum *in Archieratico*, *pag.* 492. & qui gallice vitam Athanaſii ſcripſit, *in notis*, *tom.* 1. *pag.* 730.

Denique χειροτονία aliquando electionem ſimul & Ordinationem complectitur : quod obſervant idem Habertus *ſupra*, & Beveregius *in notis*, *pag.* 10.

De voce Χειροθεσίας.

Χειροθεσία idem eſt quod *manuum impoſitio* ; & quamlibet in ſacris manuum impoſitionem ſignificat.

1. Enim ſumitur pro nuda benedictione, quam porrecta manu Epiſcopus aut Presbyter impertitur, v.g. ad veſpertinæ orationis finem: de quo Euchologium *in Lychnici officio*; & Ariſtænus *ad can.* 106. *concilii Carthaginenſis.*

2. Eam ſpecialiter benedictionem ſignificat, qua redeuntes ad Eccleſiæ gremium, cum Ordinibus jam ſuſceptis admittebantur. Ita Tharaſius Patriarcha Conſtantinopolitanus *actione* 1. VII. *ſynodi.*

3. Intelligitur de iis potiſſimum, quæ inter Sacramenta conferenda adhibebantur, manuum impoſitionibus ; v. g. cum matrimonium celebrabatur : ſic Michael Pſellus *lib.* 5. *hiſtoriæ* apud Cangium *in Gloſſario* : aut cum adminiſtrabatur ſacramentum Confirmationis : de quo alias.

4. Accipitur, & quidem paſſim, pro Ordinatione.

Sic enim χεῖρας ἐπιτιθέναι uſurpatur *Act.* 6. 1. *Tim.* 4. 14. 5. 22. & 2. *Tim.* 1. 6.

Deinde vero ſynodus Nicæna *can.* 19. de Diaconiſſis agens, & earum

consecrationem non proprie dictam Ordinationem esse admonens, χειροθεσίας nomine utitur. Sic & *in epistola ad Ecclesiam Alexandrinam* usurpat idem vocabulum, cum Meletio ordinandi potestatem adimit.

Epiphanius *hæresi* 75. *supra*, χειροθεσίαν ad Ordinationem etiam applicat: & in fine *Panarii pag.* 1095. Ordinationem Episcopalem commemorans, eodem pariter nomine utitur.

Zonaras *in canonem* 4. *Nicænum* idem quoque nomen usurpat ad ipsam Episcopi consecrationem significandam: quod & videre est apud Hermenopulum *in canonem* 1. *Apostolorum*.

Adde Petavium *lib.* 2. *de hierarchia Ecclesiastica cap.* 6. Cangium *in Glossario*, aliosque recentiores.

Sed illud omitti non debet (quod jampridem Goarius annotavit *in Euchologio pag.* 239. & post ipsum idem Cangius) hanc scilicet vocem sæpe restringi ad Ordines infra diaconatum positos; cum χειροτονία latius pateat, & ad majores Ordines proprie referatur: quod inter alios habet Simeon Thessalonicensis *in suo de sacris Ordinationibus opusculo*.

ARTICULUS II.

De Essentia & Existentia sacramenti Ordinis.

CONSTAT in Ecclesia quemdam esse ac fuisse semper sacrum Ordinem a plebe ac laicis distinctum; de quo lege qui adversus heterodoxos de fidei controversiis scripsere.

Cum autem fiant, non nascantur Sacerdotes (quod de Christianis olim Tertullianus dixit;) oportet aliquam actionem intervenire, qua in augustum hunc ordinem cooptentur. Hæc vero actio, *Ordinatio* nuncupatur.

Definiri porro solet: *Sacramentum novæ legis a Christo institutum, quo specialis potestas traditur, & gratia confertur ad obeunda munia ecclesiastica.*

Sed de eo litem Catholicis movent Hæretici nostri temporis, qui Ordinem esse sacramentum negant.

1. Enim id inficiatur Lutherus *in libro de captivitate Babylonica, cap. de Ordine;* quem secuti sunt Melanchton *in prima locorum communium editione*, Illiricus *in confessione Antuerpiensi*, & Chemnitius 2. *parte Examinis synodi Tridentinæ*.

2. Calvinus id etiam passim significat dum duo tantum cum Lutheranis sacramenta recenset, Baptismum nempe & Eucharistiam. Atque hæc est vulgaris illius sectæ opinio, quam amplexus est Antonius de Dominis *lib.* 2. *de republica christiana cap.* 14.

Ista tamen non ita fixa sunt apud utrosque, Lutheranos dico & Calvinianos, ut omnes in eo consentiant.

Calvinus enim ipse *lib.* 4. *institutionis cap.* 14. *sect.* 20. & *cap.* 19. *sect.* 31. confitetur Ordinem esse verum ac genuinum novæ legis sacramentum:

tum : addit autem ſe duo tantum idcirco ſacramenta conſtituiſſe, quod de illis duntaxat mentionem faceret, quæ toti Eccleſiæ & omnibus Chriſtianis communia forent.

Hoc quoque ſacramentum agnoſcunt Lutherani *in apologia confeſſionis Auguſtanæ*, ubi de numero Sacramentorum *ad articulum*, 13. *pag.* 200.

Certe Melanchton, cum duo ſolum ſacramenta numeraſſet in priori editione *Locorum communium*, in ſequentibus Ordinem hiſce ſacramentis accenſuit, & id jure merito fieri ſuſe demonſtravit.

ASSERTIO.

ORDO eſt veri nominis Sacramentum.

Probatio 1. *ex Scripturis.*

PROBATUR 1. ex Scripturis.

Sacramentum enim eſt ritus quidam externus ac ſenſibilis, a Chriſto inſtitutus ad gratiam conferendam. Atqui tria hæc, juxta Scripturas, in Ordinatione reperiuntur.

Primo enim eſt ritus quidam externus ac ſenſibilis, nimirum impoſitio manuum, quam ſacri codices perſæpe commemorant : v. g. in Ordinatione Diaconorum; Act. 6, 6. *Orantes impoſuerunt eis manus :* in Ordinatione Presbyterorum; Act. 14. 23. *Cum conſtituiſſent illis Presbyteros*; græce *χειροτονήσαντες* : in Ordinatione Epiſcoporum; 1. *ad Timoth.* 4. 14. ut & *cap.* 5. 22. & 2. *ad Timoth.* 1, 6.

Secundo Sacer ille Ordo ex Chriſti inſtitutione proficiſcitur. 1. enim conficiendi corporis ſui facultatem ipſemet Apoſtolis ſuis eorumque ſucceſſoribus in ultima cœna conceſſit, dum ſic ait Lucæ 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem :* quod etiam ſynodus Tridentina annotavit. 2. Iiſdem quoque, poſt mortem redivivus, remittendorum peccatorum fecit poteſtatem Joan. 20, 22. *Accipite Spiritum-ſanctum : quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis ; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Paulus ſane Epiſcopos alloquens Act. 20. 28. *Attendite vobis*, inquit, *& univerſo gregi, in quo vos Spiritus-ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Epheſ. 4. 11. *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores.*

Tertio tandem externo ritui impoſitionis manuum alligata eſt gratia. 1. Tim. 4. 14. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam* (ſecundum præcedentem nimirum revelationem,) *cum impoſitione manuum presbyterii*. Quod idem clarius adhuc exponitur 2. Timoth. 1. 6. ſupra; *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum*. Quam quidem gratiam ſtatim explicans.

Non

Non enim, inquit, *dedit nobis Deus ſpiritum timoris*; *ſed virtutis*, *& dilectionis*, *& ſobrietatis*.

Ergo Ordinationi nihil eorum deeſt, quæ ad conſtituendum veri nominis Sacramentum neceſſaria ſunt: ac proinde jure inter ſacramenta novæ legis reponitur.

Probatio 2. ex Conciliis.

PROBATUR 2. ex Conciliis.

Concilium Chalcedonenſe œcumenicum an. 451. *can.* 2, *tom.* 4. *Concil.* damnat eos qui pecuniam pro Ordinationibus ſuſcipiunt; quod qui ita agunt, venalem habeant gratiam Spiritus-ſancti ſacerdotio annexam: „ Si quis Epiſcopus, inquit, propter pecunias Ordinationem fecerit & „ non venalem gratiam vendiderit,.... de proprio gradu in periculum veniat. " At ſi Sacerdotium gratiam habet ſibi annexam, idem dubio procul eſt Sacramentum. Ergo.

Concilium Bracarenſe II. ann. 572. *can.* 3. idem habet quod *ſupra* Chalcedonenſe. " Placuit ut de Ordinationibus Clericorum Epiſcopi „ munera nulla ſuſcipiant, ... & non aliquo pretio gratia Dei ..... „ venundetur.

Synodus Toletana VIII. an. 653. *capitulo* 3. eandem doctrinam tradit, quam duæ modo appellatæ ſynodi ſuperiores: " Reperiuntur, in- „ quit, quamplurimi negotio muneris perituri mercari velle gratiam „ Spiritus-ſancti, dum vile præmium donant, ut pontificalis Ordinis „ ſublime culmen accipiant.

Probatio 3. ex Summis Pontificibus.

PROBATUR 3. ex Summis Pontificibus.

Innocentius I. *epiſt.* 18. *ad Alexandrum Antiochiæ epiſc. cap.* 3. Ordinationem confert cum Baptiſmo: imo & in Ordinatione Spiritus-ſancti plenitudinem dari affirmat. Hoc autem inter utrumque diſcrimen ſtatuit, quod in iis qui ad Eccleſiam revertuntur ab hæreſi, Baptiſma ratum habeatur; non item Ordinatio, cujus jure non gaudent. " Arianos, inquit, cæteraſque hujuſmodi peſtes, quia „ eorum laicos converſos .... per manus impoſitionem ſuſcipimus, non „ videtur Clericos eorum cum ſacerdotii aut miniſterii cujuſpiam ſu- „ ſcipi debere dignitate, quoniam, quibus ſolum Baptiſma ratum eſſe „ permittimus, ... nec Spiritum-ſanctum eos habere .... arbitramur; „ .... nec dare ejus plenitudinem poſſunt, quæ maxime in Ordinatio- „ nibus operatur. " Ergo is ſummus Pontifex utrumque pro Sacramento habuit.

S. Leo *epiſtola* 1. *ad Epiſcopos Mauritaniæ*, olim 87. *cap.* 3. poſt multa de vitiis in ſacris Ordinationibus admitti ſolitis diſputata. „ Quis „ er-

„ ergo, inquit, dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetra„ tur injuriam? " *Epistola* autem 11. alias 81. *ad Dioscorum Alexan„ drinum*, *cap.* 1. " A vobis, inquit, hoc volumus custodiri, ut non „ passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica Ordinatio celebre„ tur; sed post diem sabbati ..... jejunis & a jejunantibus sacra be„ nedictio conferatur, ... NE TANTÆ BENEDICTIONIS SACRAMENTUM negligenter videatur impletum.

Anastasius II. *epist.* 1. *ad Anastasium imperatorem cap.* 7. *tom.* 4. *Con" ciliorum pag.* 1280.*an.* 496. Sacratissimum serenitatis tuæ pectus agno" scat, inquit, quod nullum de his, vel quos baptizavit Acacius, vel " quos Sacerdotes sive Levitas secundum canones ordinavit, ulla eos ex " nomine Acacii portio læsionis attingat; quo forsitan per iniquum " TRADITA SACRAMENTI GRATIA minus firma videatur.

Gregorius Magnus *lib.* 4. *in* 1. *Regum cap.* 5. Qui in culmime (Sa" cerdotii) ponitur, inquit SACRAMENTA SUSCIPIT UNCTIONIS. " Quia vero ipsa unctio Sacramentum est; is qui promovetur bene fo" ris ungitur, SI INTUS VIRTUTE SACRAMENTI ROBORATUR.

Gerbertus, primo Remensis archiepiscopus, deinde Ravennatensis, & demum summus Pontifex, *in opusculo de dignitate sacerdotali cap.* 5. *apud Ambrosium in appendice pag.* 363.*litt.* E, " Homo, inquit, imponit ma„ nus; DEUS LARGITUR GRATIAM: Sacerdos imponit supplicem dex„ tram; & Deus benedicit potenti dextra.

Probatio 4. ex sanctis Patribus.

PROBATUR 4. testimoniis veterum.

Tertullianus *de præscriptionibus adversus Hæreticos*, *cap.* 40. postquam ostendit Diabolum ea quæ sunt religionis christianæ, ac præsertim quæ ad Baptismum, Confirmationem & Sacerdotium pertinent, esse apud Gentiles æmulatum; " Qui ergo, inquit, ipsas res de quibus Sacra„ menta Christi administrantur, tam æmulanter affectavit " &c. Ergo judice Tertulliano, Sacerdotium est Sacramentum; & quidem ejusdem cum Baptismate ac Confirmatione conditionis.

Gregorius Nyssenus *orat. in Baptismum Christi*, *tom.* 2. *pag.* 802. *litt.*B. vim sacræ Ordinationis describens, " Eadem verbi (Christi) vis, in„ quit, Sacerdotem augustum, ac honorandum facit, novitate benedi„ ctionis a communitate vulgi segregatum. Cum enim heri ac tempo„ re superiori, unus e multitudine ac plebe esset; repente redditur præ„ ceptor, præses: .... eaque contingunt ei, cum nihil vel corpore vel „ forma mutatus; sed, quod ad speciem externam attinet, ille sit qui „ erat, INVISIBILI QUADAM VI AC GRATIA, INVISIBILEM ANI„ MAM IN MELIUS TRANSFORMATAM GERENS. " Ergo sacer Or„ do gratiam confert,

Martyrius *apud Sozomenum lib.* 7. *historiæ cap.* 10. *p.* 816. *editionis Va-*

Valesianæ, Nectarium alloquens recens baptizatum & ordinatum: " Tu, „ inquit, o beate, percepto recens Baptismo mundatus es; & post Ba- „ ptismum Sacerdotium accepisti. Horum vero utrumque ad expianda „ peccata lege divina constitutum est. " Ita ille ex communi Christianorum sensu loquebatur: atque adeo Sacerdotium a Christo institutum est, & gratiam impertitur.

Ambrosius *in epist. 63. ad Ecclesiam Vercellensem, classe 1.* ubique passim gratiam Ordinatione sacra conferri asserit. Quod Sacramenti necessarium & evidens est argumentum.

Ambrosiaster *in vers. 4. cap. 12. epist. 1. ad Corinth. pag. 151. appendicis*, ad illud. *Divisiones gratiarum sunt*, " In loco Ordinis officii eccle- „ siastici positus, inquit, gratiam habet, qualisvis sit: non utique pro- „ priam, sed Ordinis; per efficaciam Spiritus-sancti. " Vide & *in cap. 4. 1. ad Timoth. pag. 298. in caput.* autem 1. 2. ad versum 6. & ea Apostoli verba: *Admoneo te ut recrees donum Dei quod est in te per impositionem manuum mearum*, " Sic recreat, inquit, in se donum gratiæ Dei, „ acceptum per Ordinationem presbyterii,.... innovatus .... propter „ justificationem.

Auctor quæstionum veteris ac novi testamenti, *quæst. 93. pag. 84. appendicis Augustinianæ tom. 3.* explicans quod Christus Joan. 20. in Apostolos insufflasse dicitur, eisque Spiritum sanctum dedisse; " Inspiratio „ hæc, inquit, GRATIA QUÆDAM EST, QUÆ PER TRADITIONEM „ INFUNDITUR ORDINATIS ..... Unde Apostolus dicit ad Timoth. „ *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per impositio-* „ *nem manuum mearum*. Semel ergo fieri oportuit, ut DE CÆTERO „ TRADITIO ISTA NON SINE DONO SPIRITUS SANCTI ESSE „ CREDERETUR.

Chrysostomus *lib. 3. de Sacerdotio cap. 4. pag. 31. tom. 4.* " Sacerdo- „ tium ipsum, inquit, in terra quidem peragitur; sed in rerum cœle- „ stium classem ordinemque referendum est: atque id perquam merito. „ Quippe non mortalis quisquam, non Angelus, non Archangelus, „ non alia quævis creata potentia; sed ipse Paracletus Ordinem hujus- „ modi disposuit ..... " *Ibidem pag. 32. cap. 5.* " Si quis consideret, „ inquit, quantum id sit MYSTERIUM; ...... tum probe intelliget; „ quanto Sacerdotes honore, quanta dignitate, SPIRITUS-SANCTI „ GRATIA dignata fuerit. " Ac proinde, juxta Chrysostomum, Sacerdotium cœlestis est originis, & divinam gratiam annexam habet.

Hieronymus *in dialogo adversus Luciferianos tom. 2. pag. 425. edit. 1624.* Sacerdotium cum Baptismate componit; & utriusque eandem esse rationem docet. Ab utroque tandem gratiam conferri intra Ecclesiam catholicam; non extra: " Si in fide sua, inquit, baptizato baptizans noce- „ re non potuit; & in fide sua Sacerdotem constitutum constituens non „ inquinavit. " *In libro* autem *adversus Vigilantium, cap. 1. pag. 407.* declamans in eos Præsules e Vigilantii secta, qui cœlibes ad Sacerdotium

non

non admittebant, " Nisi, inquit, prægnantes uxores viderint Clerico-
„ rum, infantesque de ulnis matrum vagientes, CHRISTI SACRRMEN-
„ TA NON TRIBUUNT.

Episcopi Africani *in epistola ad Marcellinum*, *apud Augustinum in sermone de gestis cum Emerito num.* 5. cum ei pollicerentur fore ut Donatistas cum Ordinibus susciperent, " Neque enim in eis, inquiunt, divinæ SRCRAMENTA veritatis, sed commenta humani detestamur erroris.

Augustinus *lib.* 2. *contra Parmenianum*, *cap.* 13. *pag.* 45. *tom.* 9. *num.* 30. disputans adversus Donatistas, qui Baptisma per hæresim non extingui; sed baptizandi facultatem Sacerdotio annexam, ea prorsus auferri opinabantur: " Ipsi explicent, inquit, quomodo sacramentum baptiza-
„ ti non possit amitti; & SACRAMENTUM ORDINATI possit amitti...
„ Si enim UTRUMQUE SACRAMENTUM EST, QUOD NEMO DUBI-
„ TAT; cur illud non amittitur, & istud amittitur? Neutri Sacramen-
„ to injuria facienda est.

Libro autem 1. *contra eosdem cap.* 1. *pag.* 80. Ordinis sacramentum cum Baptismate conferens, " Sacramentum Baptismi est, inquit, quod
„ habet qui baptizatur; & SACRAMENTUM DANDI BAPTISMI EST,
„ QUOD HABET QUI ORDINATUR. Sicut autem baptizatus, si ab uni-
„ tate recesserit, sacramentum Baptismi non amittit; sic etiam ordina-
„ tus, si ab unitate recesserit, SACRAMENTUM DENDI BAPTISMI
„ NON AMITTIT. Nulli enim Sacramento injuria facienda est.... Si-
„ cut ergo recedentes, qui priusquam recederent, baptizati sunt, non
„ rebaptizantur; ita redeuntes, qui priusquam recederent, ordinati sunt,
„ non utique rursus ordinantur: sed, aut administrant quod administra-
„ bant; ..... aut, si non administrant, SACRAMENTUM ORDINA-
„ TIONIS SUÆ TAMEN GERUNT.

Libro 2. *contra litteras Petiliani cap.* 30. *pag.* 237. " Ut sit quisque
„ verus Sacerdos, inquit, oportet, ut non solo SACRAMENTO; sed ju-
„ stitia quoque induatur.

Theodoretus in illud capitis 5. epist. 1. ad Timoth.: *Manus cito nemini imposueris*: Oportet, inquit, prius examinare vitam ejus, qui ordinatur; deinde in ipsum invocare gratiam Spiritus.

Dionysius vulgo Areopagita *lib. de ecclesiastica hierarchia cap.* 1. *&* 5. divinam sacrorum Ordinum institutionem, & eam, qua gratiam conferunt, vim eximiam ita magnifice describit & extollit, ut ne Lutherus quidem *supra* diffiteatur, hanc fuisse ejus sententiam: sed eam inverecunde ac petulanter rejicit.

Tharasius patriarcha Constantinopolitanus *epist.* 1. *ad Adrianum papam tom.* VII. *Concil. pag.* 630. ait pariter eos, qui pacto pretio Ordines sacros conferunt gratiam Spiritus sancti turpiter ac per summum nefas vendere: " Qui manus imponunt, inquit, ministri sunt Spiritus, non venditores Spiritus. " Quod arguit sacram Ordinationem esse sacramentum.

Theo-

Theophylactus *in cap. 1. epist. 2. ad Timoth.* ad ea verba : *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*: " in te quidem, inquit nomine Pauli, habitat ipsa gratia , quam „ accepisti, cum imponerem ego tibi manus, quando Episcopum te con- „ secrabam." *Tom. 2. pag.* 801.

Arnoldus denique Bonavallensis abbas, seu quis alius, in libro *de operibus Christi cardinalibus*, ubi de ablutione pedum, *in appendice Cyprianica editionis Oxon. pag.* 44. " Docetur, inquit, quæ sit Baptismi & a- „ liorum Sacramentorum stabilitas ..... Nam Baptismum repeti ec- „ clesiasticæ prohibent regulæ .... Nemo sacros Ordines semel datos „ iterum renovat, ... quia contumelia esset Spiritus sancti, si eva- „ cuari posset quod ille sanctificat &c.

Probatio 5. ex Theologis.

HACTENUS de antiquis Ecclesiæ tum Latinæ tum Græcæ doctoribus. Nunc, ut quod de utraque restat, sigillatim expediamus, & a Theologis Latinis ordiamur;

Illi profecto quod a majoribus depositum acceperant Theologi, illud idem non tantum eximia fide custodierunt ; sed etiam summa religione transmiserunt ad posteros.

Primo enim Hugo a sancto Victore *de Sacramentis lib. 1. cap. 12. pag. 256. col. 2.* conceptis verbis tradit. " Septem esse Sacramenta , „ quorum quinque generalia sunt, ... duo particularia, eo quod non „ tribuantur omnibus : ... Ordines scilicet & conjugium.

Secundo Guillelmus Parisiensis *tom. 1. in tractatu de sacramentis* idem perhibet ; & non mediocrem de sacramento Ordinis dissertationem instituit.

Tertio non alia fides fuit Petri Lombardi, ut liquet *ex lib. 4. senten. dist. 24.* " Dicuntur Ordines sacramenta , quia in eorum perceptione „ res sacra, id est gratia, confertur.

Quarto eadem prorsus fuit doctrina Petri Pictaviensis hujus discipuli, *parte 5. sententiarum, cap. 3.* " Sacramentorum novæ legis, inquit, „ alia sunt necessaria, ... alia specialia, quæ & voluntaria dicuntur. „ Necessaria sunt, sine quibus vix habetur salus ; ut Baptismus &c. „ Voluntaria sunt, sine quibus potest haberi salus ; ut Ordo, conju- „ gium.

Quinto S. Thomas idipsum docet *in 4. sent. dist. 24. quæst. 1. art. 1. & alibi.* " Ordo, inquit, ab omnibus enumeratur inter septem Sacra- „ menta Ecclesiæ.

Illos porro omnes deinceps scholæ secutæ sunt.

Proba-

Probatio 6. ex Græcis recentioribus.

Jam ad recentiores Græcos accedamus, qui avitam fidem non minori religione expresserunt.

Septem enim Sacramenta, & in iis Ordinem recensent præcipui inter eos scriptores.

Primo Simeon Thessalonicensis, qui eo vivebat tempore, quo Franci Orienti dominabantur; *in suo de septem Ecclesiæ Sacramentis libro:* de quo vide Arcudium *lib.* 1. *de Sacramentis, cap.* 2. *pag.* 5. *col.* 1. & Morinum *in appendice operis de Pœnitentia pag.* 125.

Secundo Gregorius Protosyncellus apud eundem Arcudium *ibid in apologia adversus Marcum Ephesinum*, post synodum Florentinam.

Tertio Emmanuel Calecas *in libro de fide & fidei principiis ibid. pag.* 6. *col.* 2.

Quarto Hieremias Constantinopolitanus patriarcha *in ea quam edidit superiori sæculo Lutheranæ confessionis censura, lib.* 1. *cap.* 7.

Quinto Gabriel Philadelphiensis antistes qui an. 1600. opus *de septem his sacramentis* in lucem Venetiis emisit.

Sexto Hanc ipsam esse etiamnum Ecclesiæ Orientalis doctrinam, aperte & concorditer testati sunt omnes illi fere, qui ferventibus non ita pridem de sacro-sancta Eucharistia apud nos controversiis, super fidem suam interrogati, eam conceptis formulis & ad nos delatis exposuere: nempe id diserte profitentur, & quidem nomine Ecclesiæ Orientalis.

Primo Dionysius patriarcha Constantinopolitanus, subscribentibus aliis tribus ejusdem sedis Præsulibus, & Patriarcha Alexandrino, una cum triginta quinque Metropolitis, *tom.* 3. *Perpetuitatis fidei pag.* 621. & 624.

Secundo Monachi Græci eidem Patriarchæ subditi *ibid. pag.* 620.

Tertio Septem Archiepiscopi ejusdem diœceseos *ibid. pag.* 570.

Quarto Archiepiscopus insulæ Siphanto *ibid. pag.* 572.

Quinto Ecclesia Anaxia *ibid. pag.* 576.

Sexto Archiepiscopus Cephalonius *ibid. pag.* 579.

Septimo Ecclesia Myconiensis *ibid.* 581.

Octavo Præsul insulæ Milo *ibid.* 583.

Nono Abbas monasterii Mauromaliensis, *ibid.* 588.

Decimo Moldavi *ibid. tom.* 1. *lib.* 12. *pag.* 53. *col.* 1.

Undecimo Nectarius patriarcha Hierosolymitanus *ibid. tom.* 3. *pag.* 653. & 658.

Duodecimo Neophytus patriarcha Antiochenus *ibid. pag.* 744. & alter nomine Macarius *pag.* 733.

Decimo tertio Maronita *ibid. pag.* 711.

Decimo quarto Episcopus Damascenus *ibid. pag.* 761.

Deci-

Decimo quinto Ægyptiorum & Alexandriæ patriarcha Matthæus *ibid. pag.* 765.

Decimo ſexto Cruciador Armenorum in Palæſtina & Cilicia Primas *ibid. pag.* 770.

Decimo ſeptimo Gaſpar Armenorum in Ægypto præpoſitus *ibidem pag.* 776.

Decimo octavo David Armenorum in Perſide patriarcha, *ibid. pag.* 781.

Decimo nono Abbas monaſterii San-Georgiani *ibid. pag.* 803.

Vigeſimo denique, hanc eandem eſſe Græcorum & totius Eccleſiæ Orientalis fidem affirmant teſtes omni exceptione majores.

Primo Andreas Ridolphi epiſcopus Calaminæ, vicarius apoſtolicus, & ſuffraganeus patriarchalis Conſtantinopoli, *ibid. pag.* 639.

Secundo Franciſcus Caſimirus Polonorum legatus, ad Portam Otthomanam, *pag.* 640.

Tertio Jacobus Quirinius Venetorum legatus *ibid. pag.* 641.

Quarto Finibaldus Fieſchus Genuenſium legatus ad Turcicum imperatorem *ibid. pag.* 643.

Quinto Raguſini ad eundem legati, *pag.* 644.

Sexto Peræ & Galatæ cives, Conſtantinopolitanæ urbis accolæ, *ibidem pag.* 645.

Nullus itaque dubitandi locus eſt, quin ea ſit conſtans omnium in Oriente Eccleſiarum doctrina. Eam porro a Latinis non hauſerunt; quibus ab initio ſchiſmatis ſemper infenſi extitere. Ergo a majoribus ſuis, qui ante ſchiſma floruere. Jam vero hoc ſchiſma Græcorum & aliarum, ſive ex Eutychetis, ſive ex Neſtorii ſecta eccleſiarum, antiquiſſimum eſt: ac proinde, cum omnes illæ eccleſiæ in eo dogmate conſentiant, & ſecum invicem & nobiſcum, quamvis diu ſit ex quo a nobis & inter ſe diſſident; neceſſe eſt, ut eadem fuerit omnium jam ab ipſis Eccleſiæ incunabulis fides. Quo quidem argumento nullo eſſe poteſt luculentius.

Probatio 7. ex ipſa veterum, ad ſuperius uſque ſæculum, Hæreticorum conſenſione.

Quid quod tam firma erat ac communis ſententia, ut ne Hæretici quidem illi, quorum ſocietate & origine noſtri glorientur, eam convellere aut temerare auſi fuerint?

Primo enim Valdenſes ſeptem eſſe ſacramenta cum Catholicis confitebantur, teſte Phylicdorfio contra Valdenſes *cap.* 1. *tom.* 4. *Bibliothecæ patrum*, 2. *parte*, *pag.* 780. Quod adeo verum, eſt, ut, cum ſeſe ad Bucerum & OEcolampadium aggregarunt, id ab ipſis poſtulatum ſit, ne plura deinceps quam duo Sacramenta, Baptiſmum videlicet & Euchariſtiam, admitterent: quemadmodum narrat Petrus Ægidius *in hiſto-*

historia ecclesiarum Reformatarum cap. 5. & post ipsum illustrissimus Meldensium episcopus *lib.* 11. *variat. cap.* 118.

Secundo Joannes Wiclefus nihil circa Sacramentorum numerum novavit, in eo duntaxat errans, quod e ministri probitate Sacramentorum effectum suspenderet; ut idem illustrissimus Præsul notat *libro* 11. *capite* 153.

Tertio septem quoque Sacramenta tenuit ac professus est Joannes Hus: quod non ita pridem domonstravit, ex certis monimentis, de la Roquer junior; quem idem ille Præsul sequitur *ibid. cap.* 164.

Quarto Fratres Bohemi, qui se Joannis Hus discipulos esse jactabant, non aliam de Sacramentis fidem habuere. Septem enim esse profitentur in ea fidei formula, quam anno 1504. regi Ladislao obtulere: cujus *ibidem* mentio est *cap.* 179. quam in iis doctrinam Lutherus improbavit, ut idem refert.

Quæ cum ita sint, hinc manifeste liquet, fuisse hanc perpetuam ac constantem omnium Ecclesiarum jam a principio, omniumque temporum traditionem, quæ ad hoc usque ævum minime interrupta fuerit.

Merito itaque Eugenius IV. *in decreto suo* post synodum Florentinam, septenarium hunc Sacramentorum numerum definivit, & inter sacramenta Ordinationem collocavit.

Et post Eugenium synodus Tridentina merito rem istam decidit *sess.* 23. *can.* 3. ubi sic loquitur: " Si quis .... dixerit Ordinem sive sacram Ordinationem non esse vere ac proprie sacramentum a Christo Domino institutum; ... anathema sit.

OBJECTIONES.

Objicies I. Ordinatio non potest dici esse ex instituto Christi. Ordinatio quippe posita est in manuum impositione: illa porro a Christo usurpata non est. Lucæ enim 22. cum dixit Apostolis in suprema cœna, *Hoc facite in meam commemorationem*, ejusmodi ritum non adhibuit; ut nec cum post resurrectionem dixit: *Quorum remiseritis &c.* Tunc enim non manum imposuit, sed in eos insufflavit. Ergo.

Respondeo I. non legi quidem in Scripturis, quod tunc Christus Apostolis manus imposuerit; sed non legi etiam quod non imposuerit. Quod autem non legatur, consequens inde non esse, ut manus impositio adhibita non fuerit: multa enim a Christo facta sunt, quæ scripta non fuerunt.

Respondeo 2. potuisse a Christo præcipi manuum impositionem ad Ordinationes sacras, licet ab ipso primum usurpata non fuerit. Christus enim alligatus non erat ulli ritui, & quo ipso volebat modo, gratiam conferre poterat; unde & Peccatricem sine ullo Sacramento absolvit. Quidquid ergo fuerit, & quolibet demum ritu Apostolos Sacerdotes fecerit; quæstio semper eo redit, an saltem in futurum dein-

ceps tempus manuum impositionem inter ordinandum imperaverit & instituerit. Imperasse autem & instituisse, inde liquido patet, quod nimirum postea manuum impositioni gratia annexa fuerit. Non enim mortalium est, gratiam pro libito alligare huic vel alteri signo; sed solius Dei. Cum itaque ex Scripturis compertum habeamus, manuum impositione conferri solitam in Ordinatione gratiam, hinc necessario consequitur, Deum esse istius manuum impositionis auctorem. Omnes enim, etiam Hæretici, confitentur, quod jam jam dicebamus, hominis non esse, gratiam ulli ritui addicere; sed unius Dei, qui solus est supremus gratiæ suæ arbiter & dominus.

Objicies 2. Quilibet Christianus est Sacerdos, 1. Petri 2. 9. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*. Apoc. 1. 6. *Et fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri suo*. Cap. 5. 10. *Et fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes, & regnabimus super terram*. Ergo nullum est peculiare Sacramentum, quo nonnulli præ aliis ad sacerdotium evehantur.

Distinguo antecedens: omnes Christiani sunt Sacerdotes spirituales ad sacrificandum Deo hostiam laudis, & alias id genus; concedo: Sacerdotes veri ac proprie dicti, ad offerendum Deo novæ legis incruentum sacrificium; nego. Quod enim hic, non de externo ac proprie dicto, sed de interno tantum ac spirituali & improprie dicto sacerdotio sermo sit, multis evinci momentis potest. 1. est, Quod hæc Apostolorum verba desumpta sint ex capite 19. Exodi, versu 6. ubi Judæos alloquens Deus; *Vos eritis mihi*, inquit, *in regnum sacerdotale, & gens sancta*. Atqui omnes Judæi non erant idcirco veri Sacerdotes: imo sola tribus Levi, aut potius sola Aaronis familia sacerdotio insignita fuit. Ergo nec ideo omnes Christiani dici queunt proprie Sacerdotes. 2. Quod eadem hic ratione appellantur Sacerdotes, qua nominantur Reges. At quilibet Christianus non est Rex proprie dictus; sed tantum eo sensu, quod cupiditatibus suis imperet, aut ad regni cœlestis hereditatem vocatus sit. Ergo. 3. est, Quod sancti Patres ita Scripturam interpretentur. Ambrosius *tom. 2. pag. 356. num. 3.* seu quis alius *lib. 4. de Sacramentis cap. 1.* " Vos genus electum, &, ut ait apo-„ stolus Petrus, unusquisque ungitur in sacerdotium; ungitur & in re-„ gnum: sed spiritale regnum est, & sacerdotium spiritale. " Augustinus *lib. 20. de Civitate Dei, cap. 20. tom. 7. pag.* 588. explicans illud Apocalypseos 20. 6. & 7. *Erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum eo mille annis*, " Non utique, inquit, de solis Episcopis „ & Presbyteris dictum est, qui proprie jam vocantur in Ecclesia Sacerdotes: sed, sicut omnes Christianos dicimus, propter mysticum „ chrisma; sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacer-„ dotis: de quibus Apostolus Petrus, *Plebs*, inquit, *sancta*, *regale sa-„ cerdotium*.

S. Leo *Serm. 3. in die anniversaria assumptionis suæ, cap. 1.* " Omnes, „ in-

„ inquit, in Christo regeneratos, crucis signum efficit reges; sancti vero Spiritus unctio consecrat Sacerdotes : ut præter istam specialem nostri ministerii servitutem, universi spirituales & rationales Christiani agnoscant, se regii generis, & sacerdotalis officii esse consortes. Quid enim tam regium, quam subditum Deo animum corporis sui esse rectorem ? & quid tam sacerdotale, quam vovere Domino conscientiam puram, & immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerre ? quod cum omnibus per Dei gratiam commune fit factum &c.

Objicies 3. Nullum est inter Christianos discrimen. Sic enim docet Apostolus ad Gal. 3. 27. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Judæus, neque Græcus : non est servus, neque liber : non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu*. Ergo nulla admitti debet Clericos inter & Laicos distinctio.

Distinguo antecedens : nullum est discrimen, quoad vocationem, gratiam & salutem; concedo : quoad gradus & officia; nego. Significat ergo Apostolus, Deum, cum bonus sit, & apud eum nulla sit acceptio personarum, homines vocare, & gratia sua ac salute donare, sine ullo aut ætatis aut gentis aut sexus aut conditionis discrimine : nec aliud illic voluit. Cum autem his verbis non excluserit ab Ecclesia diversitatem aut gentium, aut conditionum, aut sexuum ; nec profecto exclusit officiorum ac graduum, sive in Ecclesia, sive in Republica necessariam ac congruam varietatem. Unum ergo corpus sunt omnes Christiani, eodem spiritu animati : sed *in uno* eodemque *corpore multa* sunt *membra*; *omnia autem membra non eumdem actum habent*; ut inquit idem Apostolus *Rom.* 12. 4. Est caput, quod supereminet; sunt oculi, sunt manus, sunt & pedes. Jam vero, ut disputat idem Paulus 1. ad Cor. 12. 17. *Si totum corpus oculus; ubi auditus? Si totum auditus; ubi odoratus? Quod si essent omnia unum membrum; ubi corpus? Nunc autem multa quidem sunt membra; unum autem corpus &c.*

Objicies 4. Plebs omnis Christiana vocatur in Scripturis *Clerus*. Sic Petrus 1. *epist.* 5. 2. Episcopos alloquens, *Pascite*, inquit, *qui in vobis est gregem Dei; providentes non coacte, sed spontanee : . . . neque ut dominantes in Cleris*, hoc est, nullam in Christianos dominationem, nullum imperium affectantes. Ergo . . .

Distinguo : Plebs omnis Christiana vocatur *Clerus*, notione quadam communi ac generali, quæ non excludat peculiarem Sacerdotii dignitatem; esto : quæ excludat; nego. *Clerus*, græca vox, sortem & hæreditatem sonat; atque adeo late patere potest. Ut enim alia prætermittamus, quæ ad institutum nostrum non pertinent, & ex Veteris Testamenti locutionibus difficultatem propositam explicemus : 1. plebs Judaica *sors* & *hæreditas Domini* vocata est, Deuteron. 9. 26. Esther 10. 12. Psalm. 32. 12. & alibi passim; quia una gens erat in terra, quæ verum Deum coleret; atque hæc notio communis erat : peculiari

enim significatione Sacerdotes simul dicebantur *portio Domini;* & Deus, *eorum sors & hæreditas in medio filiorum Israel*. Num. enim 18. 20. Deus alloquens Aaronem; *Ego*, inquit, *pars & hæreditas tua:* & Deuteron. 18. 12. *Nihil*, inquit, ... *accipient de possessione fratrum suorum: Dominus enim ipse est hæreditas eorum; sicut locutus est illis*. Itaque triplici sensu potest exponi ille Apostoli Petri locus: 1. ita ut de Clericis speciatim intelligatur, in quos nullam usurpare dominationem Episcopi debeant: 2. ita ut de portione gregis, quæ unicuique Episcopo veluti sorte obtigit, verba capiantur: 3. ita ut de omnibus Christianis, qui in partem sortis sanctorum vocati sunt, sermo habeatur. Quamvis autem generali quadam ratione plebs omnis christiana *Clerus ac sors Domini* ita nuncuparetur, hoc non impediret quominus & alia sors, alterque ordo Clericorum, etiam ex divino instituto, agnosceretur: sicut apud Judæos, quod populus ita appellaretur, hoc non obstitit quominus volente Deo essent Sacerdotes, quorum sortem ac hæreditatem peculiari quodam jure se nominabat.

Objicies 5. Tertullianus manifeste indicat, *lib. de exhortatione castitatis cap. 7. pag. 668. litt. C.* omnes Christianos divino jure esse pares; & si quod sit discrimen, illud ex Ecclesiæ instituto esse profectum: " Nonne, inquit, & Laici Sacerdotes sumus? Scriptum est: „ *Regnum quoque nos, & sacerdotes Deo & Patri suo fecit*. Differentiam „ inter Ordinem & plebem constituit Ecclesiæ auctoritas: adeo ubi „ ecclesiastici Ordinis non est consessus, & offers, & tingis, & Sacer„ dos es tibi solus. "

Respondeo 1. Tertullianum jam fuisse Montanistam cum hæc scriberet: Montanistas autem susquedeque habuisse Ordines ecclesiasticos; ut ex iis constat, qui de hæresibus scripserunt. Atque adeo hac in parte Tertullianus non maximæ est auctoritatis.

Respondeo 2. Tertullianum illic non loqui de muniis, quæ jure divino solis Sacerdotibus propria sint; sed de iis, quæ in laicos etiam competere possunt, aliquo saltem in casu. Nempe eo loci Tertullianus sermonem habet de Baptismo, qui urgente necessitate, a quovis conferri potest; & de certo quodam oblationum genere, quæ fervente persecutionum æstu, privatis in ædibus ab unoquoque frequentabantur, cum deesset Sacerdos. Neque vero hic sermo est de Eucharistia conficienda. Quis enim ignorat nunquam licuisse laicis Eucharistiam consecrare? Certe tunc temporis Eucharistiam ad ædes suas singuli ab Ecclesia deferebant, & summa religione, nec minori periculo servabant. Quanto facilius ac commodius, pro data opportunitate, eandem singuli consecrassent, si id singulis licuisset? Verum de his fusius, ubi de Eucharistiæ ministro.

Quod autem Tertullianus non existimaverit omnes Christianos esse ex sese promiscue Sacerdotes ac Presbyteros, apertum est ex libro *de Monogamia cap. 12. pag. 684.* in quo sic habet: " Cum extollimur, in-

„ quit

„ quit, & inflamur adversus Clerum, tunc unum omnes sumus, tunc „ omnes sacerdotes; quia *Sacerdotes nos fecit Deo & Patri* : cum ad „ peræquationem disciplinæ sacerdotalis provocamur, deponimus latas „ infulas, & impares sumus. " Ergo judice Tertulliano non potest Laicus sine arrogantiæ & superbiæ nota sacerdotalem potestatem sibi vindicare.

Respondeo 3. nullam fore difficultatem, si vulgatas editiones Tertulliani sequamur : sic enim habent : " Differentiam inter Ordinem & „ plebem constituit Ecclesiæ auctoritas, & honor per Ordinis consessum „ sanctificatus a Deo. " Quod indicat hanc differentiam utroque jure, divino scilicet & ecclesiastico niti. Sed in secunda responsione acquiescimus.

QUÆSTIO SECUNDA.

De multiplici Ordinum Divisione.

ORDINIS nomen quadrifariam sumitur apud ecclesiasticos scriptores.

Ac 1. quidem late, pro quolibet Christianorum statu.

2. Improprie, pro quolibet Ecclesiæ ministrorum officio; etiam citra ullam proprie dictam Ordinationem.

3. Proprie, pro sacra actione, qua certo ac solemni ritu tribuitur cuipiam peculiaris potestas, in ordine, (ut inquiunt scholæ) ad Eucharistiæ sacrificium.

4. Strictius, pro ea ecclesiastica dignitate, quæ in plebem christianam imperium aliquod ac certam jurisdictionem sibi annexam habet.

Porro hic de Ordinibus tertio modo, hoc est proprie sumptis, disputamus; quatenus nimirum ad Eucharistiam tanquam ad centrum, veluti totidem lineæ, tendunt ac referuntur.

Cum autem varii esse potuerint variis in Ecclesiis usus; sit

ARTICULUS PRIMUS.

De numero Ordinum apud Latinos.

SEPTEM in Ecclesia Latina jam ab ipso nostræ Religionis principio Ordines extitisse, synodus Tridentina affirmat, *sess.* 23. *cap.* 2. " „ Cum autem, inquit, divina res sit tam sancti Sacerdotii ministe„ rium, consentaneum fuit, quo dignius & majori cum veneratione e„ xerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & di-



„ verſi eſſent miniſtrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deſervi-
„ rent; ita diſtributi, ut qui jam clericali Tonſura inſigniti eſſent,
„ per minores ad majores aſcenderent. Nam non ſolum de Sacerdoti-
„ bus, ſed & de Diaconis ſacræ litteræ apertam mentionem faciunt:
„ .... & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque
„ uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acoly-
„ thi, Exorciſtæ, Lectoris & Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur.

Atenim id inficiantur Hæretici; Calvinus ſcilicet *lib.* 4. *inſtit. cap.*4. & 19. nec non & Chemnitius *in examine concilii Tridentini ad ſeſſ.* 23. tres enim ad ſummum Ordines eſſe ajunt, Epiſcoporum videlicet, Presbyterorum, & Diaconorum: reliquos autem nuda fuiſſe miniſteria, primitivæ Eccleſiæ incognita, & multis poſt annis excogitata, quorum numerus augebatur aut minuebatur, pro arbitrio Paſtorum, aut locorum ac temporum neceſſitate.

ASSERTIO.

SEPTEM ſunt apud Latinos Ordines; idque a primis uſque Eccleſiæ temporibus.

PROBATIONES.

PROBATUR I. teſtimoniis veterum, qui ſeptem hos Ordines ſimul & conjunctim, ac dedita opera recenſent.

Ac primo quidem Cornelius ſummus pontifex anno Chriſti circiter 250. *in epiſt. ad Fabium Antiochenum, apud Euſebium lib. 6. hiſtoriæ, cap.* 43. *pag* 244. *edit. Valeſii*, de Novatiano loquens, " Ille, inquit, E-
„ vangelii vindex, ignorabat unum Epiſcopum eſſe oportere in Eccle-
„ ſia catholica, in qua tamen ſciebat Presbyteros quidem eſſe quatuor
„ & quadraginta, ſeptem autem Diaconos totidemque Subdiaconos,
„ Acolythos duos & quadraginta, Exorciſtas & Lectores cum Oſtia-
„ riis quinquaginta duos.

Secundo Synodus Carthaginenſis IV. an. 398. *tom.* 2. *Conciliorum*, *pag.* 1190. eoſdem enumerat diſtincte, Presbyteros *can.* 3. Diaconos *can.* 4. Subdiaconos *can.* 5. Acolythos *can.* 6. Exorciſtas *can.* 7. Lectores *can.* 8. Oſtiarios *can.* 9. & eorumdem Ordinationes *ibidem* ſigillatim deſcribit.

Tertio *inter epiſtolas Hieronymi* vetus quidam eſt auctor, qui ex profeſſo ſcripſit de ſeptem gradibus eccleſiaſticis.

Quarto Gregorius Magnus *in Sacramentario* totidem recenſet *pag.* 232. Ibi enim eſt Ordinatio 1. Oſtiarii, 2. Lectoris, 3. Exorciſtæ, 4. Acolythi, 5. Subdiaconi, 6. Diaconi, 7. Presbyteri.

Quinto Iſidorus Hiſpalenſis *lib.* 7. *Originum capite* 12. " Generaliter,
„ inquit, Clerici nuncupantur omnes qui in Eccleſia Dei deſerviunt;
„ quo-

„ quorum gradus & nomina hæc sunt : Oſtiarius, Pſalmiſta, Lector, „ Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & Epiſco- „ pus. " Vide ejuſdem Iſidori *lib. 2. de officiis Eccleſiaſticis capite 2.*

Sexto Alcuinus *de divinis officiis*, *tom. 10. Biblioth. PP. cap. 32. de eccleſiaſtico Ordine*, " Ex ipſis, inquit, erant Oſtiarii, & hi erant in „ primo & in inferiori gradu; in ſecundo, Lectores; in tertio, Exor- „ ciſtæ; in quarto, Acolythi; in quinto, Subdiaconi; in ſexto, Dia- „ coni; in ſeptimo, Presbyteri; in ſupremo & excellentiori gradu, „ Epiſcopi.

Septimo Ordo Romanus *de divinis officiis*, *tom. 10. Bibliothecæ Patrum* totidem enumerat. Illic enim refertur Ordinatio 1. Oſtiariorum, 2. Lectorum, 3. Exorciſtarum, 4. Acolythorum, 5. Subdiaconorum, atque ita deinceps. Adde & Ordinem Romanum ab Hittorpio editum *tom. 13. majoris Bibliothecæ Patrum Lugduni*, *pag. 703. & 704.*

Octavo Iſidorus Mercator eandem ævo ſuo diſciplinam obtinuiſſe arguit variis in locis: ac 1. quidem in Romano concilio quod habitum eſt ſub Sylveſtro ſummo pontifice, *cap. 3. tom. 1. Conciliorum*, *pag. 1550.* ubi ſic habet: " Poſtea, inquit, fecit gradus in medio ſynodi, „ ut non Presbyter adverſus Epiſcopum, non Diaconus adverſus Pres- „ byterum, non Subdiaconus adverſus Diaconum, non Acolythus ad- „ verſus Subdiaconum, non Exorciſta adverſus Acolythum, non Le- „ ctor adverſus Exorciſtam, non Oſtiarius adverſus Lectorem, non „ laicus det accuſationem aliquam. " Deinde vero *in epiſtola quam nomine Gaii pontificis confinxit*, *an. 290. tom. 1. Conc. pag. 929.* " Si quis „ epiſcopus eſſe meretur, inquit, ſit primo Oſtiarius, deinde Lector, „ poſtea Exorciſta; inde ſacretur Acolythus, demum vero Subdiaco- „ nus, deinde Diaconus, & poſtea Presbyter.

Nono Amalarius Fortunatus *lib. 2. de divinis officiis cap. 6. tom. 10. Bibliothecæ Patrum*, nec plures nec pauciores commemorat. Deinde de ſingulis agit *capitibus ſequentibus*, de Oſtiariis nempe *cap. 7.* de Lectoribus *cap. 8.* & ſic de cæteris.

Decimo Rabanus Maurus *lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 4. tom. 10. Biblioth. PP. cap. 567.* " Sunt autem, inquit, gradus eccleſiaſtici „ octo, quorum nomina hæc ſunt: Oſtiarius, Pſalmiſta ſive Lector, „ Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter atque E- „ piſcopus.

Undecimo Withredus rex Cantuariorum ſeptem etiam Ordines refert *tom. 6. Concil. pag. 1379. & 1380.*

Duodecimo Anaſtaſius Bibliothecarius *in vita Caii papæ*, ſeptem gradus eccleſiaſticos habet. Adde & *in vita Sylveſtri.*

Decimotertio Gillebertus Lunicenſis in Hibernia epiſcopus, de uſu eccleſiaſtico ad Epiſcopos Hiberniæ, totidem quoque recenſet, *in collectione epiſtolarum Hibernicarum ab Uſſerio editarum.*

Decimoquarto Ivo Carnotenſis *ſerm. de excellentia ſacrorum Ordinum*

tom. 10. *Biblioth. PP. pag.* 773. " Hæc officia (Clericorum ,) inquit ,
" septem gradibus sunt distincta .... In his officiis , ... primus gradus
" est Ostiariorum : .... inde promovetur ad officium Lectorum : ....
" tertio sequitur Ordo Exorcistarum : .... quarto loco accedunt Aco-
" lyti : ... quinto loco ordinantur Subdiaconi : .... Diaconorum Or-
" do est in sexto loco : ... Presbyterorum Ordo (septimus est.)

Decimoquinto Stephanus Eduensis *tom. 6. Biblioth. PP. pag.* 369. *de Sacramento altaris cap.* 1. In primo, inquit, sunt Ostiarii. " *cap.* 2. In secundo sunt Lectores. " *cap.* 3. " Tertium Ordinem ornant Exorcistæ. " *cap.* 4. Officium Acolythorum, qui quartum obtinet gradum, est &c. " *cap.* 5. " Quinto gradu præcellunt Subdiaconi. " *cap.* 7. " Ordo Diaconi, cui sextus gradus attribuitur &c. " *cap.* 9. " Ordo Presbyterorum primus & summus, in perfectione septenarii ultimus est ordinatus.

Decimosexto Hugo Rothomagensis archiepiscopus contra Hæreticos sui temporis *lib.* 1. *in præfatione*; & *lib.* 2. *cap.* 1. *pag.* 701. *in appendice ad Guibertum de Novigento*; " Septem sunt gradus, inquit,.... scilicet Presbyteri, ... Diaconi, ... Subdiaconi, Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii.

Decimoseptimo Hugo Victorinus *lib.* 2. *de Sacramentis parte* 3. *cap.* 5. *pag.* 445. *col.* 1. de septem gradibus, " Sequuntur, inquit, septem graduum promotiones. Primus gradus est Ostiariorum; secundus, Lectorum; tertius, Exorcistarum; quartus, Acolythorum; quintus, Subdiaconorum; sextus, Diaconorum; septimus, Sacerdotum.

Decimooctavo Magister sententiarum *in* 4. *dist.* 24. eorum septem Ordinum mentionem facit.

Decimonono Honorius Augustodunensis *in gemma animæ*, *cap.* 174. *de antiquo ritu missæ*; *tom.* 10. *Bibliot. PP. pag.* 1225. " Sunt, inquit, Clerici in septem gradus dispositi : .... sunt autem hi : Ostiarii, Lectores, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri.

Vigesimo Denique Innocentius IV. *epist.* ad Othonem Tusculanum an. 1254. *tom.* 11. *Conciliorum pag.* 19. " Volumus ut Episcopi Græci septem Ordines Ecclesiæ de cætero conferant.

His autem adjungi possunt omnes exinde Theologi.

PROBATUR 2. eorum auctoritate, qui horum Ordinum aliquos aut plures commemorant. Ut enim Sacerdotes & Diaconos prætermittamus, de quibus Scripturæ loquuntur.

Primo Subdiaconos seu Hypodiaconos ævo suo jam in Ecclesia fuisse arguit, Cyprianus *epist.* 24. *edit. Rigalt.* " Fecisse me sciatis, inquit, lectorem Saturum, & hypodiaconum Optatum confessorem *Epist.* 28. " Desiderastis ut de Philumeno & Fortunato hypodiaconis, Favorino acolutho .... quid mihi videatur rescribam. " *Epist.* 78. Confessores nonnulli gratias agunt Cypriano de subsidiis per Herennianum hypodiaconum & acoluthos ad se missis. *Epistola* quoque 79. " Supervene-
" runt

„ runt litteræ tuæ, inquit Lucius Cypriano, ... quas per Herennianum hypodiaconum, & Lucanum, & Maximum, & Amantium acoluthos misisti nobis.

Eosdem memorant, concilium Eliberitanum, dum statuit *can.* 30. " Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint mœchati. " Toletanum I. *can.* 4. " Subdiaconus, inquit, defuncta uxore, si aliam duxerit, ab officio .... removeatur, & habeatur inter Ostiarios, vel inter Lectores. " Vide *can.* 5. Hieron. *ep.* 91. Siricius *epist.* 1. *cap.* 9. *tom.* 2. *Concil. pag.* 1021. Quicunque se Ecclesiæ vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari & Lectorum debet ministerio sociari. Qui ab accessu adolescentiæ usque ad tricesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit una tantum ..... uxore contentus, acolythus & subdiaconus esse debebit. " His alii deinceps innumeri adjungi queunt.

Secundo Acolythorum meminere idem Cyprianus *epist.* 28. 78. *&* 79. & Syricius *supra*, Hieronymus *epist.* 2. *tom.* 1. *pag.* 10. Innocentius I. *epist.* 4. *cap.* 5. *tom.* 2. *Conciliorum pag.* 1261. " Nec cito, inquit, quilibet Lector cito Acolythus ... fiat. " Augustinus *epist.* 191. " Epistolam.... per Leonem acolythum direxisti. " *epist.* 192. " Per Projectum Clericum. " Et Gregorius magnus *lib.* 7. *indictione* 1. *epist.* 7. *&c.*

Tertio Exorcistæ leguntur *in epist. latina Firmiliani ad Ciprianum inter ejusdem Cypriani epistolas.* " Unus de exorcistis, inquit, vir probatus " & in concilio Carthag. IV. *can.* 90. *&c.* Omni die Exorcistæ energumenis manus imponant: " apud Hilarium *de synodis*; Eusebium Vercellensem *epistola ad Episcopos Italiæ*, *tom.* 15. *Bibliothecæ Patrum pag.* 627. in qua sermo fit cujusdam Victorini Exorcistæ; Hieronymum *in cap.* 2. ad *Titum*, " Non solum, inquit, Episcopi Presbyteri & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum ... conversatione .... præcedant; verum & inferior gradus, Exorcistæ, Lectores, Æditui & omnes omnino qui domui Dei deserviunt. " Ambrosiastrum *in cap.* 4. *epist. ad Ephesios*; *in appendice tom.* 2. *pag.* 241. Severum Sulpitium *de vita sancti Martini cap.* 3. Paulinum *lib.* 4. *vitæ sancti Felicis*, *&* *epist.* 24. Zosimum *epist.* 1. *ad Hesichium cap.* 1, *tom.* 2. *Conciliorum*, *pag.* 1556. Fortunatum *lib.* 10. *poemate* 25. & in synodo Arrebatensi anno 1172. *apud Cangium*: ut inter exoticos taceamus Lucianum *epist.* 30. Ulpianum *in ejusdem Cangii Glossario*; & insuper Julium Firmicum *lib.* 3. *Mathefeos cap.* 5.

Quarto Lectores occurrunt apud Tertullianum *lib. de præscriptione Hæreticorum*, *cap.* 41. Cyprianum *epist.* 24. *&* 34. in actis martyrum Cybalitanorum; in gestis purgationis Cæciliani & Felicis; in Arelatensis concilii I. subscriptionibus; concilio Carthaginensi III. *can.* 19. Bracarensi *can.* 11. apud Siricium *epist.* 1. *cap.* 9. Hieronymum *epist.* 2. *in caput* 2. *epistolæ ad Titum*; synodum Toletanam 1. *can.* 4. *&* 5. Innocentium 1. *epist.* 4. Paulinum *lib.* 4. *de vita sancti Felicis*; Zosimum summum

mum Pontificem *epist. ad Hesichium*; Sidonium Apollinarem *lib.4. epist.* 25. Victorem Uticensem *lib.4. historiæ Vandalicæ*; Hennodium *in vita Epiphanii*; Ferrandum Diaconum *cap.129.* Martinum Bracarensem *cap.* 43. synodum Bracarensem II. *can.2.* Vasensem *cap.1. tom.4. Conciliorum pag.1679.* Gregorium Turonensem *lib.2. de miraculis, cap.16. & de miraculis S. Martini cap.49.* Isidorum juniorem *in epist. ad Luitfredum*; Eulogium *in documenta martyrii*; concilium Wormaciense *can.68.* & alios.

Quinto Ostiarios memorant Cyprianus *epist.34.* synodus Toletana I. *can.4.* Augustinus *serm.46.* Isidorus junior *supra*; Eginhardus *in vita Caroli magni*, Alexander IV. *in Tabulario S. Bertini*.

O B J E C T I O N E S.

Objicies 1. Supra dicti scriptores plerumque aliis Ordinibus accensent Episcopatum, quem conceptis verbis nominant, Cornelius pontifex, synodus Carthaginensis, Gregorius magnus, Isidorus Hispalensis, Alcuinus, Isidorus Mercator, & alii *supra*; imo & Rabanus eam ob rem octo gradus ecclesiasticos numerat. Ergo non sunt septem duntaxat Ordines ecclesiastici.

Respondeo 1. a nobis hic non quæri an non sint plures quam septem Ordines ecclesiastici; sed an sint septem: cum Hæreticis enim dimicamus, qui numerum Ordinum minuunt. Quod si statuas octo esse, multo potiori jure septem erunt, quod illi inficiantur.

Respondeo 2. a synodo Tridentina nihil esse circa id definitum: septem quippe Ordines illa recenset; an autem præterea quidam Ordines alii sint, id canonistis disputandum reliquit. Sunt enim inter eos nonnulli, qui assignatis *supra* Ordinibus addant Episcopatum: alii Cantoratum; alii Tonsuram adjiciunt.

Respondeo 3. duplicem itaque esse de Episcopatu in scholis opinionem: sunt enim qui existimant Episcopatum esse Ordinem ac sacramentum distinctum a Presbyteratu: alii contra idem unumque sacramentum ajunt; adeo ut episcopatus non nisi prioris characteris, ut loquuntur, extensio sit.

Qui autem hos Ordines distinguunt, ii simul statuunt hos Ordines specie quidem differre, sed uno genere, sacerdotii nimirum, contineri; atque adeo posse aut octo aut septem Ordines recte numerari: octo enim esse, si singulæ species recenseantur; & ita loqui *supra* laudatos auctores: septem autem, & accuratius, dici, si genus ipsum Sacerdotii tantummodo spectetur.

Qui vero non distinguunt istos Ordines, nihilominus confitentur alium esse gradum & excelsiorem Episcoporum; alium vero & humiliorem esse Presbyterorum; sed unum tamen eundemque esse arbitrantur utrorumque Ordinem: quia scilicet Ordo desumitur ab habitudi-

ne,

ne, ut ajunt, ad Eucharistiam. Jam vero summa quæ ad Eucharistiam spectet potestas, ea est qua Eucharistia conficitur: hæc autem potestas inest Presbyteris, nec major inesse potest Episcopis. Ergo, quoad Ordinem, unum idemque sunt; licet gradu, dignitate & jurisdictione differant. Hinc Hugo Victorinus *supra* diserte notat unum eundemque esse Episcoporum ac Presbyterorum Ordinem; licet non sit eadem illorum potestas. Hoc autem posito, posteriores illi Theologi respondent, allegatos modo scriptores esse de variis Ecclesiæ ministrorum gradibus, non de Ordinibus proprie dictis intelligendos; atque eo magis, quod Rabanus ipse, qui opponitur, hanc eandem *gradus* vocem usurpaverit, & octo in Ecclesia *gradus*, non *Ordines* esse dixerit. Sic conciliari omnes facile possunt: septem enim sunt duntaxat Ordines; sed octo gradus admitti possunt; quamvis plures veteres *supra*, confusis *Ordinum* ac *graduum* vocabulis, septem esse tantum in Ecclesia gradus definiant. Sed de episcopatu alibi.

Objicies 2. Cantores inter Clericos a pluribus antiquis annumerantur, v.g. Hieronymo *epist.* 2. *tom.* 1. *pag.* 10. Isidoro *lib.* 2. *de officiis ecclesiasticis cap.* 12. Auctore ordinis Romani *tom.* 10. *Biblioth. PP. pag.* 98. Rabano *supra*; Hariulpho *lib.* 2. *Chronici Centulensis cap.* 11. *tom.* 4. *spicilegii*, *pag.* 469. & aliis. Ergo plures sunt quam septem Ordines.

Distinguo antecedens: Cantores annumerantur inter Clericos, ut officium ecclesiasticum; concedo: ut Ordo; subdistinguo: ut Ordo improprie dictus; concedo: proprie dictus; nego. Quod enim non annumerentur ut Ordo proprie dictus, constat 1. ex Concilio Carthaginensi IV. Postquam enim illa Synodus Clericos omnes recensuit, & distinctis canonibus eorum Ordinationes descripsit, Cantoris addit officium, & illud sine ulla Ordinatione esse admonet. *Can.* 10. " Psalmistæ, inquit, id est Cantores, possunt absque scientia Episcopi, sola jussione Presbyteri, officium suscipere cantandi. " 2. Ex ipsomet Isidoro & Ordine Romano *supra*, qui hanc synodi Carthaginensis notam & ipsa ejus verba exscripserunt. 3. Ex Rabano, qui satis indicat Cantores confundi solitos cum laicis, quod iidem vulgo essent, & Lectoribus cantandi officium demandaretur: ait enim *Psalmista sive Lector*. 4. Ex Amalario *lib.* 3. *de divinis officiis*: Cantores enim non collocat nisi post septem Ordines. " Septem, inquit, gradus sunt ordinatorum; octavus Cantorum; nonus & decimus Auditorum utriusque sexus. " Ergo extra numerum Ordinum constituuntur ab ipso Cantores, sicut & Auditores utriusque sexus. 5. Ex Gilleberto Lunicensi jam laudato: hic enim eodem loco, " Quia, inquit, quilibet de Clero sola jussione Presbyteri potest officio Psalmistæ fungi . . . . . in numero graduum Ecclesiæ non ponimus. " 6. Ex Durando *Rationalis lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 32. & *cap.* 3. *num.* 1. *apud Cangium*, verbo *Psalmista*: illic enim significat psalmistarum non fuisse Ordinem proprie dictum; sed officium quoddam Ordinibus prævium,

vium, ac Tonsuræ aliquando certisque in locis annexum. " Prima „ Tonsura, inquit, quæ apud nos vocatur *Psalmistatus*, non est Or- „ do, sed tantum dispositio ad Ordines. " Idem innuit Rodericus Toletanus *lib. 9. historiæ Hispaniæ*, *cap. 12. pag.* 144. *tom.* 2. ubi de Sancio loquens, " Oblatus, inquit, Roderico Toletano pontifici. .... „ cum clericali Tonsura Psalmistæ officium est adeptus. " 7. Ex eo quod cum notum esset scriptoribus a nobis allegatis, esse quosdam in Ecclesia Cantores, eos in enumerandis Ordinibus omiserint, id enim alia ex causa proficisci non potuit, quam ex eo quod non putarent Cantores esse legitimum Ordinem. 8. Ex eo quod antiqui, cum gradus eos & Ordines recensent per quos ascenditur ad episcopatum, nunquam inter eos Ordines cantoratum reponant. Adde quæ de Cantoribus *infra*, ubi de Ecclesia Græca, disputabimus.

Objicies 3. Tonsura est Ordo: ergo.

Nego antecedens: ut enim jam jam animadvertebamus, Tonsura non est Ordo, sed dispositio ad Ordines. Et vero Ordo est actio sacra, qua cuipiam tribuitur aliqua spiritalis potestas ad munia Ecclesiastica obeunda: Tonsuræ porro nulla potestas, nulla functio assignari potest: ergo non est proprie Ordo.

Instabis. Tonsura facultatem confert ad beneficia ecclesiastica suscipienda: ergo per eam tribuitur aliqua potentia.

Distinguo antecedens: potentia passiva; concedo: activa; nego. Porro activa requiritur ad Ordinem.

Objicies 4. Canonici juris interpretes vulgo sanciunt novem Ordines esse: vide Institutiones Juris canonici, *ad calcem corporis juris lib.* 1. *tit.*23. Definitiones Juris canonici *pag.* 505. Navarrum *de Sacramentis cap.* 22. *nu.*18. *tom.*3. *pag.*18. & alios. Ergo.

Respondeo 1. fidem esse potius habendam hac in parte Theologis, quam juris canonici peritis: præterquam quod enim Theologi solent esse aliis accuratiores; ad Theologiam proprio quodam jure pertinet quidquid spectat ad Sacramenta.

Respondeo 2. Canonistas ipsos inter se non consentire, ut videre est apud Joannem de Turrecremata, *ad distinctionem* 23. *canone Psalmista*.

Respondeo 3. ab ipsis novem idcirco Ordines numerari, quod inter Ordines referant Episcopatum & Cantoratum, aut ut alii malunt, Tonsuram; in eo enim etiam illi a se invicem diffident. At tria hæc jam diluimus. Ergo.

Objicies 5. Fossarii, seu qui humandis corporibus operam ex officio quondam dabant, inter Clericos referuntur a veteribus iisque non paucis. Hieronymus *epist.* 49. de muliere septies icta, " Cleri- „ ci, inquit, quibus id officii erat, cruentum linteo cadaver obvol- „ vunt, & fossam humum lapidibus construentes, tumulum parant. " Incertus auctor *epist.* 13. *ad Rusticum*, *apud eundem tom.* 9. *pag.* 48.

" Pri-

" Primus in Clericis, inquit, Fossariorum Ordo est, qui in similitudinem Tobiæ sancti, sepelire mortuos admonentur. " *In notis* Tironis, postremi omnium Fossarii collocantur in Ordine ecclesiastico. Adde glossas Vulcanii *pag.* 30. *apud Cotelerium ad opera PP. in appendice*; Auctorem *præfationis ad libellum precum Marcellini & Faustini*; Augustinum *epist.* 62. & *lib.* 3. *contra Cresconium cap.*29. *nu.*33. adjunge codicem Theodosianum, *lib.* 7. *tit.* 20. de veteranis, *lege* 12. *tom.* 2. *pag.* 434. *lib.* 13. *tit.* 1. de lustrali conlatione, *lege* 1. *tom.* 5. *pag.* 3. & *lib.* 16. *tit.* 2. de Episcopis, *lege* 15. quæ est Constantii imperatoris, ubi non solum Clerici, sed etiam Copiatæ, a Græco nomine, *copia*, appellantur, & dicuntur esse recens instituti; quanquam eorum originem ad Constantinum referre videantur Justinianus *novella* 43. & 59. nec non & Leo *novella* 12. Ergo.

Distinguo antecedens: Fossarii Clericis adduntur, ut officium ipsis annexum, aut proximum; concedo: ut Ordo peculiaris, distinctus & proprie dictus; nego. Quod enim Ordo non esset peculiaris ac proprie dictus, id colligere est 1. ex eo quod Hieronymus *supra* hoc appellet officium certis Clericis demandatum. 2. Ex eo quod nulla uspiam legatur eorum Ordinatio. 3. Quia non numerantur a Conciliis aut summis Pontificibus inter Ordines episcopatui aut presbyteratui necessario prævios. 4. Honorius imperator *lib.* 7.*codicis Theodosiani tit.* 20. de veteranis, *lege* 12. *supra*, eos ideo vocat vocabulo *Clericorum*, quod Clerici nempe vulgo essent nomine tenus duntaxat. 5. Ea etiam de causa non gaudebant illi privilegiis Clericorum, ut notat Gotofredus *ad legem* de lustrali conlatione *nuper allatam*. Itaque Fossarii, ut idem animadvertit *ibidem*, non Clerici erant; sed Clericis proximi habebantur: aut si Clerici erant, non peculiarem quemdam Ordinem constituebant; sed nudum id erat ac sacrum ministerium, alicui ex proprie dictis Ordinibus commissum, ut majori religione Christianorum corpora sepelirentur. Certe Concilium Carthaginense IV. *can.* 81. officium hoc in pœnam tradit iis qui pœnitentiæ publicæ obnoxii erant " Mortuos, inquit, Pœnitentes Ecclesiæ afferant, & „ sepeliant.

Objicies 6. Sanctus Hieronymus *in cap.* 19. Isajæ tres tantum constituit Clericorum Ordines, & iis duos adjungit Ordines laicorum: ait, enim, quinque in Ecclesia Ordines esse, Episcoporum videlicet, Presbyterorum, Diaconorum, Fidelium, & Catechumenorum. Ergo.

Distinguo antecedens: & Hieronymus illic enumerat varios Christianorum, non Clericorum ordines; concedo: secus; nego. Quod ut perspicuum fiat, observandum est S. Hieronymum ibi explicare quod ait Isaias: *Erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaanitide*. Illud autem exponit de iis qui Christi nomen profitentur, quorum proinde pro numero civitatum, quinque Ordines distinguit; Episcopos scili-

scilicet, Presbyteros, Diaconos, Fideles & Catechumenos: nomine autem Diaconorum seu ministrorum, ut non pauci alii Patres, cæteros omnes intelligit, qui altari deserviunt, & quos Hieronymus ipse alibi sigillatim appellat; ut modo vidimus.

OBJICIES 7. Vetus ille auctor, qui *epistola* 1. *ad Rusticum*, *tomo* 9. *operum ejusdem Hieronymi* de septem gradibus ecclesiasticis scripsit, Exorcistas & Acolythos omittit, & in eorum locum sufficit Episcopos ac Psalmistas.

RESPONDEO 1. hunc auctorem esse obscuri nominis; atque adeo magni ponderis esse non posse contra tot Patrum testimonia.

RESPONDEO 2. anonymum hunc, dum istos Ordines tacet, in eo adversari Hieronymo, qui de illis mentionem fecit.

RESPONDEO denique, ipsum ea officia, eosque gradus recensuisse, qui eo loci obtinebant ubi degebat; non autem negare alios esse Ordines, qui in aliis passim Ecclesiis frequentabantur: hic porro quærimus, quid vulgo omnis Ecclesia, non quid unaquæque usurpaverit. Fieri enim potuit, ut certis de causis, non eadem omnino apud singulos officia iidemve gradus extiterint; cum id ex Christi præcepto necessum non foret.

OBJICIES 8. Ambrosiaster *in cap.* 4. *epist. ad Ephesios*, *supra*, quinque duntaxat Ordines habet, Episcopos scilicet, Presbyteros, Diaconos, Lectores, & Exorcistas. Ergo.

DISTINGUO antecedens: & non omnes, qui in usu erant, commemorare illic instituebat; concedo: & omnes commemorare voluit; nego. Nempe non agebat eo loci hic scriptor ex professo de Ordinibus; sed occasione data ex iis Apostoli verbis, *Et alios quidem dedit Apostolos, alios Prophetas*, *alios Evangelistas*, *alios Pastores & Doctores*: his autem quinque Pauli Ordinibus, alios quinque ecclesiasticos Ordines aptare voluit. Itaque nomine *Apostolorum*, Episcopos; *Prophetarum*, Presbyteros; per *Evangelistas*, Diaconos; *Pastorum* vocabulo, Lectores; denique *Doctorum* seu *Magistrorum*, ut ipse legit, nomine, Exorcistas significari contendit. Cæterum an alii præterea essent in Ecclesia Ordines necne, non investigat nec definit.

OBJICIES 9. Optatus *lib.* 2. disputans adversus Donatistas, qui Catholicos omnes, clericos ac laicos, sine ullo discrimine pœnitentiæ publicæ subjecerant, tres duntaxat Ordines Clericorum recenset: " Extendistis, " inquit, manum, & super omne caput mortifera velamina prætendistis; " ut cum sint, sicut supra dixi, quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & Fidelium; nec uni parcere " voluistis. Ergo.

DISTINGUO antecedens: & uno *Diaconorum* nomine omnes & varios ministrorum Ordines, quomodo *supra* Hieronymus, intelligit; concedo: & alios Ordines excludit; nego. Ipse certe *lib.* 1. plures alios Ecclesiæ ministros præter Diaconos agnoscit. " Quid, inquit, commemorem lai-

" cos

„ eos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerant dignitate suffulti? quid mi-
„ nistros plurimos? quid Diaconos in tertio? quid Presbyteros in se-
„ cundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices & principes omnium ....
„ Episcopi, &c. " Consule Albaspinæum, & alios Optati interpretes.

ARTICULUS II.

De numero Ordinum apud Græcos.

Certum est apud Græcos esse Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos & Lectores.

Quæritur autem primo an non præter Lectores, apud eos quoque sint Ordines Acolythorum, Exorcistarum, & Janitorum: Secundo an non Cantores, Fossarii, aliive id genus inter veros ac legitimos Ordines ab ipsis referantur.

ASSERTIO I.

Non videntur unquam apud Græcos extitisse Acolythorum, Exorcistarum, & Janitorum Ordines.

PROBATIONES.

Probatur pluribus momentis ex antiquitate ductis.

Primo enim auctor Constitutionum apostolicarum, vetustissimus sane, *lib.*8. *cap.*4. 5. 16. 17. 18. 21. 22. de iis, qui in Ecclesia Græca obtinebant, Ordinibus agit ex professo, & singularum Ordinationum ritus si-
„ gillatim describit. Episcoporum porro, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum & Lectorum mentionem facit, imo & Cantorum, Dia-
„ conissarum ac Confessorum: tres autem propositos Ordines non com-
„ memorat. Quid ita? nisi quod in usu illi non essent. Quin Exorci-
„ stas postmodum recenset: sed nedum illos in Ordinum numero re-
„ ponat, conceptis verbis asserit eos non ordinari. Adde *cap.* 28.
„ *&* 31.

Secundo Auctor Canonum apostolicorum, ejusdem circiter ætatis, frequenter ac distincte Ordines ecclesiasticos enumerat. v.g. *can.* 26. ubi figit qui Clerici uxores ducere queant; *can.* 42. *&* 43. ubi pœnas Clericis aleæ vacantibus infligit; & *can.* 61. *seu* 62. ubi loquitur de Clericis sanctam quadragesimam non jejunantibus: illic autem Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Lectores, imo & Ostiarios silet.

Tertio Liturgia vetus Marco ascripta, quater pro universis Cleri Ordinibus preces ad Deum fundit, eosque nominatim vocat, de

tribus

tribus autem illis, quos in quæstionem adducimus, ne verbum quidem.

Quarto Scriptor vitæ S. Cypriani martyris, qui sub Diocletiano mortem oppetiit ad diem 26. Septembris, narrans quibus ille gradibus ad Episcopatum ascenderit, a Lectoris Ordine, ut omnium primo, incipit. " Anthimius Episcopus, inquit, accersit quamprimum Cypria-
" num, ... & octavo die sacrum facit præconem, & expositorem
" Christi mysteriorum (seu Lectorem :) vicesimo autem, Subdiaco-
" num : tricesimo autem, refert in numerum Diaconorum . . . . Cum
" autem totus annus esset transactus, dignus judicatur cathedra Presby-
" terorum.

Quinto Concilium Sardicense *can.* 10. græce, *tom.* 2. *Conc. pag.* 635. ab eodem lectoratus Ordine exordium ducit, duosque alios prætermittit : sic enim ibi; " Osius episcopus dixit : Hoc quoque necessarium e-
" xistimo, ut cum omni cura & diligentia examinetur, ut si quis ex
" foro sive dives, seu scholasticus, Episcopus fieri dignus habeatur,
" non prius constituatur, quam Lectoris, Subdiaconi, Diaconi & Pres-
" byteri ministerium peregerit : ut per singulos gradus..... ad episcopa-
" tus fastigium per progressionem possit ascendere. " Hæc Osius: quibus verbis, ut Ordinum fastigium in episcopatu, sic principium ac fundamentum in lectoratu constituit. Vide concilium Sardicense *can.* 10, *apud Beveregium*, *tom.* 1. *pag.* 486. & *Goar pag.* 238. *cap.* 2.

Sexto S. Ephrem. *in sermone parænetico de secundo Christi adventu*, "
" Tunc, inquit, Clerici ab aliis dividentur Clericis; Episcopi ab Epi-
" scopis, Diaconi ab aliis Diaconis, & Subdiaconi, Cantores, atque
" Lectores a se invicem &c. " Quo satis arguit se alios Ordines igno-
" rasse.

Septimo Justinianus imperator *in Codice*, *lib.* 1. *tit.* 3. de Episcopis & Clericis *lege* 45. Clericos omnes enumerans, & eos quibus cœlibatus post Ordinationem injunctus est, ab aliis distinguens quibus nuptiæ sunt permissæ, " Sanctis canonibus, inquit, neque Deo amantissimis Presby-
" teris, neque reverendissimis Diaconis, aut Subdiaconis nuptias con-
" trahere post hujusmodi Ordinationem permittentibus; sed solis reve-
" rendissimis Psaltis & Lectoribus id concedentibus, &c. " An alios Clericos omisisset, si eos agnovisset?

Octavo Justinianus idem *Novel a* 3. eos omnes Clericorum Ordines recensens, qui in Ecclesia Constantinopolitana esse deberent, " Sanci-
" mus, inquit, non ultra sexaginta quidem Presbyteros in sanctissima
" majore ecclesia esse, Diaconos autem masculos centum, & quadra-
" ginta feminas; Subdiaconos autem nonaginta; Lectores autem centum
" & decem; Cantores viginti quinque :. ita ut sit omnis numerus .....
" Clericorum......425. " Ergo nullos e Clericis prætermittere voluit Imperator, eorumque numerum in unam summam colligens, decernit esse 425. at, si subducas calculos; qui modo numerati sunt, hanc summam

mam conficiunt: ergo nulli alii præterea Clerici tunc erant. Vide & *Novellam* 123. *cap.* 10. 13. 14. 19.

Nono Georgius Presbyter, qui sancti Theodori vitam conscripsit, cujus discipulus extiterat, *apud Surium die* 22. *Aprilis*, referens quomodo ille a Theodosio Anastasiopoleos episcopo Presbyter ordinatus fuerit, „ Statim, inquit, ad eum in oratorium accessit Theodosius, & cum „ illum salutasset Lectorem declaravit; postridie vero Subdiaconum, „ Diaconum, & Presbyterum instituit. " Atque adeo primus omnium Ordinum tunc temporis in Ecclesia Græca erat lectoratus.

Decimo Constitutio quæ est *lib.* 5. *juris Orientalis*, *tit.* 5. *cap.* 1. " Episcopus, inquit, est observator & curator omnium ad Ecclesiam „ pertinentium animarum quæ in ejus provincia sunt, habens potestatem initiandi Presbyterum, Diaconum, Hypodiaconum, Lectorem, „ Cantorem & Monachum. " Ecce, ut apparet, omnes describit Ordines, qui Episcopis subsunt. De Acolythis autem, Exorcistis, & Ostiariis ne mentionem quidem facit.

Nono Rituales Græci omnes ad unum, cum alios Ordines summo studio recenseant, & singulos, qui in iis conferendis usurpabantur, ritus accuratissime persequantur, hos ne verbo quidem attingunt: quo quidem nihil esse potest evidentius: cur enim silerent eos Ordines, si fuissent apud eos in usu? an casu, an consilio id factum est? Non casu. Quis enim putet omnes Græcos in iis reticendis casu ac fortuito concordasse, cum variis locis ac temporibus scriberent? Non consilio. Quid enim boni inde obvenisset; quid non potius damni, si ea consulto præterirent, ac tenebris obvolvèrent, quæ ad ipsam religionis summam pertinere cognoscebant? An sibi obesse, an posteris fraudi esse voluerunt? Quis non intelligit hæc non posse, nisi absurde fingi? Cum ergo altissimum sit de tribus istis Acolythorum, Exorcistarum & Ostiariorum Ordinibus in cunctis ritualibus silentium, id argumento est, & quidem luculento, hos Ordines in Ecclesia Græca non viguisse.

Duodecimo S. Joannes Damascenus *initio Dialogi adversus Manichæos* idem apertè docet: cum enim ibi ostendat vocem hanc *principium* ambiguam & æquivocam esse, inter alia exempla Ordines affert, & ipso „ in limine lectoratum constituit: " Principium, inquit, insuper de Or- „ dine quoque dicitur, ut prima dignitas Lector est, deinde Subdiaco- „ nus, post Diaconus, post Presbyter, atque ita demum Episcopus di- „ citur.

Decimotertio Elias Cretensis *ad orationem* 19 *Gregorii Nazianz.* versus „ finem, *Sacerdotis* vocabulum explicans, " Porro, inquit, per *Sacer-* „ *dotum* vocabulum, reliquos etiam sacros Ordines complecti mihi vi- „ detur, Lectorum scilicet, Subdiaconorum, Diaconorum: ex quibus „ etsi Lectorum Ordo altaris non est, ut qui nihil in eo, ex his omni- „ bus quæ Subdiaconi efficiunt, operari queant; tamen sacer est, ut qui- „ consecrationis symbolum susceperit. " Quibus quidem verbis Elias in

vestibulo & aditu Ordinum, lectoratum collocat, & omnium infimum extitisse satis evidenter arguit.

Decimoquarto Nicetas *in vita S. Ignatii patriarchæ Constantinopolitani* exponens quibus ille gradibus ex more ad episcopatum promotus fuerit, " Primum quidem, inquit, Lector, sacrarum litterarum præco sanctus, „ deinde Hypodiaconus, tum Diaconus, ac deinceps Sacerdos Ordine „ ac lege ecclesiasticorum graduum consecratur. " Sic ille: qui idem describens qua ratione episcopus consecratus fuerit Photius, qui sedem „ Constantinopolitanam exturbato Ignatio invasit, " Erat inquit, de re „ cernere, ut fertur adagio, extemporalem, fictitiumque seu persona- „ tum sanctum: primo enim die Monachus ex Laico, altero Lector, „ tum Hypodiaconus ac Diaconus, deinde Presbyter, sexto denique, „ qui fuit Christi natalis, sacerdotalem conscendens thronum, pa- „ cem populo; nihil vera pace dignum cogitans, nunciavit. " Ergo uterque, Ignatius videlicet & Photius, ab lectoratu Ordinum initium cepit; neque hic perfidus ideo contra canones peccasse dictus fuit unquam; neque ille vir sanctissimus, ecclesiasticis regulis addictissimus, quidquam in eas se admittere putavit. Ergo tunc nullus erat aliorum Ordinum usus.

Decimoquinto Synodus ipsa VIII, quæ Photium exauctoravit, & restituit Ignatium, nedum id aut in Ignatio aut in Photio saltem reprehenderet; ipsa etiam contra non alios ad episcopatum gradus agnoscit aut assignat. *Actione* enim 10, *can.* 5. *tom.* 8. *Conc. pag.* 1371. " Quod si quis, „ inquit, nulla suspicione dictæ ambitionis, vel honoris spe tactus in „ Clericum atque Monachum attonsus est; perque omnes gradus eccle- „ siasticos definitis temporibus vitam agendo inculpatam transisse repe- „ riatur, ad episcopatus honorem evehatur; ita ut in Lectoris mune- „ re, annum; in Subdiaconi, duos; Diaconi, tres; Sacerdotii, quatuor „ annos expleverit. " Quod idem sic expressit Anastasius *pag.* 129. " Si „ vero quis, inquit, per nullam suspicionem prædictæ concupiscentiæ „ expectationis . . . . fiat Clericus aut Monachus, & omnem gradum „ ecclesiasticum transigens per definita jam tempora irreprehensibilis in- „ ventus fuerit, ita ut in gradu Lectoris annum compleat, in Subdia- „ coni autem, duos; sitque Diaconus tribus; & Presbyter quatuor an- „ nis; bene placuit huic sanctæ & universali Synodo eligi hunc & ad- „ mitti.

Decimosexto hoc idem colligitur ex quadam Ignatii epistola ad Adrianum II. *quæ habetur ad calcem* VIII. *synodi*. Cum enim illa Synodus *can.* 4. vetuisset ne quis eorum, qui a Photio ordinati erant, in gradu suo remaneret; & *can.* 24. Latino, eadem synodus post Nicolaum summum pontificem idem sanxisset, de iis qui Photio adhæsissent; sed illic nominasset tantum Episcopos, Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos; Ignatium incessit dubitatio, an non itaque admitti possent Lectores a Photio consecrati, quorum ingens erat multitudo, & de quibus nulla men-

mentio facta fuerat; atque adeo super ea re Adrianum consuluit. Porro de Lectoribus dumtaxat loquitur, non de Acolythis, aut Exorcistis, aut Janitoribus, qui eum profecto non minus sollicitum & anxium habuissent, quam Lectores, si perinde extitissent. Quæ enim exceptio adhiberi posset? An de iis non cogitavit? Sed cur potius de Lectoribus? Quis enim non videt vel ipsa canonum lectione admonitum eum esse, ut de cæteris Clericis summum Pontificem interrogaret? Cum enim mentio tantum facta esset de majoribus Ordinibus, quæstio sponte sua in minores revolvebatur: inter minores autem, solos commemorat Lectores: ergo soli tunc temporis dubio procul extabant.

Decimoseptimo istud etiam elicitur ex epistola Innocentii ad Otthonem Tusculanum cardinalem, sedis apostolicæ in Cypro legatum. Cum enim Græcos adducere vellet ad ecclesiæ Romanæ consuetudinem, tres esse confitetur minores ordines, qui ab ipsis hactenus neglecti fuissent ,, & omissi. " Volumus, inquit *tom. XI. Conc. pag. 611. cap. 19. anno* ,, *1234.* & expresse præcipimus, ut Episcopi Græci septem ordines se- ,, cundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cum hucusque ,, tres de minoribus circa ordinandos neglexisse & prætermisisse dican- ,, tur: illi tamen qui jam sunt taliter ordinati per ipsos, ob nimiam ,, ipsorum multitudinem, in susceptis ordinibus tolerentur. " Quod de Episcopis Græcis Latinorum ditioni subjectis accipiendum esse contendit Goar *supra*.

Decimo octavo Joannes Thessalonicensis *cap. 1.* ad finem *2. parte Morin. pag. 130. de sacris Ordinationibus*, affirmat lectoratum esse primum sacri Ordinis gradum.

Decimonono etiamnum præsules Græci non aliam habent infra subdiaconatum, quam Lectoris Ordinationem; ut quidem affirmat idem Goarus, qui hac de re Græcos, quibuscum versatus erat, non semel interrogaverat. Cum autem urgentur Græci & reprehenduntur quod alias Ordinationes non frequentent, reponunt hac una Lectoris Ordinatione cæteras omnes, quas Latini sigillatim ac distincte conferunt, comprehendi: quod idem ille testatur. Quæ cùm ita sint, ex his duo consequuntur: primum, apud Græcos extitisse semper, quod initio monuimus, Ordines Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum & Lectorum; alterum, non extitisse alios, Acolythorum scilicet, Exorcistarum, & Janitorum.

OBJECTIONES.

Duplici modo possunt adversarii nostram assertionem impugnare: ac 1. quidem si ostendant apud Græcos non fuisse quos asserimus Ordines: 2. si probent eos etiam extitisse, quos negamus. Et vero ii utraque ratione illam reipsa aggrediuntur.

OBJICIES 1. Dionysius vulgo Areopagita *lib. de eccles. hierarch. cap. 5.*

tres dumtaxat Ordines videtur agnoscere, Episcoporum scilicet, Presbyterorum & Ministrorum. Ergo non plures erant apud Græcos ea ætate Ordines.

DISTINGUO antecedens: Dionysius enumerat tantum tres Ordines hierarchicos; concedo: in universum; nego. Hic itaque Dionysius *Ordinis* nomen strictius accipit, quatenus nempe Ordo adjunctum habet & annexum sibi quemdam in Christianam plebem sacrum principatum; agebat enim de ecclesiastica hierarchia: sed tres reipsa tantum sunt Ordines hierarchici, Pontificum scilicet, Sacerdotum & Diaconorum. Quod enim populo Præsules & Presbyteri præsint, id extra controversiam est. Quod autem pertinet ad Diaconos, de quibus solis posset esse difficultas, iis profecto sancti Patres quandam etiam in fideles auctoritatem attribuerunt. Ignatius *epist. ad Polycarpum*, " Ego, inquit, vitam profunderem pro iis, qui subjecti sunt Episcopo, Presbyteris & Diaconis. " Hieronymus *in caput secundum epist. ad Titum*, *supra*, " Episcopi, inquit, Presbyteri & Diaconi debent maxime providere ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone ac scientia præcedant. " Chrysostomus *homil. 83. in Matth.* hortans unumquemque Diaconum ut eos qui haud satis dignè ad sacram Eucharistiam accedunt, fortiter coerceant; atque adeo ipsum, si necesse sit, Imperatorem, " Cohibe, inquit, & coerce: majorem tu illo habes potestatem. " Hinc ecclesiæ & parochiæ quondam Diaconis aliquando credebantur: hinc etiam Diaconi dicuntur ab Optato in tertio sacerdotio constituti. Vide Optatum *supra*, *edit. Prierii*, *& notas Merici Casauboni*, ut & canones apostolicos; concilium Aquilejense an. 381. ad finem; & Gabrielem Philadelphiensem *de Ordine cap. 31.* ubi *sacerdotium* appellat etiam minores Ordines. Illi ergo tres Ordines quoddam imperium habent ex sese; ideoque *hierarchici* nominantur: cæteri non item, ut pote qui populis non præsint; sed Sacerdotibus tantum ac Diaconis subserviant. Unde synodus Tridentina *sess. 23. can. 6.* " Si quis dixerit, inquit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris; anathema sit.

OBJICIES 2. S. Ignatius *in epistola ad Antiochenos*, eosdem appellat Ordines, quos in usu Latini habent: sic enim loquitur: " Saluto sanctum Presbyterium ..... Diaconos, ... Subdiaconos, Lectores, Cantores, Ostiarios, Laborantes, Exorcistas, Confessores, ... Janitrices, ... Virgines, ... Viduas &c. Ergo.

DISTINGUO antecedens: Ignatius verus ac germanus; nego: falsus ac supposititius; subdistinguo: eosdem appellat Ordines, quos Latini agnoscunt, omnes; nego: plerosque; iterum subdistinguo: nec eos habet pro veris Ordinibus; concedo: & eos habet pro veris ac proprie dictis Ordinibus; nego. Quapropter hic multa observanda sunt: 1. est, hanc epistolam veteribus fuisse ignotam, & Ignatio a recentiori quodam esse suppositam: 2. Acolythos illic omitti: 3. Ostiarios quidem

&

& Exorcistas hic memorari, sed non alio modo quam Cantores, Laborantes, Confessores, Janitrices, Virgines ac Viduas. Nemo autem contenderit hos omnes Ordines fuisse Ordines proprie dictos: salutat ergo quicunque in Eeelesia aut officio, aut gradu, aut dignitate aliqua a cæteris distinguebantur. Fatemur autem fuisse cum viros, tum mulieres, qui foribus præessent: fatemur etiam extitisse qui exorcismis dæmones adigerent: sed quæstio est, an ii aliqua Ordinatione ad hæc munera designarentur, quod enucleatius postmodum expendemus.

Objicies 3. Epiphanius *in expositione fidei cap.* 21. postquam, Ecclesiæ ministros enumerans, Episcopos, Presbyteros, Subdiaconos & Diaconissas retulit, de aliis subdit in hunc modum: " Postea, inquit, sequuntur Exorcistæ & linguarum Interpretes: ... sequuntur Laborantes, qui mortuorum corpora curant; tum Janitores & omnis series." Ergo præter illos *supra* memoratos Ordines Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum & Lectorum, alii quoque erant apud Græcos Ordines.

Distinguo consequens: alii Ordines improprie dicti; concedo: proprie dicti; nego. Erant enim ista mera officia, quæ Clericis aut aliis demandabantur. Certe Acolythi etiam hic prætermittuntur. Deinde vero non potiori jure hinc colligas Ostiarios & Exorcistas fuisse veros ac genuinos in Eeelesia Græea Ordines, quam Diaconissas, linguarum Interpretes, Laborantes, & alios præterea, quos innuit, ministros: eodem enim plane modo omnes recensentur. Sed ex Epiphanio colligere non licet hos postremos fuisse veros ac proprie dictos Ordines. Ergo nec alios.

Objicies 4. Synodus Laodicena *can.* 24. omnes Ordines recenset, Presbyteros, Diaconos, Ministros, Lectores, Cantores, Exorcistas, Ostiarios, & Ascetas. Ergo.

Respondeo 1. ab ea omitti Subdiaconos & Acolythos: 2. non magis inde posse colligi Exorcistas & Ostiarios esse veros ac legitimos Ordines, quam Cantores & Afeetas: 3. a Synodo, ut & ab Ignatio *supra*, Exorcistas infra Lectores eollocari, quod nempe de exorcistatus offieio, non de Ordine sermo sit: exorcistatus enim Ordo supra lectoratum constituendus foret.

Objicies 5. Joannes VIII. *in epist.* ad Basilium, Constantinum & Alexandrum imperatores, *tom. 9. Conc. pag.* 132. *&* 138. post admissum in sedem Constantinopolitanam Photium; de Græcorum Ordinibus loquens. " Volumus autem, inquit, ut talis promoveatur per singulos gradus Ecclesiasticos probatus; ut sit primum Lector, deinde Acolythus, postea Diaconus, tum Presbyter, posthæc Episcopus." Ergo.

Distinguo antecedens: & nomine *Acolythi* Subdiaconum intelligit; coneedo: & hoc nomine intelligit Acolythum a Subdiacono di-

ſtinctum; nego. Cum enim ſummus ille Pontifex Acolythum nominet, non autem Subdiaconum; jam vero Subdiaconi dubio procul eſſent in uſu, idem autem de Acolythis non liqueat; oportet *Acolythi* nomine Subdiaconum accipi, ne Ordo major & uſitatus videatur ab eo eſſe prætermiſſus, inauditus contra & inuſitatus præter morem inductus eſſe. Id autem eo magis poteſt aſſeri, quod pleraque Acolythi officia in Subdiaconum conſerrent Græci, ut monet Morinus *exercitatione* 14. *cap.* 1. *num.* 6. Certe alios minores præterit Joannes VIII. quidni etiam Acolythatum proprie dictum?

Objicies 6. Gabriel Philadelphienſis *in libello de ſacramento Ordinis* ſeptem Ordines apud Græcos eſſe affirmat. " Septem, inquit, ſunt „ Ordines ſacerdotii: 1. eſt Janitorum & Acolythorum, 2. Exorci- „ ſtarum, 3. Lectoris, 4. Subdiaconorum, 5. ſacrorum Diaconorum, „ 6. Presbyterorum, 7. Epiſcoporum. " Ergo Græci ſeptem Ordines agnoſcunt.

Respondeo Gabrielem iſtum recentiorem eſſe ſcriptorem, qui Græcos una cum Latinis in eo conciliare volens, ab Eccleſiæ Græcæ uſu longe abierit; eo minus audiendus, quod multa hic turbet. 1. enim Acolythos cum Janitoribus eoſdem eſſe ſtatuit: 2. Acolythos infra Exorciſtas, & Exorciſtas infra Lectores collocat: 3. epiſcopatum ſeptimo loco reponit.

Objicies 7. Scriptores græci præter Ordines modo aſſignatos, Epiſcoporum nempe, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Lectorum, plures alios Eccleſiæ miniſtros commemorant & exhibent. Ergo.

Distinguo antecedens: plures alios Eccleſiæ miniſtros citra Ordinationem proprie dictam creatos; concedo: Ordinatione proprie dicta creatos; nego. Quod ut perſpicuum fiat, obſervandum eſt Græcos apertum diſcrimen conſtituere inter Ordines, qui manuum impoſitione conferuntur, & varia Eccleſiæ miniſteria, quæ citra Ordinationem dantur: rurſum, ejuſmodi miniſteria duplicis apud eos generis eſſe: & alia quidem *officia* ſeu *dignitates* appellari; alia, quod infima ſint, dici *nuda miniſteria*. Sic Baſilius *epiſt. ad Amphil. can.* 51. diſtinguit Ordines & gradus ab iis miniſteriis, quæ ſine manuum impoſitione conferebantur: " „ Quod adverſus Clericos ſtatutum eſt, inquit, canones indefinite edi- „ derunt, unum in iis qui lapſi ſunt ſupplicium decerni jubentes, a „ miniſterio ſcilicet motionem, ſive ſint in gradu (hoc eſt Ordine;) „ ſive etiam in miniſterio, quod non impoſitis manibus datur, perſe- „ verent. " Eandem diſtinctionem adhibet ſynodus Chalcedonenſis *can.* 2. " Si quis Epiſcopus, inquit, propter pecunias ordinaverit Epiſco- „ pum vel Chorepiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel ali- „ quem eorum, qui Clero annumerantur; vel ob pecunias promoverit „ œconomum, vel defenſorem, vel paramonarium, vel omnino aliquem „ ex canone turpis quæſtus gratia; qui hoc tentaſſe convictus fuerit, „ de

„ de proprio gradu in periculum veniat : & qui eſt ordinatus vel promotus, ex Ordinatione vel ex promotione, nihil juvetur ; ſed ſit a „ dignitate vel officio alienus, quod pecuniis adeptus eſt. " Hic, ut clarum eſt, Ordinatio a promotione, & dignitas ab officio ſecernitur. Eam quoque ob rem Balzamon *in ſupplemento apud Goar pag.* 279. *col.* 1. " Officia Eccleſiaſtica, inquit, abuſive *gradus* vocantur. Eſt enim „ proprie gradus Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum & Lectorum, (hi ſunt Ordines ſupra recenſiti :) Officia autem ſunt honores & victus ſubminiſtrationes. " Iſtud etiam poſt Heraclium imperatorem in conſtitutione de Clericis majoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ *lib.* 2. *juris Orientalis*, Joannes epiſcopus Citri *ibid. lib.* 5. perſpicue docet : denique Simeon Theſſalonicenſis *in libello de ſacris Ordinat. apud Morinum*, *part.* 2. *pag.* 129. *cap.* 1. *&* *cap.* 13. *pag.* 187. Ordines pariter ſegregat ab officiis, & omnium Ordinum primum & infimum eſſe Lectoratum tradit: atque adeo his non tantum non convellitur doctrina ſupra propoſita, ſed etiam firmatur.

Objicies 8. Acolythi in eccleſia Latina conſtituuntur ut cereos Sacerdoti, ſacriſque myſteriis ac libris præferant. Sed in eccleſia Græca quidam erant ſimiliter Clerici qui ad idem munus deſtinarentur, & quidem ab Epiſcopo : idque non oratione tantum, ſed etiam manuum impoſitione peragebatur : qui Clerici idcirco *Ceroferarii* aut *Deputati* nominabantur : ſic apud Morinum *de ſacris Ordinationibus parte* 2. *pag.* 82. eſt " Oratio ſuper Ceroferario & Deputato. " *Ibidem pag.* 117. „ eſt, " Ordo obſervandus in promotione Cerophori & Deputati. " „ Imo hæc promotio *Ordinationis* nomine appellatur in quodam Euchologio apud Jacobum Goar *pag.* 237. ubi ſic habetur : " Oratio in Deputati & Ceroferarii Ordinatione, *χειροτονία*. De iiſdem verba ſacit Simeon Theſſalonicenſis apud Morinum *de ſacris Ordinationibus parte* 2. *pag.* 129. " Duæ ſunt, inquit, extra ſanctuarium manuum impoſitiones, Lectoris & Hypodiaconi, *χειροθεσίαι* : ſunt & aliæ, officiorum videlicet & Deputati, ſive ut ita dicam, Ceroferi, quæ „ ante Lectorem celebratur. " Horum porro Deputatorum non unum munus fuit : 1. enim Epiſcopo præibant, ut populum a via ſemoverent : ſic in explicatione officiorum ſanctæ & magnæ eccleſiæ apud Morinum *parte* 2. *pag.* 210. " Deputatus, inquit auctor, magnates ad „ Epiſcopum vocat, & populum a via emundat. " 2. Cereos ſeu lampades geſtabant, cum ſacra dona ad altare, aut liber Evangeliorum ad ambonem deſerebantur, ut conſtat ex orationibus *ſupra* memoratis, & Joanne epiſcopo Citri *lib.* 5. *juris Orientalis* apud Morinum *parte* 2. *pag.* 225. " Pallium geſtans (Deputatus) inquit, præit cum cereo ardente, cum Evangelium ad ambonem legendi cauſa deſertur ; cum ſacra dona ad altare ſolemniter portantur, & cum ad menſam propoſitionis referuntur. " De his inſuper conſule ex antiquis Cantacuzenum *lib.* 1. *cap.* 41. Codinum de officiis aulæ Conſtantinonolitanæ *cap.* 17. e recentioribus

bus vero Jacobum Goar, *pag.* 237. Morinum *supra*, & Cangium *in glossario græco*. Ergo cum de vocibus nulla debeat esse hac in parte quæstio, idem omnino apud Græcos, qui apud Latinos Acolythorum Ordo obtinuit.

Distinguo antecedens: quidam erant in ecclesia Græca Clerici ad Acolythorum officia designati nuda ac simplici promotione; concedo: Ordinatione; subdistinguo: Ordinatione improprie dicta; concedo: proprie dicta; nego. Itaque nemo ambigat quin extiterint in ecclesia Græca nonnulli, qui faces, cereos & lampades sacris mysteriis præferrent; hoc enim extra dubium est: sed quæritur an is Ordo verus esse ac legitimus censendus sit; quod non videtur, idque pluribus de causis. 1. enim hoc non potest consistere cum eo Ordinum numero, quem tot veterum testimoniis astruximus. 2. Nunquam ille recensitus fuit inter Ordines eos & gradus, quos obire ante Episcopatum juxta Ecclesiæ regulas oportuit. 3. Cum illi Deputati ac Ceroferarii infra Lectores reponantur, Lectoratus non esset primus Ordo apud Græcos: jam autem Lectoratum esse primum omnium Ordinem diserte affirmant auctor constitutionum & canonum apostolicorum, synodus Sardicensis, libri rituales, Joannes Damascenus, Concilium VIII. generale, & Joannes VIII. *supra*, Simeon Thessalonicensis *de sacris Ordinibus cap.* 1. & alii, quorum summa hac in parte auctoritas esse debet. 4. Simeon idem Thessalonicensis hos Deputatos ac Ceroferarios aperte sejungit ab Ordinibus eo ipso in loco qui opponitur, & inter officia amandat: imo ætate sua hæc officia penitus concidisse testatur. 5. Joannes Citri ne inter officia quidem Deputatos collocat, *lib.* 5. *juris Orientalis pag.* 328. apud Morinum *pag.* 225. " Vigiles, inquit, Deputati & Camisati non sunt " officia, sed ministeria circa sacrum altare ipsis convenienter tribu- " ta. " 6. De his Deputatis ac Ceroferariis apud veteres Græcos nulla mentio est; quod argumento est hæc officia nonnisi postremis temporibus esse excogitata, & brevi extincta. 7. Tandem nihil hoc juvare posset Theologos qui eosdem Græcis Ordines attribuunt, quos habent Latini: ejusmodi enim Ceroferarii apud Græcos in infimo ministerii gradu constituti sunt, apud Latinos autem in gradu longe superiori.

Instabis 1. Simeon Thessalonicensis indicat hoc munus manuum impositione seu χειροθεσία, conferri solitum esse.

Distinguo antecedens: manuum impositione seu χειροθεσία, quæ esset nuda ac simplex benedictio; concedo: quæ esset proprie dicta Ordinatio; nego. Certe hanc manuum impositionem Simeon ipse distinguit ab Ordinationibus proprie dictis; imo & aliam esse a minoribus Ordinibus evidenter docet. Dubitari tamen posset, an revera manuum impositio vulgo adhiberetur: hoc enim Morinus negat 3. *parte*, *pag.* 247.

Instabis 2. Euchologium græcum Goari huicce manuum impositioni *Ordinationis* nomen tribuit. Ergo.

Di-

Distinguo antecedens : Ordinationis improprie dictæ ; concedo : proprie dictæ; nego.

Objicies 9. Exorcistæ leguntur apud Græcos viguisse : eos enim commemorant Ignatius *epist. ad Antiochenos*, concilium Antiochenum *can.* 10. Laodicenum *can.* 24. Epiphanius *in expositione fidei pag.* 1104. Balzamon *ad can. Antiochenos*, Harmenopulus *in Epitome canonum*, *sect.* 1. *titulo* 9. Ergo.

Distinguo antecedens : Exorcistæ leguntur apud Græcos ut officium quoddam certis hominibus ac præcipue Clericis extra ordinem datum; concedo : ut verus ac legitimus Ordo ; nego. Quod enim Exorcistæ non essent verus Ordo, multa sunt quæ suadeant, præter illa quæ in universum & speciatim de Acolythis attulimus & huc referri possunt. 1. enim auctor constitutionum apostolicarum *lib.* 8. *cap.* 26. conceptis verbis affirmat Exorcistas non ordinari : " Exorcista, „ inquit, non fit Ordinatione; hoc enim .... charisma est : .... si ve„ ro necessitas postulet ut fiat Episcopus aut Presbyter, tunc ordina„ tur. " 2. Synodus Laodicena *can.* 26. pariter significat hoc fuisse officium, quod quidem non Ordinatione, sed promotione spontanea ab Episcopo conferretur : " Non oportet, ait, exorcizandi munus sibi „ vindicare, neque in ecclesiis, neque in privatis ædibus, qui ab E„ piscopis ad illud promoti non fuerint. " 3. Officium illud nunc Presbyteris, nunc Diaconis, nunc Lectoribus demandabatur : sic S. Procopius martyr ac Lector, exorcistæ munere fungebatur, ut legitur in ejus actis apud Valesium *in notis ad Eusebii librum de Palæstinæ martyribus cap.* 1. sic martyr alter nomine Romanus *ibid. cap.* 2. Diaconus idem & Exorcista erat ecclesiæ Cæsariensis, quo etiam modo Diaconi Exorcistæ memorantur in concilio sub Menna *actione* 5. sic denique testatur Goar *pag.* 239. *Euchologii*, *col.* 1. solos Sacerdotes in ecclesia Græca jam a longo tempore hoc Exorcistæ officium exercere posse : quod evincit hunc non fuisse fixum ac statum, aut peculiarem ac distinctum Ordinem. 4. Nulli sunt libri rituales Græcorum, in quibus hæc Exorcistarum Ordinatio compareat. Quo ergo jure in Ordinum numerum referatur?

Instabis. Exorcistæ dicuntur in synodo Antiochena *can.* 10. a Chorepiscopo ordinari : " Chorepiscopi, inquit, etiamsi Episcopi Ordina„ tionem acceperint, visum est, ut suum modum sciant ; ..... consti„ tuant autem Lectores, Hypodiaconos, & Exorcistas; .... nec Pres„ byterum, nec Diaconum ordinare audeant absque urbis Episcopo. " Ergo reipsa Exorcistæ ordinabantur.

Distinguo antecedens : ordinari, id est constitui ac designari; concedo : proprie ordinari; nego.

Objicies ultimo. Ostiarii non minori jure apud Græcos quam apud Latinos Ordinibus debent accenseri. 1. enim commemorantur inter alios Ecclesiæ ministros ab Ignatio *in epistola ad Antiochenos*, *supra* : Epipha-

nio

nio *in expositione fidei*; auctore constitutionum apostolicarum *lib.* 2. *cap.* 57. *pag.* 203. Dionysio vulgo Areopagita *de ecclesiast. Hierarchia cap.* 3. & Heraclio imperatore *novella* 2. de clero ecclesiæ Constantinopolitanæ. 2. Dicuntur esse *ecclesiastici Ordinis* a concilio Laodiceno *can.* 24. 3. *Clerici* nominantur ab eodem qui *supra*, auctore constitutionum apostolicarum *lib.* 3. *cap.* 11. *pag.* 220. " Sed neque, inquit, reliquos „ Clericos Baptismum conferre volumus, veluti Lectores, aut Psaltas, „ aut Janitores, " 4. Ordinari perhibentur *ibidem* : " Non etiam, in- „ quit, potestatem damus Presbyteris ordinandi Diaconos, vel Diaco- „ nissas, vel Lectores, vel Ministros, vel Cantores, vel Janitores; sed „ Episcopis solis. " 5. Ostiarios iisdem constringit legibus, quibus cæteros ex ordine ecclesiastico *lib.* 6. *cap.* 17. " In Episcopum, inquit, „ Presbyterum & Diaconum constitui præcipimus viros unius matrimo- „ nii : . . . Ministros vero, Lectores, & Ostiarios, ipsos quoque mo- „ nogamos esse jubemus. " 6. Denique Ostiarii eidem depositionis pœnæ subjacebant, cui omnes alii. Synodus Trullana *can.* 4. " Si quis E- „ piscopus, inquit, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Cantor, vel Le- „ ctor, vel Ostiarius cum muliere Deo dicata rem habuerit, depona- „ tur. " Non potest autem deponi, quin in gradu sit constitutus, e quo dejiciatur. Ergo.

Distinguo antecedens : Ostiarii debent accenseri Ordinibus ecclesiasticis improprie sumptis; concedo : proprie acceptis; nego. Officium ergo ecclesiasticum erat Ostiariorum, qui idcirco *Clerici*, latius accepto hoc nomine, vocabantur. Quod enim non esset Ordo proprie dictus, id patet 1. ex eo quod nulla sit in ritualibus græcis Ostiariorum Ordinatio : 2. Quia auctor constitutionum apostolicarum *lib.* 16. cum singulas Ordinationes earumque ritus accuratissime describit, istam prorsus silet; non omissurus profecto, si in usu fuisset. 3. A nullo concilio is gradus recensetur in eorum numero, quos ante Episcopatum decurri oporteat. 4. Justinianus imperator *novella* 13. omnes Clericorum Ordines qui in ecclesia Constantinopolitana militabant distincte enumerat; tum vero ait eos esse numero 425. & postquam hunc numerum absolvit, demum extra hos Clericorum Ordines collocat Ostiarios & insuper ait " Centum existentibus his, qui vocantur Ostiarii : " ac proinde juxta hunc Imperatorem Ostiarii distinguuntur a Clericis. 5. Hoc idem colligitur ex synodo Trullana *can.* 6. ibi enim singuli Ordines enumerantur, ut ii quibus nuptiæ permissæ sunt, ab aliis secernantur. Porro *ibidem* additur solos esse e Clericis Lectores ac Cantores, quibus uxores ducere liceat : at certum est Ostiariis id apud Græcos licuisse : atque adeo Ostiarii inter Clericos ab illa synodo non reponuntur. En ipsius verba : " Quoniam, inquit, in apostolicis canonibus dictum est „ eorum, qui non ducta uxore in clerum promoventur, solos Lecto- „ res & Cantores uxorem posse ducere; & nos, hoc servantes, decer- „ nimus ut nulli deinceps penitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Pres-

„ Presbytero post sui Ordinationem conjugium contrahere liceat. "
6. Ostiarii inter officia Ecclesiæ recensentur a Joanne episcopo Citri, & Codino *cap.* 1. apud Morinum 3. *parte pag.* 248. *col.* 2. 7. Hoc officium nedum peculiaris esset Ordo, modo his, modo illis Clericis, imo aliquando iis etiam qui Clerici non erant committebatur: unde Cotelerius *in librum* 2. *constitutionum apostolicarum*, *pag.* 182. " Portarum custodia, inquit, apud Græcos Ordo non est, sed officium quod legitur fuisse commissum Diaconis, Subdiaconis, aliisque Clericis, atque etiam non clericis. " Certe S. Maximus martyr *in cap.* 5. *hierarchiæ* Dionysii, vulgo Areopagitæ, " Nota, inquit, quod Diaconi fores tunc custodierint, nunc autem Subdiaconi. " Succinit Pachymeres in eundem locum: " Diaconi, inquit, tunc portas obtinebant, nunc autem Hypodiaconi. " Vide auctorem constit. apost. *lib.* 8. *cap.* 9. & 11. synodum Laodicenam *can.* 21. & 22. Zonaram & Balzamonem *ibidem*; Euchologium in Ordinatione Subdiaconi *pag.* 244. Goarum *pag* 246. Morinum *part.* 2. *pag.* 219. Allatium *epist.* 3. *num.* 26. *pag.* 107. & Cangium *lib.* 3. *Constantinopoleos christianæ cap.* 24. quibus positis facile dissolvuntur quæcunque præterea objici possent.

ASSERTIO II.

Nulli sunt alii apud Græcos, quam supra memorati Ordines, Episcoporum nempe, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, & Lectorum.

Probatur. Si qui forent alii apud Græcos Ordines proprie dicti, maxime Cantorum, Fossariorum, Diaconissarum, Confessorum, sacrorum Interpretum & Monachorum, qui aliquando Clericis videntur ab antiquis sociari. Sed hi non sunt Ordines proprie dicti, ut perspicuum erit, ubi omnia, quæ opponi queunt, diluerimus. Ergo.

Objicies 1. Cantores albo Clericorum & Ecclesiæ Ministrorum inseruntur ab Ignatio *in epistola ad Antiochenos*; auctore constit. apostol. *lib.* 3. *cap.* 11. & *lib.* 16. *cap.* 28. & 31. Liturgia Marco ascripta; Ephrem *in serm. de secundo Christi adventu*; synodo Laodicena *can.* 15. 23. & 24. Justiniano *Novella* 3. 13. & 123. concilio Trullano *can.* 33. Zonara *in Canonem* 2. *concilii Chalcedonensis*; Balzamone *ad canon.* 51. *epistolæ Basilii ad Amphilochium*; continuatore Theophanis *lib.* 1. & aliis. Atque ut pateat quo jure:

Primo in Cantoribus constituendis adhibebatur manuum impositio; ut constat ex Euchologiis duobus apud Goarum *pag.* 233. & 234.

Secundo hæc manuum impositio *χειροτονία*, seu Ordinatio nuncupatur *ibidem*.

Tertio Cantores in eo conferuntur cum Lectoribus a synodo Chalcedenensi *can.* 2. & Balzamone *supra*.

Quarto iisdem, quibus alii Clerici, legibus astringuntur a synodo Laodice-

dicena *can.* 24. & Justiniano imperatore de Episcopis & Clericis *lege* 45.

Quinto iisdem quoque pœnis subjiciuntur *can. apost.* 42. 43. *&* 69. & *can.* 4. synodi Trullanæ. Ergo.

DISTINGUO antecedens : albo Clericorum & ecclesiæ Ministrorum inferuntur, ut officium quoddam; concedo : ut Ordo verus; nego. Quod enim nudum officium esset, non proprie dictus Ordo, plura sunt quæ demonstrent. 1. est quod id officii modo his, modo illis Clericis injungeretur : nempe Lectores iidem vulgo Cantores erant. Unde in jure Græco Romano *lib.* 4. *pag.*2^1. Psaltanagnostæ uno vocabulo appellabantur: hinc etiam Sozomenus *lib.* 4. *hist. cap.* 3. de quodam Martiano loquens, " Erat autem Martianus, inquit, cantor & lector sacrarum Scriptura-„ rum: " sic Protopsaltes a Joanne episcopo Citri in numerum Lectorum refertur *pag.* 328. *juris Orientalis* : imo Zonaras *in can.* 22. *Concilii Laodiceni*, & Balzamon *in canonem* 4. *Trullanum*, acerbe conqueruntur quod Lectores neglecto fere legendi munere, uni Cantorum officio vacarent. Passim ergo hoc officium Lectoribus tradebatur : at alicubi tamen illud idem demandabatur Presbyteris; ut videre est apud Jobium *lib.* 6. *in Photii Bibliotheca*, & colligitur ex libro Manuelis Peloponesii, apud Lambecium *lib.* 5. *Bibliothecæ Cesareæ*, *pag.* 294. quod etiam notat Cangius *in glossario græco-barbaro*. 2. Reipsa in officiorum classem amandantur ab auctore Catalogi Officialium ecclesiæ Constantinopolitanæ apud Jacobum Goar *pag.* 271. 278. *&* 279. Codino *cap.* 17. *num.* 39. Zonara *in Leone Armeno*; Continuatore Theophanis *lib.* 1. Balzamone *ad canonem* 51. *epistolæ Basilii ad Amphilochium* & quidem eodem plane modo quo θεωροί, de quibus nulla potest esse dubitatio. 3. Cantores ex eunuchis passim fiebant, ut notat Balzamon *in can.* 4. *Trullanum*, atque adeo veri nominis Clerici non erant : id enim fuisset nefas. 4. Quæ Cantoris promotionem (hac enim voce utuntur) Euchologia exhibent, hæc eadem ajunt conceptis verbis Lectoris Ordinem esse omnium primum : " Fili, inquit Pontifex apud. Goarum, Lecto-„ ris officium primus est Sacerdotii gradus : " ac proinde, qui præcessit Cantoris, is inter varios sacerdotii gradus non numerabatur. 5. Non alia ratione videntur a nonnullis *supra* inter gradus ecclesiasticos referri, quam Monachi, Ascetæ, Confessores & alii ejusmodi. Atqui hi dubio procul non erant vere Clerici. Ergo.

OBJICIES 2. Copiatæ, qui aliter Laborantes, Laboratores, Fossarii, Lecticarii, Decani, Vespillones, Bajuli, ac forte etiam Porticani, dicti sunt, in clerum cooptantur ab Ignatio *in epist. ad Antiochenos*, Epiphanio *in expositione fidei*, Justiniano *novella* 57. *&* 59. Euchologio *in orationibus Lucernarii pag.* 39. & Auctore vitæ sancti Alexandri abbatis acœmeti *cap.* 6. *num.* 41. de quo etiam consuli possunt Jacobus Goar *pag.* 47. Cangius in Glossario utroque ad has voces *Bajulus*, *Decanus*, *Fossarius*, *Lecticarius*, *Copiator*; Vedelius in notis ad Ignatium; Cotelerius ad opera Patrum *pag.* 479. & Dominicus Macer *in Hieroexico*. Ergo. DI-

DISTINGUO antecedens : in clerum cooptantur, accepto latius hoc vocabulo ; concedo : proprie sumpto ; nego. Sane inter officia recensentur a Justiniano *novella* 43. & 59. & in catalogo officialium ecclesiæ Constantinopolitanæ *apud Goarum pag.* 272. imo & inter minoris notæ officia *in codice Allatiano*, *apud Cangium voce* Δεκανὸς : vide eundem insuper Goar *pag.* 290. Adde quod immunitate Clericorum omnes Copiatæ non gauderent, sed iisdem plerique tributis atque alii subderentur. Non erat ergo id verum Clericorum genus. Et vero nullibi legitur Copiatarum in ritualibus Ordinatio, nec gradus iste recensetur inter eos quos obire necesse sit antequam ad majores perveniatur : quæ quidem postrema observatio plurimum hoc in negotio valet. Cum enim legibus Ecclesiæ semper cautum fuerit ut per minores Ordines ad excelsiores ascendatur ; non est hic legitimus Ordo censendus qui hisce Ecclesiæ legibus non continetur. Sed Copiatarum Ordo nunquam his includitur, ut nec Cantorum, nec aliorum.

OBJICIES 3. Diaconissæ a multis *supra* sacris Ordinibus accensentur. Ergo.

DISTINGUO : ut officium quoddam; concedo : ut Ordo sacer ; nego. sed de Diaconissis postea disputabimus.

OBJICIES 4. Confessores adduntur Clericis ab Ignatio *supra*. Ergo.

DISTINGUO antecedens : ut gradus quidam dignitate ac veneratione conspicuus ; concedo : ut Ordo proprie dictus ; nego. Vide auctorem constitutionum apostolicarum *lib.* 8. in quo asserit Confessores ad Ordines non pertinere.

OBJICIES 5. Linguarum Interpretes ab Epiphanio aliis adjunguntur. Ergo.

DISTINGUO antecedens : ut munus quoddam in Ecclesia quandoque olim necessarium ; concedo : ut Ordo ; nego. Vide acta Procopii martyris apud Valesium *in cap.* ‧. *operis Eusebii de Palæstinæ martyr.* quod historiæ ejus libro 8. insertum est.

OBJICIES 6. Ascetæ & Monachi a nonnullis in graduum ecclesiasticorum ordinem referuntur.

DISTINGUO : ut status peculiaris ac sanctitate eximius ; concedo : ut Ordo proprie dictus ; nego.

INSTABIS. Græci Monachos primo faciebant, quos deinde ad Ordines sacros promovebant, ut videre est exemplo Photii *supra*, & colligitur ex synodo VIII. Ergo.

DISTINGUO consequens : ergo Monachatus habebatur ut dispositio ad Ordines; concedo : ut Ordo ; nego : Itaque Monachatus eundem fere apud Græcos, quem apud Latinos Tonsura, locum tenuit.

AR-

ARTICULUS III.

De numero Ordinum apud alias Orientis Ecclesias.

NOn unius generis sunt in Oriente Ecclesiæ : alii enim pontificem Romanum agnoscunt, & una nobiscum communionis tessera junguntur; quales sunt in monte Libano Maronitæ : alii , & majori sane numero , ejusdem sunt cum ecclesia Græca societatis ac doctrinæ , nec ita pridem schismate a Latinis divulsi : alii Nestoriano, aut Eutychiano dogmati adhærent , jam a duodecim sæculis ab universa Ecclesia sejuncti. Ac Nestoriani quidem Syriam ac remotissimas Asiæ partes potissimum insederunt: Eutychiani autem , qui se alio nomine Jacobitas dicunt, cum Syriam ex parte, tum Ægyptum omnem occupant: de his sigillatim, sed brevissime, differemus.

ASSERTIO I.

Jacobitæ Ægyptii, qui *Coptitæ* aliter appellantur, non alios habent quam Græci Ordines.

PROBATUR ex rituali eorum libro , quem ab Athanasio Kirkero versum exhibet Morinus 2. *par. pag.* 505. & Martenius *pag.* 583. a Lectoribus enim incipiunt & exinde solas Subdiaconorum, Diaconorum ac Sacerdotum Ordinationes describunt.

Nec est quod objicias Vanslebium, qui *in historia Ecclesiæ Alexandrinæ par.*4. testatur ab iis agnosci septem Ordines, Episcoporum videlicet, Curionum, Presbyterorum, Diaconorum, Archidiaconorum, Subdiaconorum, & Lectorum.

Cum enim sic Ordines numerant , nomen hoc latius sumunt . Nemo enim non intelligit Presbyteros v. g. Curiones & Episcopos uno sacerdotii genere concludi: quapropter id nostram assertionem non evertit, sed confirmat.

ASSERTIO II.

Nestoriani Syri eosdem Ordines usurpant.

PROBATUR ex rituali eorum libro quem habet Morinus *ibid. pag.*442. & Martenius *pag.*562. Totidem enim ibi sunt ac recensentur, quot apud Græcos & Coptitas, Ordines, Lectorum nempe, Subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum.

An vero idem judicandum sit de aliis Syris , qui aut Jacobitæ nominantur , aut græcæ Ecclesiæ adhærescunt , non satis liquet : Syri enim Jacobitæ in libro rituali suo quem profert Morinus *ibidem pag.* 479. tres duntaxat describunt Ordinationes, Episcoporum scilicet, Presby-

byterorum ac Diaconorum. Alii autem novem Ordines Clericorum ut & Angelorum agnoscere videntur in ea fidei formula quæ sub eorum nomine legitur *tom.3. perpetuitatis fidei*, *pag.*731.

ASSERTIO III.

Syri Maronitæ Cantorum Ordinem aliis adjiciunt, novemque Ordines esse definiunt.

PROBATUR ex rituali eorum libro quem repræsentat Morinus idem *pag.* 384. & post ipsum Martenius *pag.* 536. 1. enim illic seorsim describuntur Ordinationes Psaltæ ac Lectoris ; nec solum ambæ distinguuntur , sed etiam Cantoris Ordo ut gradus ad Lectoratum statuitur *ibid. pag.* 389. *litt.* C. " Supplicemus , inquit , pro eo qui hic astat , „ & impositionem manus divinæ sacerdotii nunc accipit ex ordine „ Psaltæ ad Ordinem Lectoris : " 2. *ibid.* novem Clericorum , ut & Angelorum Ordines conceptis verbis enuntiantur in Ordinatione Presbyteri apud Martenium *pag.* 548. " Novem , inquit , Ordines Angelorum in cœlis fecit Deus ut ministrent ei : novem Ordines sacerdotii in medio Ecclesiæ ut laudent eum . Hi porro Ordines sunt „ Psaltæ, Lectores, Subdiaconi , Diaconi , Archidiaconi , Presbyteri , „ Archipresbyteri, Chorepiscopi & Episcopi. " In quo, ut patet, vix ab aliis Orientalibus ecclesiis, & , si Psaltas excipis , voce tenus tantum discrepant.

Cæterum ex his robur accipiunt , quæ de ecclesia Græca modo disseruimus : cum enim Ostiarios , Exorcistas , & Acolythos non usurpent Orientis ecclesiæ , hinc firmatur quod diximus , hos Ordines in Ecclesia Græca nunquam extitisse : cum autem eædem ecclesiæ non agnoscant Cantorum nec Copiatarum Ordines nec alios id genus, nec ii apud Græcos admittendi sunt , quibuscum summa semper in ritibus necessitudine conjuncti fuerant . Quod autem Maronitæ Cantores inter Ordines recenseant , id opinioni nostræ non nocet , sed savet potius ; simul enim , ut par est , ex Cantoribus gradum quemdam inferiorem constituunt , quem ex ecclesiæ suæ moribus obire prius oporteat , quam ad Lectoratum quis evehatur . Id autem apud Græcos in usu nunquam fuit : ac proinde merito inter Ordines legitimos a Maronitis numeratur : immerito autem apud Græcos recenseatur : hæc enim Ordinum natura est , ut sibi invicem connexi , ac , ut ita dicam , subordinati sint, & inferiores gradum ad superiores faciant. Quod ergo argumento est Cantores apud Maronitas in Ordinum numero extitisse , illud idem probat , hunc Ordinem nunquam obtinuisse apud Græcos.

AR-

ARTICULUS IV.

De divisione Ordinum in sacros ac non sacros, in majores & minores.

QUÆRES 1. an non omnes Ordines sint sacri.

RESPONDEO omnes ex sese sacros esse: atque ita sine discrimine appellari a synodo Laodicena *can.* 24. Gregorio Magno *in sacramentario*; Elia Cretensi *ad Orationem* 19. *Gregorii Nazianzeni*; Ritualibus Græcis ac Latinis; Withredo rege Cantuariorum *in constitutione sua tom.* 6. *Conc. pag.* 1379. Simeone Thessalonicensi *cap.* 1. Sancto Thoma *in* 4. *dist.* 24. Henrico Kalteisen *de libera prædicat. verbi Dei, tom.* 12. *Conc. pag.* 1340. Quod etiam notant Hugo Menardus *ad sacramentarium Gregorii pag.*270. & Martenius *de antiquis ecclesiæ ritibus, cap.* 8. *art.* 1. *num.* 6. *pag.* 260. Imo omnes Ordines sacerdotii nomine frequenter appellantur: de quo videri possunt Gregorius Nazianzenus *orat.*19. Elias Cretensis *ibid.* Gabriel Philadelphiensis *cap.* 1. liber ritualis Maronitarum modo allegatus; Balzamon *ad can.* 51. *epist.* Basilii ad Amphiloch. Mericus Casaubonus *in notis ad Optatum lib.* 2. *editionis Priorii*, & alii.

QUÆRES 2. quinam ex his proprio ac peculiari jure *sacri* quondam dicerentur.

RESPONDEO ita proprie vocatos esse olim Ordines Sacerdotum ac Diaconorum; qua de re consule Leonem *epist.* 3. *Conc. pag.* 1296. Gregorium Magnum *lib.* 1. *indict.* 9. *epist.* 42. *tom.* 4. *pag.* 25. & Synodum Beneventanam anno 1091. sub Urbano II. quæ *can.* 1. decrevit " Ut nullus in Episcopatu eligeretur, nisi in sacris Ordinibus religio„ se vivens fuerit inventus. Sacros autem, inquit, Ordines dicimus „ Diaconatum & Presbyteratum; hos siquidem solos primitiva legitur „ habuisse Ecclesia. " Adde Lombardum *in* 4. *sententiarum libro, dist.* 24. S.Thomam *ibid.* Joannem de Ragusio in oratione de communione sub utraque specie, *tom.* 2. *Conc. pag.*11 2. & Kalteisen *supra*, ut recentiores sileam, Hugonem Menardum, Hugonem Mathoud, Morinum, Martenium &c.

QUÆRES 3. cur illi ordines soli eo nomine tunc donarentur.

RESPONDEO id factum esse pluribus de causis. 1. est. Quod illi a Christo instituti esse, atque adeo sacramenta esse ab omnibus vulgo existimarentur. 2. Quod hierarchici sint, & jurisdictionem habeant in plebem Christianam. 3. Quod constaret eos omni ævo in Ecclesia usurpatos esse. 4. Quod seorsim ab aliis ob eximiam sanctitatem, hoc est, ad altare traderentur, ut notat Gregorius *in libro Sacramentorum*. 5. Quod soli Sacerdotes ac Diaconi Eucharistiam attingerent: eam enim consecrabant Sacerdotes, Diaconi autem distribuebant. 6.Quod ex iis solis Episcopi assumerentur.

QUÆ-

QUÆRES 4. quinam Ordines hodie *sacri* nominentur.

RESPONDEO ita jam nuncupari proprie Ordines Sacerdotum, Diaconorum, ac Subdiaconorum.

QUÆRES 5. quo tempore ad duos superiores Subdiaconatus accesserit.

RESPONDEO id contigisse circa XII. sæculum, quod alibi expenditur.

QUÆRES 6. quam ob rem illi tres Ordines jam vocentur *sacri*.

RESPONDEO rem istam a S. Thoma *in 4. dist.* 24. *quæst.* 2. *art.* 1. exponi in hunc modum: " Ordo, inquit, dicitur sacer dupliciter: " uno modo secundum se; & sic quilibet Ordo est sacer: ..... " alio modo ratione materiæ circa quam habet aliquem actum; & sic " Ordo sacer dicitur, qui habet aliquem actum circa rem aliquam " consecratam: & sic sunt tantum tres Ordines sacri, scilicet Sacer- " dos & Diaconus qui habent actum circa corpus Christi, & sanguinem " consecratum, & Subdiaconus qui habet actum circa vasa consecrata: " & ideo etiam eis continentia indicitur, ut sancti & mundi sint, qui " sancta tractant.

QUÆRES 7. an non Ordines etiam dividantur in majores ac minores.

RESPONDEO ita esse.

QUÆRES 8. quinam olim *majores* appellarentur.

RESPONDEO ita quondam appellari solitos esse Ordines Sacerdotii ac Diaconatus, ut patet ex Gregorii sacramentario.

QUÆRES 9. quinam hoc ævo majores habeantur.

RESPONDEO tres esse; Sacerdotum nempe, Diaconorum, ac Subdiaconorum.

QUÆRES 10. cur *majores* illi dicantur.

RESPONDEO ita nominari quod majoris sint quam cæteri dignitatis: hæc autem major dignitas ex eo oritur, quod omnes illi ad sacra mysteria propius accedant; atque adeo nobiliores functiones eis attributæ sint: hinc etiam tres illi seorsim a reliquis conferuntur. Adde quod his omnibus ex æquo continentia indicta sit: iidem ergo Ordines majores sunt ac sacri.

QUÆRES 11. qua ratione Ordines dividantur apud Græcos.

RESPONDEO eos non dividi in sacros & non sacros, majores ac minores, de quo nulla est apud eos mentio; sed tribui in eos Ordines qui aut intra aut extra sanctuarium dantur, quod quidem ita explicat Simeon Thessalonicensis initio operis *de sacris Ordinationibus*: " Duæ, inquit, fiunt extra sanctuarium manuum impositiones, Lectoris & Hypodiaconi: .... Ordinationes autem eximiæ & propriedictæ, quæ intra sanctuarium fiunt, & in ipsa sanctissima mensa, tres sunt, ... Diaconi, Presbyteri, & Episcopi.

QUÆSTIO TERTIA.

De Materia & Forma sacramenti Ordinis in universum.

QUÆ Philosophis propria erant ad explicandam corporum compositionem, *materiæ* ac *formæ* vocabula, ea XIII. circiter sæculo ad Theologos manarunt, in ea potissimum quæ ad Sacramenta spectat doctrina, idque auctore, ut creditur, Guillelmo Altissiodorensi quem omnes exinde summa consensione secuti sunt. Materiæ autem & formæ nomine ea intelliguntur, ex quibus tanquam partibus, Sacramenta coalescunt. Materia porro vocatur ea res quæ in Sacramentorum administratione adhibetur: forma autem in certis verbis, quæ adjunguntur, posita est: qua de re fusius agunt qui de Sacramentis generatim disputant.

ARTICULUS PRIMUS.

An admittenda sit aliqua hujusce sacramenti materia ac forma.

COntroversia est non quidem præcise an aliqua res ad id sacramentum, ac certa insuper verba necessaria sint; sed universe, an ritus aliquis externus, quisquis ille sit, ad illud requiratur: propterea quod quædam sunt historiæ, ex quibus colligere quis posset Ordinationem solo voluntatis nutu perfici.

ASSERTIO.

Ad sacramentum Ordinis requiritur quædam materia ac forma, uno verbo, ritus aliquis externus.

PROBATUR 1. ipsa Sacramenti definitione: Sacramentum enim est signum sensibile invisibilis gratiæ, ac proinde in ritu quodam externo situm est. Et vero Sacramenta sunt vincula quædam sacra, quibus homines in unum Religionis nomen colligantur, quæque adeo debent extrinsecus patere. Denique Sacramenta hominibus accommodata esse oportet: ut ergo homines corpore, & anima constant: sic Sacramenta ex symbolo quodam externo, & gratia invisibili coalescunt.

PROBATUR 2. perpetua ac constanti Ecclesiæ traditione: non solum enim ritum aliquem externum in Ordinationibus semper usurpavit Ecclesia; sed etiam quinam esset adhibendus infinitis canonibus sanxit: de quibus postea.

PRO-

PROBATUR 3. ex ipso sacramenti hujus fine: eo enim certi homines addicuntur sacris, & Ecclesiæ præficiuntur: nisi autem externus aliquis ritus esset fixus ac status, quo crearentur, dignosci illi non possent, sicque intoleranda in rempublicam christianam rerum confusio ac perturbatio inveheretur.

PROBATUR 4. Eugenii IV. decreto: illic enim docet Sacramenta tribus perfici, rebus quidem ut materia, verbis ut forma, & intentione ministri.

OBJICIES 1. Christus cum in ultima cœna Apostolos sacerdotes fecit, nullum adhibuit ritum. Ergo nullus requiritur.

NEGO consequentiam. Sacramentum quippe non fuit, quo Apostoli facti sunt sacerdotes: & effectum sacramenti sine sacramento consecuti sunt. Cum nempe Christus gratiæ supremus sit arbiter, potuit Apostolis sacerdotalem potestatem sine Sacramento conferre, sicut iisdem gratiam christiani roboris die sacra Pentecostes largitus est citra sacramentum Confirmationis, & sine sacramento Pœnitentiæ mulieri peccatrici veniam concessit. Verum ex eo consequens non est ad ista omnia deinceps non esse Sacramenta instituta.

OBJICIES 2. Gregorius Nyssenus *in vita Gregorii Thaumaturgi* narrat eum, cum fugeret sacerdotium, & tridui itinere dissitus esset, Deo esse consecratum sacerdotem a Phædimo Amaseensium antistite, *to. 2. pag.* 545.

RESPONDEO Gregorium Thaumaturgum, eo quidem efficaciter addictum fuisse sacerdotio, quod fugiebat, non autem ordinatum sacerdotem. Nempe cum sic sacerdotii honorem & onus declinaret, tamque longe abesset, Phædimus ipsum coram Deo sacerdotio addixit: quod ita Deo acceptum fuit, ut Gregorium ad Phædimum redire compulerit. Cæterum exinde Gregorius solemni ritu in præsulem consecratus est; nec episcopalia munia ante obiit, quam pro more sacra Ordinatione inauguratus esset, ut idem Nyssenus notat: " Sic igitur, inquit, " jugum subire coactus, omnibus post hæc, quæ fieri solent, solemnibus " in eo peractis: πάντων μετὰ ταῦτα τ̃ νομίμων ἐπ' αὐτῷ τελεσθέντων: quod argumento est consecrationem primam non fuisse veram nec germanam Ordinationem.

OBJICIES 3. Daniel Stylita vir longe sanctissimus a Gennadio patriarcha Constantinopolitano sacerdos constitutus est non suscepta manuum impositione, ut refert Metaphrastes *in ejus vita* apud Surium *tom. 6. ad diem 11. Decembris.* Ergo.

DISTINGUO antecedens: non suscepta physice; concedo: moraliter; nego. Nimirum in summa columna hærebat Daniel, ideo dictus stylita, ad hujus autem columnæ pedem stabat Gennadius, qui, ut consuetudinis erat, preces peregit & manu versus Danielem extensa ac porrecta, ipsum sacerdotio mancipavit: hoc autem satis est. Quod etiam dicendum est in administratione Sacramenti Confirmationis, quoties majori numero sunt pueri, quam ut singulis manus imponantur. Sufficit enim eis, quæ versus omnes fit, manuum exporrectio: nempe non physice, sed moraliter agunt sacramenta. Quanquam nonnulli sunt scri-

ptores * qui afferant, post preces ad imam columnam recitatas, Gennadium in columnam ascendisse, ibique manus Danieli imposuisse. Quidquid autem ea de re sit, id extra ordinem & peculiari Dei jussu actum est, nec in exemplum trahi potest.

ARTICULUS II.

Quænam sit materia ac forma hujusce sacramenti.

Breviter hic ac generatim tantum perstringemus, quæ pertinent ad hujus sacramenti materiam & formam; quia cum non una sit omnium Ordinum materia ac forma, hoc erit alibi accuratius videndum: nunc autem eos impetimus qui Ordinationem nulli fixo addictam esse ritui, nulli verborum formulæ existimant.

ASSERTIO.

Materia sacramenti Ordinis in impositione manuum aut certorum instrumentorum porrectione necessario sita est; forma autem certis in verbis a Christo aut Ecclesia constitutis, nec pro arbitrio omittendis aut mutandis.

Probatur jugi & non interrupta Ecclesiæ Traditione. Si enim evolvantur antiqui canones ac rituales libri, aut impositio manuum, aut certorum instrumentorum porrectio occurret in Ordinationum ritibus, & certæ verborum ac precum formulæ, quibus ita addicti erant Præsules, ut ea pro arbitrio mutare nefas esset. Ergo.

Objicies 1. Nonnulli sunt juris canonici doctores, qui statuunt summum Pontificem, his solis verbis, *Esto episcopus*, *Esto presbyter*, posse Episcopos ac Presbyteros creare: ergo necessaria non est manuum impositio aut porrectio instrumentorum.

Respondeo id ab ipsis, si tamen ita opinantur, non solum gratis, & sine fundamento dici, sed etiam contra Ecclesiæ mentem & ipsorum canonum, quorum scientiam profitentur, concepta verba, & evidentem sententiam.

Objicies 2. Christus materiam & formam Ordinum non fixit nec determinavit: varia enim est pro variis Ordinibus, nec eadem uniuscujusque Ordinis semper fuit. Ergo.

Distinguo antecedens: Christus materiam ac formam Ordinum non fixit nec determinavit specifice; esto: generice saltem; nego. Duplex ergo est in scholis sententia Theologorum super materia ac forma Sacramentorum: alii enim arbitrantur eas esse generatim duntaxat a Christo determinatas; alii autem volunt eas esse speciatim ab ipso fixas, materiam saltem. Qui in priori opinione versantur, ii contendunt Christum universe tantum imperasse ut in Ordinationibus conferendis ritus aliquis externus adhiberetur qui potestatem Ordinatio-

* Baillet *in vitis sanctorum*, xi. Decembris.

natione traditam exprimeret, eique ritui verba quædam adjungerentur. Cæterum Ecclesiæ judicio deinceps permisisse, ut pro sapientia sua ritum illum speciatim faceret certaque contexere formula verborum, quæ etiam pro variis temporibus ac locis varia esse possent. Qui autem aliter statuunt, ii quidem consentiunt verborum, & orationum formulas esse in arbitrio Ecclesiæ positas a Christo, sed tamen ab ipso gratiam esse alligatam impositioni manuum ac precibus, ita ut penes Ecclesiam non sit impositione manuum, & precibus non uti. Sed ista de hierarchicis duntaxat Ordinibus intelligi queunt: certum est enim materiam ac formam aliorum non ita fuisse a Christo designatas. An vero hi Ordines inferiores ab ipso Christo proficiscantur, alibi differemus.

QUÆSTIO QUARTA.

De Effectibus sacramenti Ordinis.

DUplex est effectus Sacramentorum ut Theologi docent cum de Sacramentis generatim agunt: 1. isque omnibus Sacramentis communis, gratia est habitualis ac sanctificans: 2. isque certis Sacramentis proprius, est character quidam indelebilis, quo fit ut iterari nequeant, qualis Baptismo imprimitur.

ARTICULUS PRIMUS.

An Ordo conferat gratiam.

ASSERTIO.

ORdinatio gratiam largitur eamque sanctificantem.

PROBATUR 1. ex Scripturis. 1. Timoth. cap. 4. versic. 14. *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. 2. Timoth. cap. 1. vers. 6. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Quod autem hæc gratia non sit gratia, ut aiunt, gratis data ad aliorum utilitatem, sed gratia gratum faciens veraque dilectio ac charitas Dei, ex consequentibus patet. Eam enim exponens statim Apostolus, *Non enim*, inquit versu 7. *dedit nobis Deus spiritum timoris; sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis*.

PROBATUR 2. testimoniis Patrum *supra*, *pag.* 11. *& sequ.* allatis. Sic verbi gratia S. Gregorius Nyssenus invisibilem quandam gratiam homini per sacerdotium infundi testatur, quæ ipsius animam in meliorem ac plane divinum statum transferat.

Martyrius, gratiam qua deleri possint peccata.

Ambrosiaster gratiam unicuique Ordini propriam & donum justificationis agnoscit.

Auctor *quæstionum veteris ac novi Testamenti*, donum Spiritussancti.

Innocentius Primus, Spiritus sancti plenitudinem: & sic de cæteris.

PROBATUR 3. Ecclesiæ precibus. Cum enim sacræ Ordinationes celebrantur, in eo tota est Ecclesia ut gratiam iis annexam impetret a Deo, & ordinandis conciliet, atque id omnibus retroactis temporibus semper usurpavit, ut ex antiquissimis Ritualibus liquet.

PROBATUR 4. ratione. Sacramenta enim, ut omnes confitentur, gratiam conferunt. Sed Ordinatio; ut jam evicimus, est verum ac germanum novæ legis Sacramentum. Ergo.

ARTICULUS II.

An Ordinatio imprimat characterem.

GRavis est ac late diffusa ea, quæ de Ordinum charactere instituitur disputatio. Tota enim fere historia ecclesiastica revolvenda est, cum quæritur an character imprimatur Ordinatione, ac ita quidem imprimatur, & hæreat, ut etiam in hominibus sceleslis, simoniacis, contra fas intrusis, & invasoribus, depositis, aut a communione seclusis, schismaticis ac hæreticis perseveret; nec in iis maneat tantum, sed etiam ab ipsis communicari, & aliis tradi possit. Quapropter ut in tanta rerum copia necessarium ordinem teneamus, sit

SECTIO PRIMA.

An in Ecclesia catholica sacra Ordinatione character imprimatur.

LUtherani ac Calviniani negant ullum Ordinatione characterem insculpi: neque vero id mirum, cum omnem in Sacramentis characterem evertant, & Ecclesiæ hac in parte doctrinam; ut merum Innocentii commentum abjiciant, quemadmodum alibi Theologi admonent. Verum ut quam temere illud fiat in hac parte apertum sit omnibus, esto

A S-

ASSERTIO.

Ordinatio in Ecclesia catholica ritu legitimo collata characterem indit, quo fit ut iterari nequeat.

Probatur 1. pluribus Patrum testimoniis ac Conciliorum decretis, quæ dilucide patefaciunt hac de re Ecclesiæ sensum.

Primo enim canon apostolicus 67. eam ob rem Ordinationes iterari gravi pœna constituta prohibuit: " Si quis Episcopus, inquit, vel " Presbyter vel Diaconus secundam Ordinationem ab alio susceperit, " deponatur, & ipse, & qui ordinavit.

Secundo Synodus Capuana anno 389. *tom.* 2. *Conc. pag.* 1039. eadem etiam de causa ut rebaptizationes, sic reordinationes fieri vetuit.

Tertio Synodus Carthaginensis III. anno 397. *can.* 38. " Illud autem suggerimus, inquit, mandatum nobis, quod etiam in Capuensi " plenaria synodo videtur statutum: non liceat fieri rebaptizationes " & reordinationes.

Quarto Augustinus characterem hunc & indelebilem notam hanc luculentius adhuc exponit; & quidem multis in locis. Libro *de bono conjugali cap.* 24. *num.* 32. *tom.* 6. docens vinculum matrimonii illæsum semper consistere, etiamsi forte non sequatur generatio, in exemplo Ordinationem affert: " Quemadmodum, inquit, si fiat Ordinatio Cle" ri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequa" tur, manet tamen in illis ordinatis sacramentum Ordinationis; & si " aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, sacramento Domini " semel imposito non carebit, quamvis ad judicium permanente.

Lib. 2. *contra epistolam Parmeniani cap.* 13. *num.* 28. *tom.* 9. hac de re ex professo disputans adversus Donatistas, qui ajebant Baptismum quidem non amitti ab eo qui recedit ab Ecclesia, sed jus tamen dandi (Baptismatis ab eo) amitti: " Illud inquit, multis modis apparet " frustra & inaniter dici: Primo quia nulla ostenditur causa, cur il" le, qui ipsum Baptismum amittere non potest, jus dandi amittere " possit. Utrumque enim sacramentum est, & quadam consecratione " utrumque homini datur; illud cum baptizatur, istud cum ordinatur: " ideoque in catholica Ecclesia utrumque non licet iterari. Nam si " quando ex ipsa parte venientes etiam Præpositi pro bono pacis, cor" recto schismatis errore suscepti sunt, & si visum est opus esse ut " eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursum ordinati; sed " sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra .... Et cum " expedire hoc judicatur Ecclesiæ, ut Præpositi eorum venientes ad " Ecclesiam, honores suos ibi non administrent; non eis tamen " ipsa Ordinationis sacramenta detrahuntur, sed manent super eos: " ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, " sed ipsi Sacramento fiat injuria ..... Sicut autem habent in Baptis-

„ mo quod per eos dari possit; sic in Ordinatione, jus dandi: utrum-
„ que quidem ad perniciem suam, quandiu charitatem non habent uni-
„ tatis: sed tamen aliud est non habere; aliud perniciose habere; aliud
„ salubriter habere .... Quod si non correxerit, manebit ad pœnam
„ quod datum est: ...... non tamen pro non dato habebitur, neque
„ ullo modo per devotum militem, quod a privatis usurpatum est, si-
„ gnum regale violabitur .... Aut si quisquam sive desertor, sive qui
„ nunquam omnino militavit, nota militari privatum aliquem signet,
„ nonne ubi fuerit deprehensus ille signatus pro desertore punitur, &
„ eo gravius, quo probari potuerit nunquam omnino militasse, simul
„ secum punito, si eum prodiderit, audacissimo signatore? aut si for-
„ te illum militiæ characterem in corpore suo non militans pavidus
„ exhorruerit, & ad clementiam Imperatoris confugerit, ac prece fu-
„ sa & impetrata jam venia, militare jam cœperit, nunquid homine
„ liberato atque correcto character ille repetitur, ac non potius agni-
„ tus approbatur? An forte minus hærent Sacramenta christiana quam
„ corporalis hæc nota? cum videamus nec apostatas carere Baptisma-
„ te, quibus utique per Pœnitentiam redeuntibus non restituitur, &
„ ideo amitti non posse judicatur.
„ *Lib. 1. de Baptismo cap. 1. tom. 9.* " Sacramentum baptismi est, in-
„ quit, quod habet qui baptizatur: & sacramentum dandi baptismi
„ est quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, si ab unitate
„ recesserit, sacramentum Baptismi non amittit; sic etiam ordinatus,
„ si ab unitate recesserit sacramentum dandi Baptismi non amittit:
„ nulli enim Sacramento injuria facienda est. Si discedit a malis,
„ utrumque discedit: si permanet in malis, utrumque permanet. Sicut
„ ergo acceptatur Baptismus, quem non potuit amittere qui ab unita-
„ te discesserat; sic acceptandus est Baptismus quem dedit ille qui sa-
„ cramentum dandi, cum discederet, non amiserat. Nam sicut redeun-
„ tes, qui priusquam recederent baptizati sunt, non baptizantur; ita
„ redeuntes, qui priusquam recederent ordinati sunt, non utique rur-
„ sus ordinantur; sed aut administrant quæ administrabant, si hoc uti-
„ litas Ecclesiæ postulat; aut si non administrant, sacramentum tamen
„ Ordinationis suæ gerunt, & ideo eis manus inter laicos non impo-
„ nitur. " *Sermone* denique *de gestis cum Emerito Donatistarum episco-
po*. " Non, inquit, sic illos suscipimus (Hæreticos) ut sunt; absit a
„ nobis, nam hæretici sunt: suscipimus autem catholicos: mutantur,
„ suscipiuntur: sed propter malum quod habent, non in iis possumus
„ persequi bona quæ agnoscimus. Malum enim dissensionis, schismatis,
„ hæresis, malum suum habent: bona vero quæ in illis agnoscimus,
„ non sunt sua. Domini nostri habent bona: Ecclesiæ habent bona.
„ Baptismus non est ipsorum, sed Christi. Invocatio nominis Dei su-
„ per caput ipsorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei
„ est, non Donati .... In errante & deserente milite, crimen est de-

„ ser-

„ fertoris; character autem non est desertoris, sed Imperatoris . . . . .
„ non enim desertor characterem suum fixit . . . Jesus Christus quærit
„ desertorem, delet erroris crimen; sed non exterminat suum chara-
„ cterem.

Quinto Gregorius Magnus *lib.* 2. *epist.* 32. *indict.* 10. *tom.* 3. *pag.* 53. ad Joannem episcopum Ravennatensem, qui de quadam Ordinatione iteranda cogitabat. " Illud autem quod dicitis, inquit, ut is qui or-
„ dinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est, & ab ingenii ve-
„ stri consideratione extraneum: nisi forte quod exemplum ad medium
„ deducitur, de quo & ille judicandus est, qui tale aliquid fecisse perhi-
„ betur. Absit autem a fraternitate vestra sic sapere: sicut enim bapti-
„ zatus semel, iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est se-
„ mel, in eodem iterum Ordine non debet consecrari: sed si quis forsi-
„ tan cum levi culpa ad sacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indici
„ debet, & tamen Ordo servari.

Sexto Synodus Toletana VIII. anno 653. *tom. 6. Conc. pag.* 394. *cap.* 7. declamans adversus eos, qui cum e matrimonii statu, urgente necessitate ad Episcopatum assumpti essent inviti, contra leges Ecclesiæ ad pristinum conjugii usum redibant. " Nosse nos convenit, inquit, quod epis-
„ copalis eminentiæ divina auctoritas non immerito sacris omnibus esse
„ summa percensuit, quæ cæteris Sacerdotibus exercenda prohibuit . . . .
„ Scilicet templorum Dei sacrationem, chrismatis benedictionem, sa-
„ crorum Ordinum institutionem, quæ tam divinaliter ordinata persi-
„ stunt, quam excellentissime conferuntur . . . . Quomodo ergo quod in
„ se recipit a se rejicere poterit; cum hæc a nullo altero conferri, quam
„ a solis Pontificibus novit, a quibus nec ligata solvi, nec soluta pote-
„ runt ab aliquo religari? . . . . Nequaquam ergo aliquando poterit pro-
„ fanari, quod divina jussione, simulque apostolicæ traditionis auctorita-
„ te sacrum noscitur extitisse. Verum sicut sanctum Chrisma collatum,
„ & altaris honor evelli nequeunt; ita quoque sanctorum decus hono-
„ rum, ... qualibet fuerit occasione perceptum, manebit omnibus mo-
„ dis inconvulsum.

Septimo Synodus Tricassina II. anno 878. *tom.* 9. *Conc. pag.* 319. cui aderat Joannes VIII. summus pontifex, id etiam agnovit teste Aimonio seu Aimonii continuatore: „ Ipso jubente (Pontifice,) inquit,
„ lecti sunt in synodo canones Sardicensis concilii, ... sed & Afri-
„ cani canones, ut non fiant . . . . rebaptizationes, vel reordina-
„ tiones.

Octavo Arnoldus Bonavallensis abbas, seu quis alius, *de operibus Christi cardinalibus* apud S. Cyprianum, ubi de ablutione pedum, „ Bap-
„ tismum repeti, inquit, ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel san-
„ ctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumit accedere.
„ Nemo sacros Ordines semel datos, iterum renovat: nemo sacro oleo
„ lita, iterum linit aut consecrat; . . . . quia contumelia esset Spiritui-
san-

sancto, si evacuari posset, quod ille sanctificat; vel aliena sanctificatio emendaret, quod ille semel statuit & confirmat.

Hæc illi Patres: quibus quidem sententiis Ecclesiæ de charactere doctrina ita aperte continetur, nihil ut esse queat disertius. Quid enim est character quem admittimus? nempe nota quædam spiritualis a gratia distincta & ita animæ hærens, ut in viris etiam improbis ac iis qui ad functiones ecclesiasticas nullum jus habent, ad judicium perseveret; quo fit ut Ordinatio non iteretur. Atqui hæc omnia in allegatis modo veterum testimoniis reperiuntur. 1. enim conceptis verbis characterem hunc agnoscunt. 2. Illum cum nota militari, quæ corporibus imprimebatur olim, comparant. 3. Talem characterem etiam in malis perseverare asserunt, nec in malis tantum quibuslibet, sed etiam in Hæreticis, licet non ad præmium, sed ad supplicium. 4. Eo fit, juxta illos antiquos, ut Ordinatio inconcussa sit & iterari nequeat. 5. Hac in parte Ordinatio confertur cum Baptismo & Confirmatione. Et vero quidnam illud est quod sancti illi doctores etiam in perditis hominibus adeo firmiter, & ad perniciem manere definiunt? Tria enim duntaxat in Sacramentis secerni queunt, ritus scilicet externus, gratia, ac character. Quidnam ergo illud est de quo Patres loquuntur? an gratia? minime profecto: non enim illa est in improbis ac Hæreticis: an ritus externus? at ille statim evanescit: ergo character est quidam indelebilis, quem volumus ac probamus.

PROBATUR 2. consensione Theologorum, v. g. Guillelmi Parisiensis *cap.* 3. *de Baptismo;* Alberti *in* 4. *dist.* 6. *art.* 3. *&* 4. Alexandri Alensis 4. *parte*, *quæst.* 8. *membro* 8. *art.* 1. Petri Pictaviensis *in distinct.* 24. Scoti *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 9. Durandi *in* 4. *distinct.* 4. *quæst.* 1. Gabrielis *in* 4. *dist.* 6. *quæst.* 2. *&c.*

PROBATUR 3. auctoritate Pontificum, qui id pro certo habuere, ac Conciliorum quibus idem definitum est.

Primo Innocentius III. *extrav. de Baptismo & ejus effectu*, *cap.* Majores, *lib.* 3. *decretalium Gregorii*, *tit.* 42. *pag.* 320. id pro re constanti & ab omnibus concessa statuit: ex quo duo consequuntur: primum, ab Innocentio III. excogitatum non esse hunc characterem, quod Hæretici imperite contendunt: alterum, de eo a nemine tunc fuisse dubitatum.

II. Eugenius IV. in decreto pro Armenis *tom.* 13. *Conc. pag.* 535. declarat in Sacramento Ordinationis, sicut & in Baptismo & Confirmatione, characterem imprimi, qui nec deleri nec auferri possit. Etenim post recensita Sacramenta. « Inter hæc Sacramenta, inquit, tria sunt, » Baptismus, Confirmatio & Ordo, quæ characterem, id est spirituale quoddam signum a cæteris distinctivum imprimunt in anima indelebile; unde in eadem persona non reiterantur. »

Tertio Synodus Tridentina *sess.* 7. *can.* 9. de Sacramentis in genere, illud idem in fidei dogma suscepit: « Si quis dixerit, inquit, in tri-

» bus

„ bus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine non „ imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spiritale „ & indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit. *Sess.* autem 22. *cap.* 4. hoc ipsum quoad Ordinationem repetit: " Quoniam vero, „ inquit, in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo & Confirma- „ tione, character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest; me- „ rito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi „ testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, „ & semel rite ordinatos iterum laicos effici posse, si verbi Dei mi- „ nisterium non exerceant. " Quod quidem iterum decernit *can.* 4. " „ Si quis dixerit, inquit, per sacram Ordinationem .... non imprimi „ characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri „ posse; anathema sit.

PROBATUR 4. ratione. Illud enim Sacramentum characterem imprimere intelligitur, quod ita hæret in hominibus perditis, desertoribus, schismaticis & hæreticis, ut iterari non possit. Atqui tale est Ordinis Sacramentum, ut jam innuimus & fusius deinceps evincemus. Ergo.

SECTIO SECUNDA.

An character etiam in improbis maneat & ab ipsis tradi possit.

NON pauci quondam extiterunt Hæretici, qui Sacramentorum vim e ministri probitate suspensam esse docuerint.

Ac Primo quidem Donatistæ, quos Augustinus eam ob rem pluribus libris coarguit, asseruerunt a malis pollui Sacramenta, iis præsertim qui criminibus manifestis tenerentur, aut qui ab Ecclesia sejuncti essent. Quin etiam nonnulli eo progressi sunt, ut pro majori vel minori Sacerdotum sanctimonia copiosiorem aut pareiorem gratiam a Deo conferri arbitrarentur.

Secundo Waldenses simili errore censuerunt improbos Sacerdotes omni auctoritate excidere, & adjecerunt sacerdotii officio fungi posse quemlibet e laicis, modo vir probus foret: qua de re consule Bernardum de Fontecaldo adversus Waldenses; Alanum contra eosdem *lib.* 2. Phylicdorfium *cap.* 1. Reinerium *cap.* 5. Emericum in Directorio *parte* 2. *quæst.* 14. Inquisitionem, quæ in eos facta legitur apud illustrissimum Episcopum Meldensem, *Variationum lib.* 11. *num.* 101. denique Seyssélium archiepiscopum Taurinensem de iis disserentem.

Tertio in eundem scopum impegit Joannes Wiclefus, ut constat ex ejus Trialogo *lib.* 4. *cap.* 10. 14. 23. 25. & 32. Certe in bulla Martini V. summi Pontificis, *tom.* 12. *Conc. pag.* 1264. is est decimus e damnatis Wiclefi articulis: " Si Episcopus vel Sacerdos existat in pecca-

„ to

„ to mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non „ baptizat.

Quarto Hussitæ non tantum in eodem luto hæserunt, sed etiam addidisse visi sunt, eos non esse veros ac genuinos Ecclesiæ pastores aut Pontifices, qui prædestinati non forent: de quo synodus Constantiensis *sessione* 15. *tomo* 12. *Conc. pagina* 130. *art.* 11. 12. 13. & Martinus V. in Constitutione sua *art.* 8. 11. 12. 13. 20. 22. 24. *&* 26.

Quinto Antonius de Dominis *lib.* 2. *de Republica christiana cap.* 4. *num.* 35. his ex parte adhæsit: quamvis enim non existimet per quodlibet lethale peccatum amitti characterem; sentit tamen tunc illum radicitus extirpari, cum scelera gravia sunt, ac tanta, ut excommunicatione aut depositione plecti mereantur.

Contra hos omnes pugnabimus, sed breviter, quod ista disputatio magis ad eos pertinere videatur, qui de Sacramentis generatim scribunt.

ASSERTIO.

Ordinationis character in hominibus etiam scelestis manet & ab iis conferri potest.

PROBATIONES.

Probatur 1. auctoritate Scripturarum, & iis potissimum locis quibus Augustinus ad Donatistas revincendos usus est. Nempe Scripturæ satis ostendunt unum Deum esse, qui inter Sacramenta administranda auctor gratiæ sit; homines vero tantum esse Dei ministros, sacrorumque mysteriorum dispensatores duntaxat, non dominos: Joan. 1. 33. de Christo. *Hic est*, inquit Joannes Baptista, *qui baptizat in Spiritu-sancto.* Isaiæ 43. 25. *Ego sum*, inquit Deus, *ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me.* 1. Cor. 1. 12. *Unusquisque vestrum*, inquit Apostolus, *dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ: ego autem Christi. Divisus est Christus? nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Cap. 3. 4. *Quid igitur est Apollo? quid vero Paulus? ministri ejus cui credidistis ..... Ego plantavi, Apollo rigavit; sed Deus incrementum dedit. Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Cap. 4. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Jam autem probus sit aut malus procurator, non interest rei, quam nomine Domini agit; modo id exequatur, quod sibi mandatum est. Ergo.

Et vero *Josue* 24. 10. Deus de Balaam viro notæ impietatis, qui maledicere tentabat Israelitis, loquens, *Ego*, inquit, *nolui audire eum; sed e contrario per illum benedixi vobis*: ac proinde per malos etiam ministros suis benedicit Deus. Adde quod eadem hac in parte ratio sit Sacramentorum ac prædicationis Evangelii. At ex Scripturis præconum Evan-

Evangelii vitia non officiunt audientium saluti. Philip. 1. 15. *Quidam* inquit Paulus, ... *propter invidiam & contentionem; quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant : quidam ex charitate, ... quidam autem ex contentione .... Quid enim? dum omni modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur ; & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.*

Probatur 2. Ecclesiæ judicio, quæ istos omnes, Donatistas dico, Waldenses, Wiclefistas & Hussitas tanquam hæreticos eam ob rem proscripsit.

Probatur 3. decretis concilii Constantiensis & constitutione Martini V. adversus Wiclefum & Johannem Hus *supra* allatis: quibus adjungere licet synodum Tridentinam *sess. 7. can.* 12. de Sacramentis in genere ita loquentem : " Si quis dixerit, inquit, ministrum in pecca„ to mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramen„ tum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit ; non con„ ficere aut conferre Sacramentum ; anathema sit.

Probatur 4. Patrum testimoniis, ex quibus duos adduxisse sat erit.

Augustinus, præter illa quæ locis modo allegatis docuit, *tract.* 5. *in Joan.* " Si fuerit, inquit, superbus minister, cum Diabolo computatur: „ sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit, purum „ est ; quod per illum transit, liquidum venit ad fertilem terram : .... „ per lapideum canalem transit aqua ad areolas, in canali lapideo ni„ nil generans ; sed tamen hortis plurimum fructum affert. " *Lib.* autem 3. de Baptismo contra Donatistas *cap.* 10. *tom.* 9. *pag.* 113. " Ipsa „ ejus (sacramenti) sanctitas, inquit, pollui non potest, & Sacramen„ to suo divina virtus assistit, sive ad salutem bene utentium, sive ad „ pœnam male utentium. An vero solis vel etiam lucernæ lux, cum „ per cœnosa diffunditur, nihil inde sordium contrahit ; & baptismus „ Christi potest cujusquam sceleribus inquinari ? " At quæ Baptismi, „ eadem est Ordinis ratio.

Bernardus Magistro consentiens *serm. 66. in Cantica*, pro hæreticis habet qui dicunt, " Peccatores sunt Episcopi, ... ac per hoc nec „ dandis nec accipiendis idonei Sacramentis.

Adde Nicolaum Papam ad consulta Bulgarorum hoc ipsum apta comparatione illustrantem : " Cerea fax accensa, inquit, sibi quidem de„ trimentum præstat, aliis vero lumen in tenebris administrat; & un„ de aliis commodum exhibet, inde sibi detrimentum præbet. Sic vide„ licet malus minister bona Sacramenta administrando aliis est utilis ; sed quia sacro-sancta Sacramenta pollutis manibus tractat, sibi nocet eo ipso opere, quo aliis prodest.

Porro ex istis fontibus in scholas manavit hæc doctrina, cujus quidem eximiam causam affert S. Thomas 3. *parte*, *quæst.* 64. *art.* 5. *in corpore* : " Dicendum, inquit, quod ministri Ecclesiæ instrumentaliter

„ ope-

„ operantur in Sacramentis, eo quod quodammodo eadem ratio est
„ ministri & instrumenti : ..... instrumentum autem non agit secun-
„ dum propriam formam, ... sed secundum virtutem ejus a quo mo-
„ vetur : & ideo accidit instrumento in quantum est instrumentum,
„ qualemcunque formam vel virtutem habeat, præter id quod exigitur
„ ad rationem instrumenti : sicut quod corpus Medici (quod est in-
„ strumentum animæ habentis artem) sit sanum vel infirmum; & sic-
„ ut quod fistula per quam transit aqua sit argentea vel plumbea: un-
„ de ministri Ecclesiæ possunt Sacramenta conferre, etiamsi sint boni
„ vel mali.

PROBATUR 5. multiplici insuper ratione.

Prima est, quod potestas conferendorum Sacramentorum sit gratia, ut loquuntur Theologi, gratis data, in aliorum videlicet commodum & Ecclesiæ utilitatem concessa. Ejus autem generis gratiæ etiam cum peccato consistere possunt, ut de facultate miraculorum ac vaticiniorum edendorum constat ex Matth. cap. 7. 22. *Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.*

Secunda, quod juxta hæc Christi verba Matth. 23. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ... facite, secundum opera vero eorum nolite facere:* qui mali sunt sacerdotes non ideo potestate sua excidant.

Tertia est, quod incertus admodum foret Ecclesiæ & singulorum fidelium status, si effectus & character Sacramentorum ex ministri probitate penderet. Quis autem sibi persuadeat Christum, Dei sapientiam & virtutem, Ecclesiam sponsam suam tanto objecisse discrimini?

Quarta, si quæ crimina gravia sint, ea maxime quæ depositioni, & excommunicationis pœnis afficiuntur, ut simonia, schisma, hæresis. Atqui, ut modo ostendemus, character perseverat etiam in simoniacis, depositis, schismaticis, hæreticis. Ergo.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. In constitutionibus Apostolicis *lib.* 8. *cap.* 2. dicuntur ii non esse veri episcopi qui docti aut sancti non fuerint : " Ne-
„ que vero, inquit auctor, rex impius, rex est amplius, sed tyran-
„ nus; neque episcopus ignorantia aut malo animo oppletus, verus
„ est, sed falsus episcopus, non a Deo, sed ab hominibus promotus,
„ ut Ananias & Semeias in Israel, Sedecias, & Achias ..... Imo &
„ Balaam vates pœnas exolvit : ...... & Caiphas postea sibi mortem
„ conscivit ...... Præterea reges Israel & Juda ob impietatem pœnas
„ omnis generis luerunt. Liquet ergo falsos episcopos & presbyteros
„ non evasuros ex supplicio Dei. " Ergo per peccatum sacerdotalis potestas aufertur.

DIS-

DISTINGUO antecedens: non sunt veri episcopi, ratione finis propter quem institutus est episcopatus; concedo: ratione characteris; nego. Itaque ejusmodi locutio nihil aliud significat, quam eum non assequi episcopatus finem, qui doctus & sanctus non fuerit, licet revera sit episcopus quoad characterem. Sic dicitur non esse homo, qui juxta rationis normam non vivit: sic diceretur non esse consul, qui reipublicæ bono non invigilaret. Uno verbo *in constitutionibus Apostolicis* eadem ratione dicuntur illi non esse episcopi, qua dicuntur non esse reges, qui impii fuerint. An autem idcirco principes illi omni regnandi jure spoliantur? an vero non erat sacerdos Caiphas quem hic auctor commemorat? an non legitimi reges erant, quos idem notat Israelitis ac Judæis non sancte præfuisse?

INSTABIS. Dicuntur illi non a Deo, sed ab hominibus esse promoti. Ergo.

DISTINGUO antecedens: non a Deo juxta voluntatem beneplaciti & complacentiæ; concedo: secus; nego. Ita ergo loquitur hic scriptor quod hujusmodi episcopi non sint juxta cor Dei. Quod enim aliunde sacerdotalem potestatem accipiant ac servent, id docet ex professo *ibidem*, *cap.* 1. & quidem ea ratione quam supra attigimus; quod nempe sacerdotium, ut & prophetia & miraculorum patrandorum facultas, sint gratiæ gratis datæ ad aliorum dumtaxat utilitatem.

OBJICIES 2. Dionysius, vulgo Areopagita, *epist.* 8. quæ est ad Demophilum, *tom.* 2. *pag.* 112. " Quod si Sacerdotum Ordo, inquit, illu-
" strandi vim habet, profecto penitus abhorret a Sacerdotum Ordine
" & facultate, quisquis illustrandi vi caret: multoque magis is, qui nec-
" dum illustratus est. Ac mihi quidem nimis temerarius videtur hujus-
" modi, si sacerdotalia sibi vindicet, ... audeatque sceleftas blasphe-
" mias suas (neque enim preces dixerim) in divinis mysteriis ad Christi
" imitationem pronunciare. Non est sacerdos, non est; sed inimicus,
" dolosus, illusor sui, & lupus in Dominicum gregem ovina pelle ar-
" matus. " Ergo.

DISTINGUO antecedens: non est sacerdos, id est officio sacerdotis, ut par est, non fungitur; concedo: id est sacerdotali charactere non est insignitus; nego. Sic iniquus judex dicitur vulgo non esse judex, sed latro; nec pastor, qui non pascit gregem. Neque vero alia Dionysii mens fuit, ut colligitur ex primis ipsius verbis: " Quod si, inquit, sa-
" cerdotum Ordo illustrandi vim habet; profecto penitus abhorret a sa-
" cerdotum Ordine ac facultate quisquis illustrandi vi caret: multoque
" magis is, qui necdum illustratus est. " Illiteratos enim ac docendi non peritos ex eo non esse sacerdotes arguit, quod, cum sacerdotum sit alios illustrare, ipsi nec illustrati sint, nec illustrare alios possint: ergo spectatur illic officium non character. Sane Dionysius in hac epistola Demophilum monachum, qui ejecerat quemdam sacerdotem, munere suo abutentem reprehendit, docetque non posse sic ejici sacerdotem, etiamsi

etiamsi impie in divinam legem fecisse quid videatur: atque hac temeritate constitutum a Deo ordinem confundi ac Christi instituta violari. Atqui ita non posset loqui Dionysius, si qui peccat sacerdos, is illico omni auctoritate excideret. Ergo.

INSTABIS. Dionysius blasphemias esse definit, quas ejusmodi sacerdos in sacrificio fundit preces. Ergo.

DISTINGUO antecedens: esse blasphemias, seu ut græce est δυσφημίας, hoc est imprecationes, ratione ipsius habita; concedo: ratione habita sacrificii; nego. Sanctum ergo & infiniti pretii sacrificium est quod ille offert: sed cum indignus sit qui offerat, per sese mala potius quam bona in plebem adduceret. Cyprianum mox allegandum vide.

OBJICIES 3. S. Cyprianus *epist.* 68. ad clerum & plebes in Hispania consistentes, " In Ordinationibus Sacerdotum, inquit, non nisi
" immaculatos & integros Antistites eligere debemus, qui sancte, &
" digne sacrificia Deo offerentes, audiri in precibus possint, quas
" faciunt pro Dominicæ plebis incolumitate; cum scriptum sit: *Deus*
" *peccatorem non audit*... Nec sibi plebs blandiatur, quasi immunis
" esse a contagio delicti possit, cum sacerdote peccatore communi-
" cans, & ad injustum atque illicitum Præpositi sui episcopatum con-
" sensum suum commodans, quando per Osee prophetam comminetur
" & dicat censura divina: *Sacrificia eorum tanquam panis luctus: omnes qui*
" *manducant ea, contaminabuntur*: quod item in Numeris manifestari inve-
" nimus, quando Core, Dathan & Abiron contra Aaron sacrificandi sibi
" licentiam vindicaverunt. " Ergo.

RESPONDEO illic agi de electione Episcoporum, non de eorum charactere. Quis autem dubitet integros; & immaculatos Antistites eligi oportere? hoc enim non Cypriani duntaxat, sed piorum omnium votum.

INSTABIS. Cyprianus addit horum Præsulum sacrificia Deo grata non esse. Ergo.

DISTINGUO: grata non esse ex opere operantis; concedo: ex opere operato; nego.

INSTABIS 2. At ne grata quidem dici possunt ex opere operato; vocantur enim *panis luctus*. Ergo.

DISTINGUO: vocantur *panis luctus*, quatenus sumitur ab iis qui communione junguntur cum ejusmodi Episcopis; concedo: ex sese; nego. Id patet ex ipsis Cypriani verbis.

INSTABIS 3. Iidem Antistites conferuntur cum Core, Dathan, & Abiron. Atqui hi nullam sacerdotalem habuere potestatem. Ergo.

DISTINGUO antecedens: conferuntur quoad jus legitimum munium sacerdotalium obeundorum; concedo: quoad intimam potestatem; nego.

OBJI-

OBJICIES 4. S. Hieronymus *in cap. 3. Sophoniæ , tom. 5. pag.* 218. affirmat eos errare qui " putant Euchariſtiam facere imprecantis ver-„ ba , non vitam ; & neceſſariam eſſe tantum ſolemnem orationem, „ & non Sacerdotum merita. " *In cap. 1. epiſt. ad Gal.tom.6.pag.*120. ſacerdotium " ab homine eſſe non a Deo, cum quis hominum favore ac „ ſtudio eligitur. " *In cap.* autem 4. *epiſt. ad Epheſ. ibid. pag.* 178. neminem poſſe in Eccleſia " Paſtoris ſibi nomen aſſumere, niſi qui poſſit do-„ cere quos paſcit. " Ergo.

RESPONDEO ad ſingula.

Ad 1. hoc dici de Euchariſtia digne oblata, non de Euchariſtia valide conſecrata: hoc autem ſenſu nihil verius eſt, quam quod ait Hieronymus: non enim Sacerdotum verba faciunt ut Euchariſtia digne oblata cenſeatur, ſed vita; quamvis verba ſufficiant, nec vita requiratur, ut valide Euchariſtia conſecretur: ſic reponit ad hunc locum S.Thomas *3.par.qu.*82. *art.* 5. Atque hæc reſponſio firmatur iis quæ apud Hieronymum conſequuntur : ſubdit enim Judices, Prophetas, Sacerdotes, non dignitate ſua, ſed operibus ſuis ſalvos fore.

Ad 2. ſacerdotium iſtud exiſtimari eſſe ab homine , non a Deo quoad electionem, quamvis a Deo ſit quoad poteſtatem.

Ad 3. neminem quidem poſſe Paſtoris nomen ſibi legitime vindicare, niſi docere poſſit quos paſcit , ſed eum tamen qui docere non poſſit , verum eſſe Epiſcopum quoad characterem.

OBJICIES 5. Auctor *operis imperfecti in Matth.* inter opera Chryſoſtomi, *hom.* 53. aſſerit eos non eſſe apud Deum Eccleſiæ miniſtros , qui ab ipſo electi non fuerint. Ergo.

DISTINGUO antecedens: non eſſe apud Deum, quoad mercedem bonis paratam; concedo: quoad characterem; nego. Adde quod auctor iſte fidei ſuſpectæ merito habeatur , ac proinde nullius eſſe queat auctoritatis. Et vero Chryſoſtomus, ſub cujus nomine perperam a multis laudatus eſt, *in epiſt. ad Timoth.* docet malos ac perditos Sacerdotes Baptiſmum nihilominus conferre , & Euchariſtiam vere conficere poſſe.

OBJICIES 6. Gelaſius *epiſt. ad Elpidium* quæ refertur decreti 1. *parte cauſa* 1. *quæſt.* 1. *cap.*92. "Sacro-ſancta religio , inquit , quæ catholicam „ continet diſciplinam, tantam ſibi reverentiam vindicat, ut ad eam qui-„ libet, niſi pura conſcientia, non audeat pervenire. Nam quomodo ad „ divini myſterii conſecrationem cœleſtis Spiritus invocatus adveniet , „ ſi Sacerdos, & qui eum adeſſe deprecatur criminoſis plenus actioni-„ bus reprobetur ? " Ergo nullam improbus Sacerdos conſecrationem efficit.

DISTINGUO antecedens : non advenit Spiritus ſanctus ex opere operantis; concedo: ex opere operato ; nego : quod quidem ex ſupradictis ſatis intelligitur.

SECTIO III.

An character Ordinationis in Simoniacis, & ab ipsis infigatur.

POstquam generatim expendimus an character in improbis maneat, de simoniacis agendum est speciatim, propterea quod simonia gravissimum est peccati genus, & ea frequenter Ordinatio quondam contaminata est.

Simonia autem est, juxta S. Thomam 2.2. *quæst.* 100. *art.*1. "Studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.

Jam vero quod pertinet ad institutum nostrum, simonia vel utrumque, ordinatum videlicet & ordinantem, simul inficit, vel alterutrum duntaxat; sive alteri nota sit, sive ignota, sive in ipsa Ordinatione intercedat, sive ab ea prorsus sejuncta sit.

1. enim fieri potest ut uterque vel alteruter saltem, jam ex anteacto tempore, simonia laboret, etiamsi Ordinatio nullatenus simoniaca sit.

2. Potest esse simoniaca Ordinatio ex una duntaxat parte, non item ex altera.

3. Potest ex mutuo pacto ab ambobus simul in ipsa Ordinatione simonia admitti.

4 Cum ab uno duntaxat vel intra vel extra Ordinationem admissa est, ea ab altero vel cognoscitur vel ignoratur. His positis sit

ASSERTIO.

VALIDÆ semper habitæ sunt in Ecclesia simoniacorum Ordinationes.

PROBATIONES.

PROBATUR 1. constanti ac perpetua Ecclesiæ traditione. Cum enim infinitos de his Ordinationibus canones ediderit, eas quidem semper improbavit, numquam tamen pro nullis & irritis haberi imperavit.

Quod ut exemplis illustretur:

I. Canon 28. Apostolorum *pag.* 15. *novæ editionis Conc.* "Si quis Episcopus, inquit, per pecunias hanc sit dignitatem assecutus, vel Presbyter, vel Diaconus, deponatur & ipse & qui eum ordinavit, & a communione omnino exscindatur, ut Simon Magus a me Petro." Hic enim ambo deponi jubentur. At qui deponitur gradum habeat oportet e quo dejiciatur: nullum autem habere potest, nisi propter characterem. Ergo.

Se-

Secundo Basilius *epist. 76.* ad Episcopos curæ suæ commissos scripta, ne pecuniæ gratia manus cuiquam imponerent, *tom.* 2. *pag.* 884. "Feruntur, inquit, quidam ex vobis ab illis, qui ordinantur, accipere pecuniam, idque, quod pejus est, pietatis nomine palliare. Duplo namque puniendus venit, qui prætextu boni quod malum est facit: tum quod operatur quod bonum non est; tum quod ad perficiendum peccatum, bono, ut dici solet, utitur cooperario. Hæc si ita habent, post hæc non fiant; sed emendentur.... Quæ vero sit hic impostura dicam. Putant se nihil delinquere, quod non ante, sed post manuum impositionem pecuniam accipiant. At pecuniam accipere, accipere est, quomodocumque fiat. Hortor itaque, ut quæstum hunc, imo transitum ad gehennam, declinetis. ....Si quis post hanc epistolam meam tale quid designaverit; cum nostris hic altaribus nihil habebit commune, sed quæret ubi donum Dei coemptum denuo vendere queat." Itaque Basilius præteritas jam id genus Ordinationes non evertit, sed potius benigne confirmat, & cavet duntaxat ne in posterum quid simile fiat. At non potuisset eas ut validas habere, nisi characterem pro more impressissent. Ergo.

Tertio Palladius Helenopoleos episcopus in vita Sancti Chrysostomi quandam historiam refert ex qua illud idem colligitur. Narrat enim a Chrysostomo sex in synodo depositos esse Episcopos, qui ab Antonino metropolita Ephesino in Asia pecuniæ pretio ordinati erant. "Dedimus, aiebant illi Episcopi, hanc esse consuetudinem existimantes, ut videremur a curia liberari. At nunc, si quidem honestum est, oramus ut in ministerio Ecclesiæ simus: sin autem; vel aurum quod dedimus, recipiamus: quidam enim ex nobis uxorum nostrarum aurum & variam supellectilem dedimus. Ad hæc Johannes synodo pollicitus est, Ego, inquiens, instabo apud Imperatorem, ut (a curia) absolvamini; vos autem (Episcopi judices) mandate illos ab Antonini hæredibus recipere quod dederunt, præcepitque synodus ab hæredibus Antonini aurum ipsis restitui; eos vero, relicta intra altare communicandi facultate, sacerdotio carere jussit, ne si ista passim permitterentur, consuetudo Judaica, & Ægyptia fieret vendendi sacerdotium & emendi." Quo in loco observandum est 1. licet Antoninus ille Ephesinus præsul simonia illa laboraret, non tamen damnatas esse omnes promiscue Ordinationes ab eo factas; sed tantum sex illas quæ eodem simoniæ vitio teneri deprehensæ sunt. Alias enim plures dubio procul, ac præsertim presbyterorum, Ordinationes peregerat. Ac proinde character eo in simoniaco permansisse existimabatur. 2. Illos quidem sex Episcopos fuisse depositos: sed non iteratas tamen esse Ordinationes ab iis antea factas: quod argumento est in iis agnitum esse eundem Ordinis characterem. 3. Id ipsis licet depositis esse indultum, ut intra altare com-

municandi facultatem haberent. At illud non esset sane concessum, ut una cum clero & seorsim a laicis communicarent, si laici prorsus habiti fuissent. Ergo superesse putabatur character aliquis quo a laicis etiam depositi secernerentur.

Quarto Concilium Chalcedonense ann. 451. *tom.* 4. *Conc. pag.* 756. *can.* 2. " Si quis Episcopus, inquit, propter pecunias Ordinationem fecerit, & non venalem gratiam in venditionem deduxerit, & pro-
" pter pecunias ordinaverit Episcopum, vel Chorepiscopum, vel
" Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum qui in clero nu-
" merantur; vel propter pecunias promoverit Oeconomum, vel de-
" fensorem, ... vel omnino aliquem ex canone, turpis quæ-
" stus gratia; qui hoc tentasse convictus fuerit, de proprio gradu in
" periculum veniat; & qui est ordinatus, ex Ordinatione vel pro-
" motione nihil juvetur, sed sit a dignitate vel officio alienus. "
Ibi quidem dignitas, & officium aufertur; sed Ordinatio nulla non judicatur.

Quinto Synodus Constantinopolitana sub Gennadio anno 455. *tom.* 4. *Conc. pag.* 1028. postquam hunc canonem retulit, & depositionis pœnæ anathema adjunxit, gratiam tamen deesse duntaxat ejuscemodi Ordinationibus innuit. " Sit ergo, inquit, ab omni sacerdotali di-
" gnitate, & ministerio alienus, & anathematis loco subjectus,
" ..... qui eam (gratiam) pecuniis habere pollicetur; .....
" quia fieri non potest, ut conveniant quæ convenire nequeunt,
" nec ut mammona Deo consentiat, vel ut qui ei serviunt, Deo
" serviant.

Sexto Gennadius Massiliensis in libello *de dogmatibus Ecclesiasticis*, *cap.* 39. alias 72. *tom.* 8. *operum Sancti Augustini, in appendice pag.* 79. Ordinationes quidem fieri prohibet pecuniæ gratia; sed eadem prorsus ratione, qua ordinari vetat eos qui ad secundas nuptias convolaverint, aut qui non virgines duxerint, aut qui publicam pœnitentiam peregerint. Confert ergo simoniacos cum istis. Atqui nemo dixerit characterem Ordinationis non suscipiendum esse ab iis qui publica pœnitentia defuncti fuerint, & aliis modo memoratis, si quando ordinarentur. Ergo.

Septimo Gelasius summus pontifex ad Episcopos Lucaniæ *epistola* 9. *cap.* 24. " Quos, inquit, constiterit indignos meritis sacram merca-
" tos esse pretio dignitatem, convictos oportet arceri, non sine pe-
" riculo facinus tale perpetrantes, quia dantem pariter & accipientem
" damnatio Simonis, quam sacra lectio testatur, involvit.

Octavo Hormisdas Papa *in epist. ad Episcopos Hispaniæ*, *tom.* 4. *Conc. pag.* 1467. Simoniam quidem vetat; at nullam simoniacis pœnam infligit.

Nono Synodus Aurelianensis II. anno 533. *tom.* 4. *Conc. pag.* 1780. *can.* 3. eandem damnat: *canone* autem 4. " Si quis, inquit, sacerdo-
" tium

„ tium per pecuniæ nundinum execrabili ambitione quæsierit, abjiciatur „ ut reprobus.

Decimo Aurelianensis V. an. 559. *tom.* 5. *Conc. pag.* 393. *can.* 10. " Eum, inquit, qui per præmia ordinatus fuerit, statuimus remo„ vendum. " Abjiciuntur ergo ac removentur ab officio simoniaci, nec tamen eæ, quas contulerunt aut susceperunt Ordinationes, irritæ declarantur.

Undecimo Concilium Turonense II. anno 567. *tom.* 5. *Conc. pag.* 865. *can.* 27. " Nullus Episcoporum, inquit, de Ordinationibus clericorum „ præmia præsumat exigere, quia non solum sacrilegum, sed & hære„ ticum est, sicut *in dogmatibus ecclesiasticis* habetur insertum, ad or„ dinandum clericum per ambitionem ad imaginem Simonis magi pe„ cuniam offerre Sacerdoti, quia dicitur: *Gratis accepistis, gratis da*„ *te*: & cum talis sit, qui gratiam Dei a Sacerdote æstimat pretio „ comparari, qualis ille, qui vendit; uterque usque ad synodum ab „ Ecclesia segregetur. " Quibus in verbis duo sunt quæ ostendant non irritas a Concilio habitas esse ejusmodi Ordinationes: 1. quod ista synodus Gennadium *in dogmat. ecclesiast.* sequi se profiteatur, cujus super ea re mentem jam aperuimus: 2. quod nedum quid ejusmodi sanciat, contra significet eos qui duntaxat ad synodum usque officio interdicuntur, illico post habitam synodum ad solitas functiones exercendas esse rédituros.

Decimosecundo Synodus Bracarensis III. an. 569. *tom.* 5. *Conc. pag.* 897. *can.* 3. " Placuit, inquit, ut de Ordinationibus Clericorum Epis„ copi munera nulla suscipiant, sed, sicut scriptum est, quod gratis „ donante Deo acceperunt, gratis dent, ut non aliquo pretio gratia „ Dei & impositio manuum venundetur: quia antiqua definitio Pa„ trum ita de ecclesiasticis Ordinationibus statuit dicens: *Anathema sit* „ *danti & accipienti.* " Atque ita quidem severius in istos animadvertit, nec tamen characterem adimit, nec si quæ ab ipsis postmodum aut simul factæ sint citra ullum pactum Ordinationes rescindit. Ergo.

Decimotertio Gregorius Magnus *lib.* 3. *epist.* 13. *ind.* 12. *tom.* 4. *pag.* 100. de quodam Presbytero loquens qui in alterius locum suffectus fuerat. " Et si quidem, inquit, sine datione aliqua ad eundem Ordi„ nem pervenerit, ut in simoniacam hæresim non potuisset incidere, „ in alia quacunque vacante ecclesia eum volumus cardinari: sin au„ tem in eo quidpiam, quod avertat Deus, fuerit tale repertum, ipso „ etiam presbyteratus privetur Ordine, quem non causa replendæ ne„ cessitatis Ecclesiæ, sed sola comprobatur ambitione suscepisse. " Ergo judice Gregorio simoniacus ille presbyteratum vere suscepisset, etiamsi ob crimen suum eo debuisset excidere. At non potuisset eum suscipere nisi penes characterem, ut liquet. Itaque character etiam in simoniacis infigitur.

Decimoquarto Concilium Toletanum IV. an. *633.* ***tom.*** *5.* ***Conc. pag.*** *1711.* ***can.*** *19.* poſtquam de ſimoniacis Ordinationibus quæ paſſim uſurpabantur acerbe conqueſtum eſt, addit eos qui ſic ordinati erant *fuiſſe* juxta canones *removendos*, ſed id tamen non fieri. " Ne perturbatio „ quamplurima Eccleſiæ oriretur. Itaque præteritis omiſſis, inquit, de„ inceps qui non promoveantur ad ſacerdotium ex regulis canonum credi„ mus inſerendum : .... qui ambitu honorem quærunt, qui muneribus „ honorem obtinere moliuntur ... Si quis autem deinceps contra præ„ dicta vetita canonum ad gradum ſacerdotii indignus aſpirare conten„ derit, cum ordinatoribus ſuis adepti honoris periculo ſubjacebit. " Ita Synodus in futurum quidem tempus providens, quod peractum jam erat relinquit illibatum : non potuiſſet autem ejuſmodi Ordinationes approbare, ſi vacuæ charactere fuiſſent.

Decimoquinto Synodus Cabillonenſis I. an. *650.* ***tom.*** *6.* ***Conc. pag.*** *390.* ***can.*** *16.* " Ipſo, inquit, honore quem præmiis comparare præſumpſerit, „ omnino privetur: " honore, inquam, non charactere.

Decimoſexto Synodus VIII. Toletana an. *653.* ***tom.*** *6.* ***Conc. pag.*** *404.* ***can.*** *3.* anathema quoque depoſitioni annectit.

Decimoſeptimo Synodus Toletana XI. anno *675.* ***tom.*** *6.* ***Conc. pag.*** *551.* ***can.*** *9.* " Illos autem, inquit, quos deinceps poſt relationem per „ præmium ordinatos fuiſſe patuerit, ſub definitis pœnitentiæ legibus, „ ut vere ſimoniacos ab Eccleſia ſeparandos eſſe cenſemus : id eſt, ut „ duorum annorum ſpatio exilio relegati, & digna ſatisfactionis vel „ excommunicationis ſententia coerciti, honoris gradum, quem præ„ miis emerant, lacrymis conquirere & reparare intendant : unde ſi „ digna eos ſatisfactio pœnitentiæ commendaverit, peracto indictæ pœ„ nitentiæ tempore non tantum communioni, ſed & loco & totius „ Ordinis officiis a quibus ſeparati fuerunt, reſtaurandi ſunt. " Atque adeo characterem ſuſceperant ſic ordinati, nec amiſerant qui Ordinatione functi erant; ſiquidem ſolis lacrymis, non vero iterata Ordinatione, locum & officium ſuum recuperare poſſe hic perhibentur. Adde quod intactas eſſe velit ſynodus quæ præceſſerant id genus Ordinationes : quod indicat eas quoad ſubſtantiam validas extitiſſe.

Decimooctavo Concilium Trullanum an. *692.* ***tom.*** *6.* ***Conc. pag.*** *1153.* ***can.*** *22.* " Eos, inquit, qui pecuniis ordinantur, ſive Epiſcopos, ſi„ ve qualeſcunque Clericos, & non per examinationem aut vi„ tæ electionem, deponi jubemus ; ſed & eos etiam qui ordi„ naverunt.

Decimonono Synodus VIII. œcumenica an. *787.* ***tom.*** *7.* ***Conc. pag.*** *599.* ***can.*** *6.* id ipſum adſciſcit & confirmat quod a Chalcedonenſi ſancitum erat. Tharaſius vero patriarcha Conſtantinopolitanus, qui VII. hujus concilii magna pars fuit, in celebratiſſima illa ad Adrianum Papam epiſtola ***tom.*** *7.* ***Conc. pag.*** *731.* in eandem rem profert teſtimonia Scripturarum, canones apoſtolicos, Baſilium, Palladium, ſynodum Chalce-

ce-

cedonensem, Gennadium & Patres Trullanos, quibus etiam nos usi sumus: " Subjecta testimonia, inquit, alienum omnino a sacerdotio " pronuntiant eum qui dederit vel acceperit, ... sive ante manus im- " positionem .... sive post manus impositionem. Accipere enim acci- " pere est, quomodocunque id fiat: sed & promotiones ecclesiasticas " auferunt in datione pecuniarum.

Vigesimo Capitularia Caroli Magni *lib.* 1. *cap.* 19. *&* 97. non solum laudant canones apostolicos & Chalcedonenses, sed & eos sequuntur: " " Juxta sacros canones, inquiunt, uterque gradu proprio talia facien- " tes decidere debent.

Vigesimoprimo Concilium Nannetense anno circiter 890. *tom.* 9. *Conc. pag.* 471. *can.* 11. de simoniacis Ordinationibus agens. " Quod si fece- " rint, inquit, & ille qui indigne accessit, ab altari removebitur, & " qui donum Spiritus sancti vendere conati sunt, coram Deo jam con- " demnati ecclesiastica dignitate carebunt. " Utrobique gradus, digni- " tas & officium eripiuntur; sed non dicitur character esse nullus, nec si quæ ab iisdem Episcopis citra ullum simoniæ vitium factæ sunt tum temporis aut deinceps Ordinationes aliæ, improbantur.

Vigesimosecundo Fulbertus episcopus Carnotensis, qui an. 1028. florebat, *epist.* 25. ad Leutericum Senonensem, super aliquo Presbytero interrogatus, qui ab Episcopo non suo & per pecuniam ordinatus fuerat, deponendum eum esse respondet & pœnitentiæ juxta canones subjiciendum; cæterum digna peracta pœnitentia ei reddendos esse gradus, non quidem iterata Ordinatione, quia sacri canones ut rebaptizationes ita & reordinationes vetant, sed benedictione aliqua, & vestium atque instrumentorum sacerdotalium restitutione: " De Presbytero vestro, " inquit, ab alio Episcopo per pecuniam ordinato, ex auctoritate san- " ctorum canonum tale vobis consilium dono: Primum, degradetur: " deinde ab Ecclesia separatus, duobus annis severa pœnitentia multe- " tur, ut honoris gradus .... lacrymis conquirere & reparare conten- " dat: postea, si digne pœnituerit, restauretur. Hæc autem quæ di- " ximus cum in locis aliis, tum satis expresse invenietis in concilio " Toletano XI. *cap.* 9. Cæterum rebaptizationes & reordinationes fieri " canones vetant: propterea depositum non reordinabitis; sed redde- " tis ei suos gradus per instrumenta & vestimenta quæ ad ipsos gra- " dus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradum, &c. .... Novissime " autem benedictione lætificabitis eum, sic dicendo: Benedictio Dei " Patris & Filii & Spiritus-sancti descendat super te, ut sis confirma- " tus in Ordine sacerdotali & offeras placabiles hostias ... omnipoten- " ti Deo, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Vigesimotertio narrat Glaber *lib.* 5. *cap.* 5. *tom.* 4. Historicorum Franciæ *pag.* 58. Henricum I. cum hæcce simoniæ lues totam fere Galliam & Germaniam infecisset, circa annum 1046. edixisse ut qui exinde ministerium ecclesiasticum pretio acquireret, omni honore destitutus, ana-

thémate multaretur : cum autem vererentur Episcopi ne e suis sedibus propterea deturbarentur, clementia Principis factum esse ut in iis relinquerentur. " Dignoscens ergo, inquit ille scriptor, idem Henricus „ per universam Galliam atque Germaniam simoniacæ philargyriæ grassari cupiditatem, coadunari fecit ex omni imperio tam Archipræsules quam cæteros Pontifices, & tale eis intulit colloquium : Lugens „ vobis incipio loqui, qui vice Christi in Ecclesia constituti estis, „ quam ipse sibi desponsavit ac pretio sui sanguinis redemit : sicut „ enim ipse gratuita bonitate de sinu Dei Patris per Virginem ad nos „ natus est redimendos; ita suis præcepit, mittens eos in universum „ orbem, Apostolis : *Gratis accepistis, gratis date*. Vos enim avaritia „ & cupiditate corrupti, ... dando & accipiendo, ... maledicti estis. „ Nam & pater meus, de cujus animæ periculo valde pertimesco, „ damnabilem avaritiam in vita nimis exercuit : idcirco quicunque vestrum hujusce .... sese norunt contaminatos, oportet ut a sacro ministerio secundum dispositionem canonicam arceantur. Patet ergo „ manifestissime, quoniam propter hanc offensam venerunt super filios „ hominum diversæ clades, fames videlicet atque mortalitas, nec non „ & gladius. Omnes quippe gradus ecclesiastici a maximo Pontifice ad „ Ostiarium opprimuntur per suæ damnationis pretium, ac juxta vocem dominicam in cunctis grassatur spirituale latrocinium. His denique ab Imperatore prolatis, stupefacti Pontifices, quid illi responderent non habebant; pertimescebant enim carere ob hanc culpam „ propriis episcopatuum sedibus : & quoniam non solum in Gallicanis „ episcopis hæc pessima pullulaverat nequitia, verum etiam multo amplius totam occupaverat Italiam, (omnia quippe ministeria ecclesiastica ita eo tempore habebantur venalia, quasi in foro sæcularia mercimonia:) cernentes quoque Episcopi gravi sese invectione irretitos, „ misericordiæ operam implorabant. At ipse Princeps misericordia motus, tale consolationis protulit verbum : Ite, inquiens, & quod illicite accepistis, bene disponere satagite, ac pro anima patris mei, „ qui hac noxa reus vobiscum tenetur, attentius intercedere memento, quatenus indulgentiam hujus facinoris a Deo possitis acquirere. Tum proposuit edictum omni imperio suo, ut nullus gradus Clericorum vel ministerium ecclesiasticum pretio aliquo acquireretur : „ ac si quis dare aut accipere præsumeret, omni honore destitutus anathemate multaretur. Spopondit insuper promissum hujusmodi, dicens : „ Sicut enim mihi Dominus coronam imperii sola miseratione sua gratis dedit; ita & ego quod ad ejus religionem pertinet, gratis impendam : volo, si placet, ut & vos similiter faciatis. " Quo ex loco aperte liquet, vulgarem hanc fuisse tunc omnium opinionem ac doctrinam, quod nempe character in simoniacis perseveret, cum ii Præsules sine ulla Ordinationis iteratione in pristino gradu & officio manere sinerentur.

Vi-

Vigesimoquarto Clemens II. apud Petrum Damiani, *opusc. 6. cap. 35. pag. 445.* circa idem tempus decrevit. " Ut quicunque a simoniaco con„ secratus esset, in ipso Ordinationis suæ tempore non ignorans simo„ niacum, cui se obtulerat promovendum, quadraginta nunc dierum „ pœnitentiam ageret, & sic in accepti Ordinis officio ministraret. " Pœnitentia quidem indicitur, sed Ordo non iteratur, & tamen is in Ecclesiæ ministerio post pœnitentiam relinquitur.

Vigesimoquinto Synodus Lugdunensis Hildebrando præside Apostolicæ sedis legato, anno 1055. plures Episcopos, qui se hac simoniæ labe inquinatos esse confessi erant, deposuit, *tom. 9. Conc. pag.* 1080.

Vigesimosexto Synodus Tolosana anno 1056. *tom. 9. Conc. pag* 1084. *can.* 1. " Si quis episcoporum, inquit, accepta quomodocunque pecu„ nia ordinaverit Episcopum, Abbatem, Presbyterum, Diaconum, aut „ quemcunque alium qui numeratur inter Clericos, ipse gradus sui „ subjiciatur periculo, & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex „ ejusmodi mercimonio, sed sit alienus ejus dignitatis & Ordinis quem „ per pecuniam acquisivit.

Vigesimoseptimo Leo IX. summus Pontifex an. 1050. apud eundem qui supra laudatus est Petrum Damiani, omnes quidem primo improbaverat simoniacorum Ordinationes; sed postea ad eosdem quos ante fixerat Clemens II. limites rediit. " Cum omnes, inquit hic scriptor, „ simoniacorum Ordinationes synodalis vigoris auctoritate cassasset, „ protinus a Romanorum multitudine sacerdotum magnus seditionis tu„ multus exortus est, ita ut non solum ab ipsis, sed a plerisque dice„ retur Episcopis, omnes pene basilicas sacerdotalibus officiis desti„ tuendas, & præcipue missarum solemnia, ad subversionem christianæ „ religionis & desperationem omnium circumquaque fidelium, funditus „ omittenda. Quid plura? post longa sane disputationum hinc & inde „ volumina, tandem suggestum est, reverendæ memoriæ nuper ejusdem „ sedis episcopum decrevisse Clementem II. &c. *ut supra*. Quam ni„ mirum sententiam protinus venerabilis Leo ratam percensuit, & sub „ hujusmodi pœnitentia omnes in acceptis officiis de cætero persevera„ re mandavit. " Ex quo sequitur hasce Ordinationes pro validis habitas fuisse.

Vigesimo octavo Nicolaus II. papa *in epistola ad omnes Episcopos*, " „ Statuimus decretum, inquit, de simoniacis tripartita hæresi, id est „ de simoniacis simoniace ordinantibus vel ordinatis, & de simonia„ cis simoniace a non simoniacis, & de simoniacis non simoniace a si„ moniacis. Simoniaci simoniace ordinati, vel ordinatores secundum „ ecclesiasticos canones a proprio gradu decidant: simoniaci quoque „ simoniace a non simoniacis ordinati, similiter ab officio male accep„ pto removeantur: simoniacos autem non simoniace a simoniacis or„ dinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis neces-

„ sita-

„ sitate in officio concedimus permanere. “ Idem autem in concilio Romano anno 1059. *tom.* 9. *Conc. pag.* 1100. “ Erga simoniacos, in„ quit, nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse de„ cernimus; sed juxta canonum sanctiones & decreta sanctorum Pa„ trum eos omnino damnandos ac deponendos esse apostolica auctori„ tate sancimus. De iis autem qui non per pecuniam, sed gratis sunt „ a simoniacis ordinati, quia quæstio a longo tempore est diutius ven„ tilata, omnem modum (*seu* nodum) dubietatis absolvimus; ita ut „ super hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia „ igitur usque adeo hæc venenata pernicies hactenus inolevit, ut vix „ quælibet ecclesia valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte „ corrupta, eos qui usque modo gratis sunt a simoniacis consecrati, „ non tam censura justitiæ, quam intuitu misericordiæ, in acceptis „ Ordinibus manere permittimus; nisi forte alia culpa ex vita eorum „ contra canones eis existat ..... De cætero autem si quis hinc in „ posterum ab eo quem simoniacum esse non dubitat, se consecrari per„ miserit; & consecrator & consecratus non disparem damnationis sen„ tentiam subeat, sed uterque depositus pœnitentiam agat, & privatus „ a propria dignitate persistat. “ Cujus quidem decreti meminit etiam Petrus Damiani *opusc.* 30. *cap.* 2. *pag.* 619. Ibi porro distinctio varia inter simoniacorum genera adhibetur: cum enim ex utraque parte ordinantis scilicet & ordinati, aut ex parte saltem ordinati simonia intervenit, Ordinatio reprobatur; cum autem ex parte ordinantis tantum simonia præcessit, qui gratis ab ejusmodi simoniaco ordinati sunt, in acceptis gradibus pro temporis necessitate, misericordiæ intuitu manere permittuntur; hoc duntaxat discrimine præteritum inter & futurum tempus constituto, quod omnes id genus præteritæ Ordinationes ratæ habeantur, sive ordinantis simonia nota esset ordinandis, sive ignota; in posterum autem sanciatur, ut ratæ illæ tantum sint quæ citra hanc simoniæ conscientiam peractæ fuerint. Atqui neutro modo potuissent ejusmodi Ordinationes probari, si per simoniam charactere suo Episcopus excidisset.

Vigesimo nono Alexander II. in concilio Romano anno 1063. *tom.* 9. *Concil. pag.* 1175. *can.* 2. idem quoque & iisdem fere verbis decrevit.

Trigesimo Gregorius VII. in alia synodo Romana anno 1074. eas Ordinationes quæ interventu cujusdam pretii factæ erant rescidit; de aliis autem quæ citra hujusmodi pactum factæ erant etiam a simoniacis prorsus silet. Hujus concilii decretum extat in ipsius apologetico *cap.* 1. *tom.* 10. *Conc. pag.* 316.

Trigesimo primo Synodus Placentina sub Urbano II. anno 1094. ad eandem quam secuti erant Clemens II. & Alexander regulam accessit: “ In hac quoque synodo, inquit Bertholdus coætaneus scriptor *tom.* 10. „ *Conc. p.* 501. hæresis simoniacorum penitus damnata est, ut quidquid

„ in

„ in sacris Ordinibus & ecclesiasticis regulis data & promissa pecunia „ acquisitum simoniace videretur, pro irrito haberetur, nullasque vires „ habuisse & habere judicaretur : his tamen qui non simoniace & ne„ scienter a simoniacis ordinati sunt, misericordia in servando Ordine „ concessa est : qui vero scienter ab hujusmodi ordinati sunt, cum suis „ ordinatoribus irrecuperabiliter damnati sunt.

Trigesimo secundo Urbanus idem II. in concilio Romano III. an. 1099. *tom.* 10. *Conc. pag.* 615. " Si qui, inquit, a simoniacis non si„ moniace ordinati, si quidem probare potuerint, se, cum ordinaren„ tur, eos nescisse simoniacos, & si tum pro catholicis (id est non si„ moniacis) habebantur in Ecclesia, talium Ordines pro misericordia „ sustinemus; si tamen eos laudabilis vita commendat. " Nempe antiquis Ecclesiæ legibus omnes simoniacorum Ordinationes reprobabantur : eo autem prolapsa erat tum temporis disciplina, ut nonnullæ pro Ecclesiæ necessitate tolerarentur : non poterant autem tolerari, si charactere destituebantur.

Trigesimo tertio Synodus Lateranensis I. sub Callixto II. an. 1123. *can.* 1. " Si quis, inquit, in Ecclesia Ordinationem vel promotionem „ taliter (per pecuniam) acquisiverit, acquisita prorsus careat digni„ tate.

Trigesimo quarto Synodus altera Lateranensis sub Innocentio II. an. 1139. *can.* 1. " Si quis inquit, simoniace ordinatus fuerit, ab offi„ cio omnino cadat quod illicite usurpavit.

Utraque hæc synodus Lateranensis officium quidem ac dignitatem adimit, non vero characterem : secunda autem Ordinationem illicitam esse definit, non invalidam.

Trigesimo quinto Concilium Constantiense *sess.* 43. *tom.* 12. *Conc. pag.* 255. " Multæ, inquit, contra simoniacam pravitatem ab olim fa„ ctæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit competenter „ extirpari : nos volentes de cætero, ut possumus attentius providere, „ sacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati simoniace ab „ executione suorum Ordinum sint eo ipso suspensi. " Executio itaque officii suspenditur, sed Ordinatio non judicatur irrita.

Quæ cum ita sint, ex his jam satis liquet quæ circa hoc caput Ecclesiæ mens semper exstiterit.

Probatur 2. judicio Theologorum.

Primo enim Hugo Victorinus *de sacramentis lib.* 2. *parte* 10. *cap.* 3. " Qui Ordines sacros, inquit, emunt vel vendunt, convicti sine mi„ sericordia deponuntur .... Sciendum vero est quod qui a simonia„ cis nescientes ordinantur, quia eos catholicos, non simoniacos pu„ tant, spiritualem gratiam per ministerium illorum accipiunt ... Sed „ dicis mihi : Quomodo? .... Audi quomodo .... Minister, malus „ est largitor, bonus tamen minister est : ... malus, in eo quod si„ moniacus est; minister, in eo quod in officium ordinatus est : ma„ lus,

„ lus, in eo quod pretium dedit; minister, in eo quod officium & „ Ordinem accepit. " Ac proinde Ordinis character Hugone judice a „ simoniacis accipitur & in ipsis manet.

Secundo Robertus Pullus *parte 6. sentent. cap. 13. pag.* 228. " Si in „ ovile, inquit, Christi minister male ingressus es, age pœnitentiam, „ & ministra; nisi forte detestabilis introitus scandalum fecerit, haud „ aliter sopiendum, nisi quod male cœperas dimittere velis; cujusmo- „ di est gradus actu simoniæ habitus. Scandalo autem satisfactione cor- „ recto, ministrare licebit; nisi forte res adeo sit execrabilis, ut vix aut „ nunquam ministerio admitti oporteat; quale est aut homicidium aut pro- „ ditio, maxime causa dignitatis habendæ patrata. " Porro ministrare non liceret post pœnitentiam, si character non mansisset.

Tertio Petrus Lombardus *dist.* 25. *lib.* 4. *sentent.* " De simoniacis, „ inquit, non est ambigendum quin sint hæretici, qui tamen ante sen- „ tentiam degradationis & ordinant & consecrant .... Differt tamen „ inter eos, qui ordinantur a simoniacis scienter & eos qui ignoran- „ ter: qui enim scienter a simoniacis se permiserint consecrari, ... „ eorum consecratio omnino irrita est; qui vero ordinantur a simonia- „ cis, quos, cum ordinantur, nesciunt esse simoniacos, qui & tunc „ pro catholicis habentur; eorum Ordinatio misericorditer sustinetur.

Quarto Alexander de Ales *parte 2. quæst. 167. membro 5. pag. 769. col.* 1. ubi de simonia ex professo agit, " Quinto, inquit, quæritur de „ pœna simoniæ. Circa quod notatur, quod aut simonia est in Ordi- „ ne, aut in beneficio: si in Ordine, non recipit executionem, sed „ est ipso jure suspensus quoad se & quoad alios; punitur etiam de- „ positione, si de crimine judici suo per inquisitionem aliquo modo „ constiterit: si vero est simoniacus, quia contulit Ordinem simonia- „ ce, vel quia dedit vel recepit beneficium simoniace; .... si est oc- „ cultum, ... suspensus est ipso jure quoad se tantum.

Quinto S. Thomas 2. 2. *quæst.* 100. *art. 6. in resp. ad* 1. " Ille, in- „ quit, qui simoniace recipit Ordinem, recipit quidem characterem „ Ordinis propter efficaciam sacramenti; non tamen recipit gratiam neque „ Ordinis executionem, eo quod quasi furtive suscipit characterem con- „ tra principalis domini voluntatem, & ideo est ipso jure suspensus, & „ quoad se, ut scilicet de executione sui Ordinis se non intromittat, „ & quoad ad alios, ut scilicet nullus ei communicet in Ordinis exe- „ cutione, sive sit peccatum ejus publicum sive occultum. " *In resp.* „ *ad* 2. " Nec propter præceptum ejus (Episcopi,) inquit, ... nec „ etiam propter excommunicationem debet aliquis recipere Ordinem „ ab Episcopo quem scit simoniace promotum: & si ordinetur, non „ recipit Ordinis executionem, etiamsi ignoraret eum esse simoniacum; „ sed indiget dispensatione: quamvis quidam dicant, quod si non po- „ test probare eum esse simoniacum, debet obedire, recipiendo Ordi- „ nem, sed non debet exequi sine dispensatione. Sed hoc absque ratio-

„ ne

„ ne dicitur : quia nullus debet obedire alicui ad communicandum si-
„ bi in facto illicito : ille autem qui est ipso jure suspensus, & quoad
„ se & quoad alios illicite confert Ordinem : unde nullus debet sibi
„ communicare, recipiendo ab eo quacunque ex causa. Si autem ei
„ non constat, non debet credere peccatum alterius; & ita cum bona
„ conscientia debet ab eo Ordinem recipere. Si autem Episcopus sit si-
„ moniacus alio modo quam per promotionem suam simoniace factam,
„ potest ab eo Ordinem recipere. Si sit occultum, quia non est suspen-
„ sus quoad alios, sed solum quoad se tantum. " Qui sancti Docto-
ris locus veluti compendium est eorum omnium quæ hactenus disputa-
vimus.

Probatur 3. auctoritate Eugenii IV. in synodo Florentina, & concilii Tridentini, quorum super ea re decreta adduximus.

Probatur 4. multis rationibus quas affert Petrus Damiani, de hoc argumento disputans in libro qui *Gratissimus* inscribitur.

Prima est quam designat *cap.* 4. *pag.* 484. quod nempe, ut Baptismi, sic & Ordinis sacramentum Christi sit, non hominis : ergo " Sicut
„ Baptismus, inquit, ita & .... sacerdotalis consecratio nulla sorden-
„ tium ministrorum labe polluitur .... Quod cum ita sit, quid cau-
„ sæ sit, inquit *cap.* 5. ego non video, cum baptizatus etiam ab hæ-
„ retico non rebaptizetur, cur promotus a simoniaco.... denuo con-
„ secretur.

Secunda est *ibidem*, " Quod sicut canonica testatur auctoritas, in-
„ quit, idcirco prohibetur rebaptizatio fieri, ne sanctissimæ Trinitatis
„ nomen, in quo baptizatus est, videatur annullari. Quod si hæc est
„ causa cur rebaptizari quisque non debeat; cui manifestius quam or-
„ dinato cuilibet a simoniaco congruit, qui non modo in sanctissimæ
„ Trinitatis nomine consecrat, sed & omnem prorsus ordinem catho-
„ licæ consecrationis observat?

Tertia est *cap.* 20. quod si baptizare simoniacus possit, nihil sit cur nequeat similiter ordinare.

Quarta est *cap.* 28. quod simoniaci dicantur vendere Spiritum-sanctum : quod dici non posset, nisi sacramentum ipsum conficerent.

Quinta *cap.* 29. quod multi visi sint a simoniacis ordinati, qui miraculis exinde coruscaverint.

Sexta *cap.* 32. quod simoniaci jubeantur ab Ecclesia deponi : at depositio laici non est, sed Clerici ac Sacerdotis : ergo qui simoniacus est, is pro Sacerdote ab Ecclesia habetur.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Gregorius Nazianzenus, ut refertur *decreti parte* 2. *causa* 1. *quæst.* 1. *cap.* 11. " Qui studet, inquit, donum Dei pretio mercari,

cari, in sacro Ordine nulla ratione de cætero permanere, aut revocari posse, dubium non est; .... quia nemo retinere potest, quod vendidit. Ergo.

Respondeo 1. neque hæc verba, neque his quidquam simile apud Gregorium Nazianzenum reperiri, neque compertum esse unde ista deprompserit Gratianus.

Respondeo 2. nedum hic evertatur character Ordinationis simoniacæ, eum contra aperte astrui: qui enim dicitur non posse in Ordine suscepto permanere, is eo ipso significatur Ordinem suscepisse, ut & habuisse quod non posse retinere pronuntiatur: quis enim in eo permaneat, in quo nunquam fuerit, aut retineat quod non habuerit? Quapropter hæc Gregorii, sive cujusvis alterius, sententia deponendos quidem esse simoniacos statuit, nec unquam restituendos; eos autem omni charactere esse destitutos non affirmat.

Objicies 2. Ambrosius de dignitate sacerdotali *cap.* 5. *tom.* 2. *in appendice*, *pag.* 363. de Ordinationibus simoniacis agens, " Cum ordinaretur Episcopus, inquit, quod dedit, aurum fuit; quod perdidit „ anima fuit: cum alium ordinaret, quod accepit, pecunia fuit; quod „ dedit lepra fuit. " Ergo characterem non impressit.

Respondeo 1. hoc opus non esse Ambrosii, sed ignoti cujusdam auctoris quem nonnulli volunt esse Gerbertum, primo Remensem, ac deinde Ravennatensem archiepiscopum, postea denique summum pontificem nomine Silvestrum.

Respondeo 2. nomine *lepræ* illic intelligi characterem Ordinationis a simoniaco acceptum in propriam perniciem: sic enim statim subjicit: " Hæc sunt mercimonia iniquorum in perniciem eorum ..... „ Nempe, inquit *ibidem*, hoc est quod doleo, quia Archiepiscopus carnaliter Episcopum fecit: nam & propter pecunias spiritaliter leprosum ordinavit: *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem*, *quia donum sancti Spiritus pretio comparasti*, & commercium miserabile in „ animarum exitium peregisti, ... Oculis quidem carnalibus videtur „ quasi Episcopus magnus, & divinis obtutibus inspicitur leprosus magnus: per pecuniam acquisivit indebitum Ordinem, & apud Deum „ perdidit interiorem hominem: caro suscepit dignitatem, & anima „ perdidit honestatem. " Ac proinde juxta hunc auctorem simoniaci reipsa suscipiunt Ordinem & acquirunt dignitatem, licet gratiam non consequantur, sed eam potius amittant.

Objicies 3. S. Leo, ut refertur apud Gratianum 2. *parte causa* 1. *quæst.* 1. *cap.* 1. " Gratia, inquit, si non gratis datur vel accipitur, „ gratia non est: simoniaci autem gratis non accipiunt: igitur gratiam, quæ maxime in ecclesiasticis Ordinibus operatur, non accipiunt: si autem non accipiunt; non habent: si autem non habent; nec gratis nec non gratis cuiquam dare possunt. Quid ergo „ dant?

„ dant ? profecto quod habent. Quid autem habent ? spiritum utique „ mendacii. " Ergo non conferunt characterem.

Respondeo 1. ista apud Leonem non comparere.

Respondeo 2. hoc intelligi de gratia sanctificante, quam revera simoniaci non impertiuntur, non autem de charactere. Et vero hæc ratio nihil probat, quia justo plus probat : inde enim sequeretur improbos, dum baptizant, aut alia sacramenta administrant, gratiam non dare, utpote quam non habeant ; id autem absurdum est.

Objicies 4. Gregorius magnus *libro* 7. *indict.* 2. *epist.* 110. *tom.* 3. *pag.* 280. " Quicunque hoc, inquit, pretii studet donatione mercari, „ dum non officium sed nomen attendit, Sacerdos non esse sed dici tan- „ tummodo inaniter concupiscit. " Ergo Sacerdos non est, sed tantum dicitur, qui simoniam admittit.

Distinguo consequens: Sacerdos non est quoad officium & finem sibi propositum ; concedo : quoad rem ipsam ; nego. Gregorius ait eos, qui dignitates ecclesiasticas pecunia comparant, non ad officium spectare quod exercere debent, sed ad nomen quo insigniri ambiunt: quid autem interim de charactere Ordinis Gregorius sentiat ex supradictis perspicuum est.

Objicies 5. Tharasius patriarcha Constantinopolitanus in Epistola ad Adrianum Papam apud Gratianum supra, *cap.* 21. " Eos, inquit, „ qui propter pecunias manus imposuerunt vel imponunt . . . . . Pe- „ trus divinus Apostolus deponit. Et procul dubio in eis non est gra- „ tia Spiritus-sancti, id est sacerdotii dignitas : nam quod non accepe- „ runt, non habent. " Ergo.

Respondeo his in verbis, cum de gratia dumtaxat & dignitate proferantur, ne umbram quidem esse difficultatis : imo ex depositione colligi eos fuisse sacerdotes.

Objicies 6. Summus pontifex Leo IX. teste Petro Damiani *opusc.* 5. *pag.*419.*col.*1.*lit.A.* " Plerosque simoniacos & male promotos, tanquam no- „ viter ordinavit. " Ergo.

Distinguo antecedens : tanquam noviter ordinavit Ordinatione improprie dicta ; concedo : proprie dicta ; subdistinguo : majoris cautionis gratia ; concedo : secus ; nego. Itaque primo id exponi potest de Ordinis ac gradus, e quo jam illi ejecti fuerant, restitutione: cum enim simoniacis depositis & ejectis reddebantur gradus, iidem ferme adhibebantur ritus qui in ipsamet usurpabantur Ordinatione : sic impositionem manuum Nicolaus II. *supra*, *pag.* 79. commemorat : sic Fulbertus Carnotensis *supra*, *pag.* 71. eadem instrumenta ac vestimenta & quandam insuper benedictionis formulam esse tunc frequentatam docet. Ad hæc ex Gregorio Magno *supra*, *pag.* 69. discimus eum dici ordinari, qui in ecclesia aliqua constituitur, licet jam fuerit ordinatus. Non mirum ergo si ejusmodi cæremonia, quæ tantam habebat cum Ordinatione similitudinem, *Ordinationis* nomine aliquando donetur.

netur. Et vero Petrus Damiani non asserit eos ordinatos iterum fuisse; sed ipsos tantum " Tanquam noviter ordinatos: " quod non veram ac germanam Ordinationem, sed adumbratam duntaxat Ordinationis speciem arguit. Quod si quis pertinaciter contendat id esse de vera ac minime adumbrata Ordinatione interpretandum, reponemus Leonem IX. id cautionis gratia, non animo definiendi, fecisse. Nempe confitemur varias ea ætate super ea re fuisse doctorum sententias: cum enim plerique, juxta veteres Ecclesiæ Patres, opinarentur ejusmodi Ordinationes non esse iterandas, nonnulli contra existimabant eas esse necessario repetendas: & vero repetebant, quemadmodum testatur Petrus Damiani in ipso libri, qui *Gratissimus* appellatur, limine: " De iis, inquit, qui gratis sunt a simoniacis consecrati, quan„ ta jam per triennium in tribus Romanis Conciliis fuerit discepta„ tio; quamque perplexa atque confusa dubietas, & in iis partibus „ quotidie ventiletur, sanctitatem vestram latuisse non arbitror; præ„ sertim cum crescente fluctuationis ambiguo, eatenus sit processum, „ ut nonnullos constet Episcopos ab illis ordinatos Clericos denuo „ consecrasse. " Potuit ergo fieri ut circa id anceps hæserit aliquandiu summus Pontifex; &, cum nosset in dubio tutiorem partem esse sequendam, cautionis gratia nonnullos id genus, de quorum Ordinationibus ambigebatur, rursus ordinaverit. Cæterum, si ita res se habet, in hoc dubio diu non hæsit: ut enim *supra* monuimus, cum omnes simoniacas Ordinationes primum cassasset, statim rediit ad sententiam Clementis II. qui eas tolerari posse, saltem ex parte, judicaverat.

Objicies 7. Gregorius VII. in concilio Romano V. " Ordinatio„ nes, inquit, quæ interveniente pretio, vel precibus, vel obsequio ali„ cujus personæ ea intentione impenso, vel quæ non communi consensu „ cleri & populi secundum canonicas sanctiones fiunt, & ab his, ad quos „ consecratio pertinet, non comprobantur, infirmas & irritas esse dijudi„ camus. " Ergo.

Distinguo antecedens: infirmas & irritas, quoad Ordinis executionem; concedo: quoad ipsum characterem; nego. Certe illic Ordinationes simoniacorum cum iis comparantur quæ non fiunt communi consensu cleri ac populi, aut quæ ab his ad quos pertinet consecratio non probantur: quis autem putet hasce postremas irritas esse quoad characterem?

Objicies 8. Urbanus II. *in epist. ad Petrum Pistoriensem episcopum & Rusticum abbatem Vallis umbrosæ*, qui ægre ferebant quod summus ille pontifex Daibertum quemdam a Nezelone simoniaco Diaconum ordinatum in eundem Ordinem consecrasset, " Daibertum, inquit apud Gratianum 2. *parte decreti*, *causa* 1. *quæst.* 7. *cap.* 24. a Neze„ lone, licet simoniaco, non simoniace ejusdem confessione reperimus „ in Diaconum ordinatum, & Sancti Innocentii papæ sententia

con-

„ constat declaratum quod Nezelon (quem constat ab Hæreticis or-
„ dinatum) , quia nihil habuit , nihil dare potuit ei cui manus
„ imposuit . Nos igitur tanti Pontificis auctoritate firmati , & Da-
„ masi Papæ testimonio roborati , qui ait , Reiterari oportet quod
„ male actum est , Daibertum ab Hæreticis corpore , & spiritu di-
„ gressum , atque utilitatibus Ecclesiæ pro viribus insudantem , ex
„ integro (Ecclesiæ necessitate ingruente) Diaconum constituimus :
„ quod non reiterationem existimari censemus , sed tantum integram
„ diaconii dationem; quoniam, ut prædiximus, qui nihil habuit , nihil
„ dare potuit. " Ergo simoniacorum Ordinationes nullæ sunt, & iterari debent.

Respondeo hunc esse, sive historiam , sive theologicam doctrinam spectes, intricatissimum ac difficillimum locum.

Quod enim pertinet ad historiam , qui hic commemoratur Nezelo, an idem sit cum eo , quem idem Urbanus II. Guezelonem appellat, ut plerique sentiunt , ambigitur . Nempe ejusdem Urbani ad eosdem Petrum Pistoriensem episcopum , & Rusticum abbatem Vallis-umbrosæ super eodem argumento duæ feruntur epistolæ : 1. est quam exhibet Gratianus de Daiberto a Nezelone primum Diacono facto , ac deinde in Diaconum ab eodem Urbano rursum consecrato : 2. est quam ex bibliotheca Victorina ad se missam vulgavit Binius cum epistolis Urbani, quas inter extat *num.* 19. *tom.* 10. *Conc. pag.* 442. in hunc modum contexta : " Scripsistis nobis , inquit , maximum apud vos scan-
„ dalum emersisse , quod Pisanum episcopum consecraverimus , quan-
„ doquidem a Guezelone hæretico Diaconus fuerat ordinatus . Et nos
„ profecto scimus Guezelonem hæreticum fuisse , Moguntinumque epi-
„ scopatum simoniaco credimus facinore invasisse , propter quem aut
„ alium acquirendum , Regi sub anathemate posito diu servierat , &
„ propter quem acquisitum , omni vitæ suæ tempore deservivit. Eun-
„ dem & ipsi nos pro eadem causa , quia ab excommunicatis conse-
„ cratus , & ab omni ecclesiastico officio ac sine spe restitutionis ali-
„ qua deposuimus . " Hæc Urbanus in epistola a Binio vulgata . An igitur ambæ genuinæ sunt ? an ad eundem Daibertum referuntur ? an idem Nezelo, qui Guezelo nuncupatur? tum si idem, an non potius Weselo quam Nezelo dicendus est? notum est litteras G & W. in sese invicem converti.

Dehinc vero alia rursus quæstio subit , quis ille Guezelus Moguntinus fuerit . Qui enim notas ad Gratianum addiderunt , ii innuunt Guezelonem seu Nezelonem istum non alium esse a Wezelino Magdeburgensi episcopo , cujus meminit Marianus Scotus in chronico *lib.* 3. *ætate* 6. *ad annum* 1705. *pag.* 454. & 455. *editionis Pistorii* , & quem ait in prælio occubuisse : sed illi dubio procul hallucinantur : quocirca longe probabilius est hunc Guezelonem eundem esse cum illo Archiepiscopo Moguntino , qui per ea tempora maximi nominis fuit, quem-

que Dodechinus Mariani continuator Vezelonem appellat *ibidem pag.* 457. Conradus autem Abbas Urspergensis in chronico *ad annum* 1085. *pag.* 173. Wecilonem. Eundem refert Trithemius in chronico Hirsaugiensi ad eundem annum in vita Guillelmi Abbatis *tom.* 1. *pagina* 264. & Wezilum nominat. Idem ille Vezelinus vocatur a quodam scriptore qui in gratiam Henrici Imperatoris IV. adversus Gregorium VII. apologiam conscripsit *pag.* 200. *editionis Freberi*. Varia autem ejus nomina congerit Serarius *lib.*5. *historiæ Moguntinæ pag.*700.

Sed quis ille vir, ac quantus extiterit, alia iterum difficultas est. Quod enim eruditione & eloquentia insignis fuerit, quodque addictus fuerit Henrico IV. Germanorum imperatori, regno primum ac deinde etiam communione Ecclesiæ privato a summis Pontificibus, Gregorio VII. Victore, & Urbano II. id quidem extra controversiam est; sed ambigitur an hæreticus reipsa dicendus sit. Nempe in synodo Quintilineburgensi anno 1085. (aut serius), *tom.* 10. *Conc. pag.* 399. ut hæreticus damnatus est: " In eadem synodo, inquit Bertholdus, Ordinatio Wecilonis Moguntini invasoris, & Sigefredi Augustensis, & Norberti Curiensis, imo omnes Ordinationes, & consecrationes excommunicatorum penitus irritæ judicatæ sunt, juxta decreta sanctorum Patrum, scilicet Innocentii, Leonis I. Pelagii, atque ejus successoris Gregorii I. Item secta prædicti Wecilonis Moguntini invasoris ejusque sociorum sub anathemate damnata est, quæ asserit seculares suis rebus expoliatos ecclesiastico non subjacere judicio, nec excommunicari posse pro suis excessibus, quæque excommunicatos absque reconciliatione recipi posse contendit. "Atque eodem fere modo loquuntur plerique scriptores mox adducti. Attamen ex antiquo illo Henrici IV. defensore, quem modo allegavimus, elicere quis forte posset Wezelonem, cum illis qui Henrico favebant, id non contendisse ex novi cujusdam dogmatis norma, quod ille procudisset, sed ex veterum canonum sententia, qui volunt eum, qui suis rebus spoliatus est, in eas restitui antequam in judicium vocetur. Certe Serarius *supra* Wecilonis hæresim in dubium videtur revocasse.

Quidquid autem ea de re statuas, necdum omnes nodos expediveris: idem enim Serarius affirmat ex antiquis monimentis Wecilonem ante obitum resipuisse, & Henrici partes deseruisse; imo & ab eo multa passum esse. Contra autem Urbanus II. in epistola a Binio edita asserit eum omni vitæ suæ tempore Henrico sub anathemate posito deservisse.

Atque hæc sunt quæ ad historiam spectant.

Jam vero ut theologicam doctrinam expendamus, variæ sunt ad hunc Urbani locum responsiones.

PRIMA est Roberti de Flammesburg canonici Victorini, qui non ita multo post Urbanum II. vixit, sub finem videlicet XII. sæculi *lib.* 3. *pænitentialis manuscripti in bibliotheca Victorina asservati*: is enim

apud

apud Morinum *parte 3. de sacris Ordinationibus*, *exercit.* 5. *cap.* 1. *num.* 7. Urbanum interpretatur de Hæreticis legitimam Ecclesiæ formam non servantibus. Quæstionem enim hanc instituens, " Utrum Episcopus „ hæreticus Ordines conferat, ... Hugo, inquit, dicit quod quili-„ bet Episcopus, sive exterius sive non, sive catholicus sive hære-„ ticus, sive ultimam manus impositionem acceperit in Ecclesia sive „ extra, Ordinem confert; similiter & ordinatus ab illo, & sic in in-„ finitum : .... hoc autem dico, si forma conferendi Sacramenta ser-„ vetur; alioquin nihil agitur, *arg.* 1. *quæst.* 1. *cap.* Si qui confugerint, „ *cap.* 52. *& quæst.* 7. Daimbertum. Unde si cum talibus dispensetur, „ oportet reordinari ordinatos ab illis, ut habetur in prædictis capitu-„ lis. " Idem respondet Glossa ad eadem Urbani verba : Daibertum videlicet fuisse ordinatum a Nezelone præter Ecclesiæ formam, atque adeo non valide: mirum itaque non esse, quod rursus ab Urbano Pontifice Diaconus ordinatus fuerit.

Verum hæc responsio non una ex parte nutat. Is enim Nezelo non videtur illic alia de causa hæreticus nominari quam quod simoniacus esset : id enim pervulgatum tunc erat ut simonia *hæresis* nomine vocaretur & simoniaci dicerentur *hæretici*, quod nempe illi Spiritum-sanctum quasi pro servo habere viderentur, quem venderent : sic quippe rem istam explicat Tharasius *in epistola ad Adrianum*: " Nosti, inquit, „ longe tolerabiliorem esse Macedonii & eorum, qui ab illo, sancti „ Spiritus impugnatorum hæresim, (quam simoniacorum.) Nam cum „ illi sanctum Spiritum Dei & Patris creaturam & servum nugentur, „ hi suum ipsorum quantum putant, servum ipsum faciunt : omnis „ enim dominus quidquid habet, cum libuerit, vendit " &c. Nihil porro aliud in Nezelone reprehenditur ab Urbano, vel notatur, quam quod simonia laboraverit. Sed quidquid tandem de ejus hæresi existimetur, hæresis illa sane circa Sacramentorum formam non versabatur. Quocirca gratis omnino ac sine fundamento fingitur Urbanus ideo Nezelonis Ordinationes abjecisse ac rescidisse, quod ille formam legitimam ac necessariam inter ordinandum non adhibuisset.

Secunda est quam nomine cujusdam Joannis ac Rudolphi refert S. Raymundus *in summa*, *lib.* 1. *cap.* 1. de Hæreticis & ordinatis ab eis, Urbanum nempe intelligi oportere de Hæreticis qui extra Ecclesiam consecrati erant : eas porro Ordinationes, quæ ab illis peraguntur, irritas plane ac nullas esse : " Ad istius quæstionis intelligentiam nota, „ inquit Raymundus, quod Joannes & Rudolphus dixerunt, quod E-„ piscopus hæreticus, qui recepit ultimam manus impositionem, id est „ Ordinem episcopalem, in Ecclesia, Ordines confert, sed non Ordi-„ nis executionem; si autem extra, nihil confert, nec Ordinem, nec „ Ordinis executionem, quia nihil receperat, *arg.* 1. *quæst.* 7. Daimber-„ tum. " Ac proinde epistolam Urbani accipiebant illi de Hæreticis extra Ecclesiam in Episcopos consecratis, quorum Ordinationes cassas

F 2 pror-

prorsus esse & invalidas arbitrabatur. Sed id non placet, constat enim validas esse Ordinationes a quibuslibet Episcopis etiam hæreticis factas, modo legitimam Ordinationum formam usurpaverint.

TERTIA responsio est quorumdam recentiorum (Sainte Beuve) qui suspicantur spuriam esse hanc, quæ Urbani fertur, epistolam. Ad id autem pluribus momentis adducuntur.

Primum petitur ex comparatione ambarum hujus Pontificis ad Petrum Pistoriensem & Rusticum abbatem Vallis-umbrosæ epistolarum: in ea enim quæ extat apud Gratianum, conqueruntur illi quod Daibertum, a Nezelone Diaconum factum, rursus in Diaconum ordinaverit: at in altera querelam instituunt, non quod eum e Diacono a simoniacis facto rursus Diaconum, sed quod ex Diacono Episcopum consecraverit: atqui ista, inquiunt, non satis constant sibi: ac proinde si eadem epistola sit cujus principium a Binio, finis autem a Gratiano referatur, finis cum principio non cohæret. Si autem diversæ sint epistolæ, falsa est alterutra: at genuina videtur quæ Binii est, inquiunt, cum propter fidem codicis manuscripti, tum maxime quod verisimile sit aliquem potuisse, id postulante. Ecclesiæ bono, in Episcopum consecrari, etiamsi a simoniacis fuisset antea Diaconus ordinatus, deque eo conquestos esse viros regulis ecclesiasticis addictos, quibus hoc adversari videbatur; non sit autem probabile Ordinationes a simoniacis gratis factas summo huic Pontifici ita irritas & invalidas visas esse, ut iterari deberent.

Secundum depromitur ex eo quod Urbanus ignorare non potuerit hanc fuisse ævo isto disciplinam Ecclesiæ, ut nempe Ordinationes a simoniacis citra ullum simoniæ vitium peractæ tolerarentur: id enim paulo ante declaraverant Clemens II. Leo IX. & Nicolaus II. Cum ergo non solum validæ, sed etiam ratæ haberentur ejusmodi Ordinationes ab universa Ecclesia, ac præsertim Romana, qui fieri potuit ut ab Urbano II. iterarentur?

Tertium tandem momentum ex eo ducitur quod ipsemet Urbanus idem omnino decreverit in Concilio Romano an. 1099. cui præiverat sub eodem Pontifice synodus Placentina, ut nuper ostendimus. Et vero idem ipse Urbanus *epist. 17. ad Lucium præpositum S. Juvenci*, Sacramenta vel apud ipsos hæreticos valida esse agnoscit: " Cæterum, " inquit, schismaticorum & hæreticorum sacramenta, quoniam extra " Ecclesiam sunt, juxta sanctorum Patrum traditiones, ... Augustini, " Hieronymi, formam quidem sacramentorum, non autem virtutis ef- " fectum habere profitemur, nisi cum ipsi vel eorum Sacramentis ini- " tiati per manus impositionem ad catholicam redierint unitatem. " Quo quidem in loco plura notanda sunt: 1. est, Urbanum adhæsisse sententiæ Augustini, cujus hac in parte mens extra omnem controversiam est: 2. ab eodem agnosci in ipsis hæreticis sacramentorum formam seu substantiam, licet addat ab iis non conferri gratiam: 3. est, juxta

juxta summum hunc Pontificem ipsa hæreticorum sacramenta vim suam exercere, gratiamque conferre citra ullam iterationem, cum per manuum impositionem illi hæretici Ecclesiæ conjunguntur. Atqui hæc non possent dici, si sacramenta illa valida non fuissent. Ergo, inquiunt, secum ipse pugnaret Urbanus, si, quod ipsi tribuitur, de Daiberto scripsisset.

Verum id opinari difficile est. 1. enim hanc epistolam ut Urbani laudat Gratianus ipsi suppar. 2. Nullum de ea dubium movet Robertus de Flammesburg ejusdem circiter ævi, nec S. Raymundus non multo his posterior. Denique nulla pugna inter utramque epistolam intercedit, si bis a Petro Pistoriensi querimoniam esse institutam dixerimus, primo quidem de diaconatu, deinde etiam de Episcopatu.

QUARTA responsio est eorum qui dicunt (non enim vidimus qui scripserint,) Urbanum II. has Ordinationes, quod de illis dubitaret vel eas esse irritas putaret, reipsa iterasse.

Sed ea durior est: vix enim ac ne vix quidem eo adduci debet Theologus, ut summos Pontifices in errorem esse prolapsos judicet.

QUINTA tandem responsio est aliorum qui Urbani II. epistolam benigne exponi posse contendunt, ita ut non de Ordinatione ipsa, sed de Ordinis executione duntaxat intelligatur. Ut autem huicce interpretationi adhærescamus, & qua ratione fieri id possit doceamus.

INSTABIS 1. Atqui Urbanus non tantum de Ordinis executione, sed etiam de ipso charactere loquitur. Ergo.

NEGO subsumptum: alias sibi ipse non constaret, ut mox ostendimus.

INSTABIS 2. Urbanus asserit Daibertum nihil accepisse a Nezelone, utpote qui nihil haberet. Ergo nec Ordinem, nec Ordinis executionem.

DISTINGUO antecedens: nihil accepisse quoad jus exercendi officii; concedo: quoad characterem; nego. Nam Daibertus accepit a Nezelone, quod ille habuit. Atqui Nezelo, quamvis simoniacus, charactere erat insignitus. Ergo.

INSTABIS 3. Summus Pontifex in eo sequi se testatur Damasi sententiam, de Chorepiscopis videlicet, qui, cum episcopi non essent, Presbyteros tamen ordinare ausi fuerant. Atqui cum Damasus hasce Chorepiscoporum Ordinationes nullas esse & iterandas judicavit, id profecto ad characterem ipsum extendebatur; cum nullum illi, utpote non episcopi, imprimere potuissent. Ergo pari jure &c.

DISTINGUO antecedens: sequi se testatur Damasi sententiam ex parte; concedo: omnino; nego. Generalis hæc sententia Damasi est."

Reiterari oportet quod male actum est. " Hæc porro sententia pro „ subjectæ materiæ diversitate vario modo intelligitur. Ut enim intra sacramenti Ordinis fines consistamus, ea certe verba dupliciter accipi queunt: 1. nimirum de charactere simul & de Ordinis executione, si nempe ita vitiata fuerit Ordinatio ut neutrum conferre potuerit: 2. de sola executione, si ex hac parte duntaxat labes sese habeat. Jam vero generalem hanc sententiam Damasus applicabat ad Chorepiscopos, qui nec characterem, nec Ordinis executionem impertiri poterant, cum episcopi non forent: atque adeo apud Damasum hæc sententia de utroque capite interpretanda est. Sed Urbanus eandem usurpat de simoniacis, qui cum essent episcopi, characterem quidem imprimere poterant, sed non poterant Ordinis liberam executionem largiri: ac proinde apud Urbanum, ea ad solam Ordinis executionem restringenda est. Verissimum est quod dicitur, Reiterari oportere quod male actum est: sed postea inquirendum est an in rem totam, an in unam duntaxat ejus partem vitium illud cadat: ubicumque enim vitium erit, ibi remedium oportebit adhibere: sed non debebit remedium adhiberi qua parte nec malum nec morbus est. Et vero Urbanus hic cum Damaso conjungit Innocentium, qui, ut infra probabimus ubi de hæreticis agetur, de sola Ordinis executione exponendus est. Igitur ex utroque id sumit, quod ambobus commune est. Porro sententia quidem illa in universum accepta ipsis communis est; applicatio autem, ut ita dicam, prorsus est diversa: quia apud Innocentium de sola Ordinis executione, apud Damasum autem de ipso etiam charactere intelligenda est: atque adeo censendus non est Urbanus sententiam illam usurpasse quatenus speciatim a Damaso applicatur; sed universe tantum ac generatim, uno verbo quatenus veluti in suspenso est, & ex æquo vel characteri vel soli Ordinum executioni congruere potest.

INSTABIS 4. Urbanus ait se de integro Daibertum in Diaconum consecrasse.

DISTINGUO antecedens: id est iteratis iisdem ferme cæremoniis, ut supra expositum est; concedo: quasi nihil prorsus Daibertus haberet; nego.

INSTABIS 5. Summus Pontifex definit hanc esse integram diaconii dationem. Ergo non ex parte duntaxat diaconatum concesserat.

DISTINGUO antecedens: integram, id est completam, quia complementum accessit per Ordinis executionem quam dedit; concedo: integram, quasi nihil omnino præcessisset; nego.

INSTABIS 6. Imo Urbanus explicans integram hanc diaconii dationem, satis arguit se ideo vocare illam integram, quod nihil omnino antecessisse putaretur: subdit enim statim: " Qui nihil habuit, nihil dare potuit.

DISTINGUO antecedens: qui nihil habuit, nihil dare potuit qua parte nihil habuit; concedo: secus; nego. Simoniacus habet characterem,

rem, non habet Ordinis executionem, quia ipso jure suspensus est, ut ait S. Thomas *supra*. Dat quod habet, dare autem non potest quod non habet; ac proinde characterem insculpit, licet Ordinis executionem largiri nequeat. Quapropter nedum id officiat nobis, prodest magis. Et sane ex hoc ipso Urbani loco aperte liquet simoniacos Episcopos dare quod habent: sed Urbanus dubio procul characterem episcopalem in iis agnoscebat: quamvis enim omnes vulgo simoniacorum Ordinationes rescinderet, eas saltem tolerabat, juxta illius temporis disciplinam, quæ gratis & citra ullam alienæ simoniæ erant peractæ conscientiam. Atqui ne quidem has probare potuisset, si Episcopi simoniaci nullum eo ipso habuissent superstitem characterem: qui enim omni episcopali charactere destituti sunt, ii ne ullam quidem validam Ordinationem perficere queunt. Ergo.

INSTABIS 7. Concilium Placentinum & Romanum III. sub eodem Urbano, decernunt easdem Ordinationes, quæ a simoniacis etiam non simoniace, cum simoniæ conscientia suscipiuntur, nullas vires habere nullasque unquam habuisse. Ergo.

DISTINGUO antecedens: nullas vires quoad Ordinis executionem; concedo: quoad Ordinis characterem; nego.

OBJICIES 9. Hildebertus Cenomanensis episcopus *epist.* 14. *tom.* 3. *bibliot. Patrum*, *pag.* 180. super aliquo consultus, qui, cum simoniace diaconatum suscepisset, postea ad presbyteratum promotus fuerat, differte sancit eum esse deponendum, quod sacerdotio perperam initiatus foret, & forte ne ipsum quidem diaconatum habuisset: " Fratrem illum, inquit, quem diaconatum pretio comparasse significasti, a diaconatu & supra summovendum cognovimus, & summovemus: nullam enim partem, nullam sortem concedit ei Petrus in Ordine, quem, dum emit, non accepit: a sacerdotio quoque canonica eum suspendit auctoritas, quo vel nondum vel male factus Diaconus evolavit .... Agitur itaque de periculo tuo si patiaris præscriptum fratrem vel in sacerdotio ministrare quod revera male accepit, vel in diaconatu quem fortasse non accepit. " Ergo saltem pro dubiis habuit Hildebertus simoniacorum Ordinationes: imo & eo propendit ut eas irritas esse judicaret.

RESPONDEO Hildebertum in ea forte versatum esse opinione aut saltem ancipitem fluctuasse. Neque vero id insolens videri debet, cum plurimi alii eodem errore imbuti forent, ut ex Petro Damiani nuper notabamus. Dici tamen posset ita sanxisse Hildebertum, quod in dubio tutiori parti semper adhærescendum esse sentiret; non vero quod in ea re quidquam in animo fixum ac ratum haberet, aut in dubio ipse hæreret: aliquando enim majoris cautionis ergo ea consulimus, quæ non ita necessaria judicamus.

SECTIO IV.

Utrum character Ordinationis ab intrusis & invasoribus suscipiatur ac detur.

QUAMVIS hæc duo nomina persæpe confundantur, fatendum tamen non unam & eandem esse, si accurate loqui volumus, amborum significationem, & intrusi vocem latius patere quam invasoris.

Intrusus enim vocatur quicunque contra fas & regulas Patrum dignitates ecclesiasticas occupat.

Invasor autem speciatim ac proprie is duntaxat appellatur, qui cujusdam ecclesiæ legitimi Pastoris & adhuc viventis sedem tenet.

ASSERTIO

VALIDÆ sunt intrusorum & invasorum Ordinationes.

PROBATIONES.

PROBATUR 1. nonnullis ex antiquitate ductis exemplis.

Primum est Felicis Papæ medio circiter quarto sæculo. Is enim cum Liberius Romanus præsul in exilium a Constantio missus esset, Arianorum factione subrogatus est in ejus locum, quem ab anno 355. ad 357. per vim ac renitente populo obtinuit. Cum vero Liberius terrore compulsus, Athanasii damnationi & perversæ fidei formulæ subscripsisset, eamque ob rem omnibus Catholicis exosus fuisset, qui prius cunctis odio & abominationi fuerat, Felix, tum demum Liberii loco tanquam legitimus Pontifex a Romanis agnitus est, ut referunt historici. Atqui pro irritis habitæ non sunt Ordinationes quas medio hoc temporis intervallo peregerat; neque ipse nova Ordinatione initiatus est, cum in legitimum Pontificem a Catholicis est susceptus. Ergo validæ tum reputabantur Ordinationes ab intrusis & invasoribus acceptæ ac datæ.

Secundum exemplum est ejusdem Liberii. Hic enim post miserabilem istum casum, vice versa Arianorum potentia fretus Felicem & Ecclesiam catholicam diu vexavit, donec tandem ejurata Arianorum communione, & mortuo Felice, suæ sedi restitutus est. Interim vero multas Ordinationes perfecerat quæ semper illibatæ permanserunt: quod etiam Auxilius & Petrus Damiani animadvertunt. " Quis enim nesciar, „ inquit Auxilius in defensione Formosi, *lib.* 1. *cap.* 25. *apud Morinum* „ *de sacris Ordinationibus parte* 2. *pag.* 354. quod Liberius, heu proh „ dolor! Arianæ hæresi subscripserit, & per ejus transgressionem ne-„ fan-

„ fandiſſima ſcelera ſint commiſſa ; multitudo quoque Sacerdotum & „ Clericorum interfecta ſit & martyrio coronata ; reſidui vero Catho- „ lici non ſolum ab eccleſiis, ſed etiam a balneis prohibiti ſint. Libe- „ rius autem apoſtata factus vixit annos ſex : Ordinationes tamen quas „ fecit, in ſua ſtabilitate permanſerunt. " Petrus autem Damiani *opuſc. 6.* in libro qui dicitur *Gratiſſimus*, *cap. 16.* in eandem ſententiam & iiſdem fere verbis ſcribens. " Hinc eſt enim, inquit, quod omnes „ Ordinationes, quæ a Liberio, hæretico videlicet & ſeditioſo, ſunt „ factæ, in ſui ſtatus noſcuntur immobilitate ſervatæ. Porro Liberius „ perfidiæ deceptus errore, Arianæ hæreſi ſubſcripſiſſe dignoſcitur, ac „ per ejus tranſgreſſionem nefandiſſima ſcelera ſunt commiſſa : multi „ quoque ſacerdotes & clerici per ejus malitiam ſunt perempti : reſi- „ dui vero Catholici non ab eccleſiis (ſolum) ſed etiam a locis ſuis „ prohibiti. Liberius itaque factus apoſtata, ſex annorum ſpatia ſuper- „ vixit : quidquid tamen ſuper Ordinationibus egit, fixum & ratum in „ ſui vigoris ſtibilitate permanſit.

Tertium eſt Anatolii Patriarchæ Conſtantinopolitani. Ut enim idem Auxilius narrat *ibid. cap. 24.* " S. Flaviano Conſtantinopolitano epiſco- „ po ob catholicam fidem in exilium deſtinato, Anatolius eo vivente „ in ejus loco ordinatus eſt : ad quem S. Papa Leo ita loquitur : „ Deceſſore enim tuo beatæ memoriæ Flaviano, propter defenſionem „ catholicæ veritatis ejecto, non immerito credebatur quod Ordinato- „ res tui contra ſanctorum canonum inſtituta, viderentur ſui ſimilem „ conſecraſſe : ſed affuit miſericordia Dei in hoc te diligens atque con- „ firmans, ut malis principiis bene utereris, & non te judicio homi- „ num provectum, ſed Dei benignitate monſtrares : quod vere ita ac- „ cipiendum eſt, ſi hanc divini muneris gratiam alia offenſione non „ perdas. (Itaque) Anatolius, pergit idem, magis ſacrilegus invaſor, „ quam epiſcopus fuit ordinatus : & tamen a S. Papa Leone non con- „ demnatur, ſed potius admonetur quatenus ſacerdotalem benignitatem „ alia offenſione non perdat. " Eandem hiſtoriam attingit Petrus Da- „ miani *ibid. cap. 17.* " Sed, inquit, ut quod ſermone proferimus (de „ ſimoniacis,) firmemus exemplo, non obſcurum eſt quod S. Flavia- „ no Conſtantinopolitano Epiſcopo ob catholicam fidem in exilium „ deſtinato, Anatolius, eo vivente, in loco ejus ab Hæreticis ordina- „ tus eſt : ad quem S. Papa Leo ita loquitur : Deceſſore enim tuo „ &c. *ut ſupra.* Si ergo Anatolium, ſubdit ille, qui, ut ſuperius di- „ ctum eſt, & vivente ac depulſo Epiſcopo, & ab Hæreticis inſuper „ ordinatus (eſt,) ſancta converſatio potuit excuſare ; quo pacto di- „ citur, quia promotus a ſimoniaco ſuſcepti honoris fructum nullate- „ nus conſequetur?

Quartum eſt Vigilii ſummi pontificis, qui cum pollicitus eſſet Theodoræ Juſtiniani imperatoris uxori, faventi Eutychianis, ſe, ſi pontifex fieret, damnaturum ſynodum Chalcedonenſem, & Anthimum patri-

triarcham eadem labe infectum protinus restituturum, ac pactus insuper esset Belizario, qui Italiæ præerat, duo auri centenaria, intrusus est in locum Silverii, quem & sibi traditum in insulam Palmariam relegavit, ibique crudeliter tenuit. Ejus enim Ordinationes nemo unquam revocavit in dubium. " Hinc est, inquit Auxilius *supra*, *cap.* „ 26. quod Vigilii Ordinationes nemo commovere ausus est. Istum namque scias esse Vigilium, qui prius Bonifacio papæ insidias molitus „ est, quatenus eo vivente apostolicam dignitatem sacrilegus obtine„ ret: sed resistente senatu, tale quid minime potuit: postea vero so„ litis machinationibus Silverium papam apostolica dignitate expoliare „ aggressus est: quod ille animadvertens, advocatis Episcopis, aucto„ ritate sancti Spiritus, & apostolica potestate, eum velut simonia„ cum & invasorem anathematis vinculis obligavit, & ille, ut men„ te conceperat, per imperialem potentiam, simulque falsos testes, eun„ dem apostolicum patrem nequiter condemnavit, monachicis vestibus „ (induit), & ad Pontias in exilium destinavit, sustentans eum pane „ tribulationis & aqua angustiæ; ibique mortuus est, & sepultus, & „ confessor effectus: ad cujus corpus infirmi sanabantur. Vigilius autem „ anathematis nexibus merito irretitus, insuper & homicidii crimine „ nominatim infamatus, nefario ausu se papam instituit. O ineffabilem „ Dei pietatem! Vigilius, qui jam desperatus erat, servatur ad pœni„ tentiam. Anthimum scilicet hæreticum patriarcham, quem reconcilia„ re spoponderat, reconciliare nolens, longo exilio longaque afflictione „ maceratus, digna factis recepit, & sic demum procul a patria defun„ ctus quievit in Domino. Ordinationes tamen ejus, ut dictum est, in „ sua stabilitate manserunt. Hæc enim quæ de Silverio & Vigilio retu„ limus, partim in synodali decreto ejusdem Silverii, partim in ponti„ ficali libro habentur. " Petrus autem Damiani Auxilium fere exscribens ad verbum, *supra*, *cap.* 16. " Quid, inquit, de papa Vigilio di„ cam? qui nimirum sceleratus & impius, quidquid ordinando consti„ tuit, nemo pontificum cassare præsumpsit. Istum denique noveris esse „ Vigilium, qui prius Bonifacio papæ, &c. *ut modo*.... Sed o inæstima„ bilem divinæ clementiæ pietatem! Vigilius qui jam desperatus erat ad „ culpam, servatur ad pœnitentiam? Anthimum scilicet patriarcham hæ„ reticum, quem reconciliare spoponderat, inthronizare noluit: pro„ pterea longo detrusus exilio, dirisque afflictionibus maceratus, factis „ digna recepit; & sic demum procul a patria expulsus, defunctus quie„ vit in Domino. Ordinationes tamen ejus, ut dictum est, in sua perpe„ tim stabilitate permanserunt.

Alia quæ non exiguo numero adduci possent exempla prætermittimus, quod ista sint insigniora, & ad nostrum propositum sufficiant.

PROBATUR 2. comparatione cum aliis facta, non enim gravius est invasorum, & intrusorum scelus quam schismaticorum, & hæreticorum.

rum : sed horum Ordinationes validæ sunt , ut proxime evincemus : ergo.

PROBATUR 3. ratione. Si enim invalidæ sint ejusmodi Ordinationes, id vel ex divino vel ex humano jure proficiscitur. Atqui neutro sunt invalidæ: non quidem divino ; nihil enim ejusmodi est aut in Scriptura aut in Traditione: non etiam humano ; nihil enim in Sacramenta homines possunt. Ergo.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Maximus Cynicus philosophus , qui , cum a Sancto Gregorio Nazianzeno ecclesiam Constantinopolitanam administrante benignissime fuisset exceptus ejusdem ecclesiæ sedem dolo ac pecunia invasit , non solum a synodo generali Constantinopolitana damnatus est, sed etiam ejus Ordinatio pro nulla est habita ; imo & rescissæ sunt quascunque peregisset : sic enim concilium illud statuit *can.* 4. juxta Gentiani Herveti versionem , *tom.* 2. *Conc. pag.* 948. " Placuit etiam ,, de Maximo Cynico & ejus petulantia , & insolentia quæ fuit Con- ,, stantinopoli , ut Maximus episcopus nec fuerit vel sit , nec qui ab ,, eo ordinati fuerunt , in ullo , quicunque sit is , gradu cleri, omni- ,, bus , & quæ circa ipsum fuerunt , & quæ ab illo facta sunt, infir- ,, matis . " juxta Dionysii autem Exigui interpretationem *can.*3. " De ,, Maximo Cynico , & ejus inordinata constitutione , quæ Constanti- ,, nopoli facta est , placuit neque Maximum episcopum esse vel fuisse, ,, nec eos qui ab ipso in quolibet gradu clerici sunt ordinati, cum om- ,, nia quæ ab eodem perpetrata sunt in irritum deducta esse videantur. " Vide etiam Sozomenum *lib.*7. *cap.*9. & qui Gallice scripsit non ita pridem vitam S.Gregorii Nazianzeni. Ergo.

DISTINGUO antecedens : pro nullis habitæ sunt ejusmodi Ordinationes, quoad usum , & exercitium potestatis ; concedo : quoad characterem; nego.

INSTABIS. Anastasius bibliothecarius in scholio ad finem VIII. synodi, discrimen esse constituendum asserit hæreticos inter , & invasores , qualis Maximus fuit , quod nempe hæreticorum Ordinationes ratæ haberi queant , non item invasorum . De Photio enim patriarcha Constantinopolitano disserens , & obiter de Maximo , " Quæritur , ,, inquit, cur sedes apostolica eos , qui a Photio damnato in diversis ,, sunt Ecclesiæ gradibus constituti , sine recuperatione deposuerit , ,, cum ab Hebione sacratos , & post astantibus Episcopis depositos in- ,, staurari decreverit. Sed sciendum est quia Photius tanquam neophy- ,, tus & adulter , qui scilicet ecclesiam viventis invaserit , nunquam ,, fuisse episcopus dictus & promulgatus est: sed nec ii qui ab eo ma- ,, nus impositionem acceperunt , comparati videlicet Maximo Cynico, ,, & ordinatis ab eo , a secunda synodo cum ordinatore repulsis: He-

,, bio

„ bio autem , licet postea sit depositus, quandoque tamen fuit Episco-
„ pus , quemadmodum & Acacius , de cujus Ordinatione papa statuit
„ Anastasius , ut scilicet quos post damnationem ordinavit Acacius ,
„ nulla portio læsionis attingeret . Denique si pater meus adulter est ,
„ & ex adulterio nascor , profecto ut non legitimus ex hæreditate re-
„ pellor : quod tamen non paterer, etiamsi pater meus probaretur vera-
„ citer homicida. " Ita Anastasius. Atqui nullum esset discrimen , si, qui
„ sunt a Maximo ordinati, characterem suscepissent ; solum enim hunc
„ characterem accipere possunt, non vero Ordinis usum, qui ab hæreti-
„ cis ordinantur. Ergo.

Distinguo majorem : Anastasius discrimen esse constituendum asserit invasores inter & hæreticos , quoad usum & exercitium Ordinis; concedo : quoad characterem ; nego . In hoc ergo discrimen illud collocat Anastasius , quod qui ab hæreticis sunt ordinati , reconciliari aliquando possint , & in pristinum officium restitui ; qui autem ordinati sunt ab invasoribus, sine recuperatione deponantur . Cujus quidem discriminis hanc esse causam ait , quod qui in hæresim lapsi sunt , veri ac genuini episcopi forent, usumque & exercitium Ordinis aliquando habuissent ; nunquam autem hanc facultatem habuerint invasores , & intrusi.

Objicies 2. S. Leo *epist. olim 92. nunc 2. ad Rusticum Narbonensem cap.* 1. quæ etiam refertur ab Auxilio *parte* 1. *cap.* 16. *pag.* 352. & Petro Damiani in libro qui *Gratissimus* appellatur *cap.* 24. *pag.* 439. ut & apud Gratianum *dist.* 62. *cap.* 1. " Nulla , inquit , ratio sinit
„ ut inter Episcopos habeantur , qui nec a Clericis sunt electi , nec
„ a plebibus expetiti , nec a provincialibus Episcopis cum Metropoli-
„ tani judicio consecrati . Unde cum sæpe quæstio de male accepto
„ honore agatur , quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum ,
„ quod nec docetur fuisse collatum ? Si qui autem Clerici ab istis
„ pseudoepiscopis in ecclesiis ordinati sunt , qui ad proprios episcopos
„ pertinebant , & Ordinatio eorum judicio præsidentium facta est ,
„ potest rata haberi , ita ut in ipsis ecclesiis perseverent : aliter au-
„ tem vana habenda est creatio , quæ nec loco fundata est nec aucto-
„ ritate munita . " Ergo Episcopi non sunt qui contra Ecclesiæ regulas sedes aliquas occupant.

Distinguo antecedens: Episcopi non sunt, quoad usum potestatis; concedo: quoad potestatem ipsam , & episcopalem characterem ; nego . Imo vero ex hoc ipso loco aperte colligimus ejusmodi episcopos sacro charactere insignitos esse. Licet enim ipsi abjiciantur, eorum tamen Ordinationes pro ratis habentur. Atqui ratæ haberi non possent, si nullam ipsi ordinandi potestatem habuissent, nulloque prorsus charactere fuissent imbuti. Et vero Auxilius & Petrus Damiani *supra*, ex ista Leonis epistola idem omnino quod nos eliciunt.

Objicies 3. Cum Paulus pontifex maximus morti proximus esset,

ſet, Conſtantinus quidam in Romanam ſedem per vim intruſus eſt ann. 767. eamque per annum integrum ac menſem obtinuit. Atqui non ſolum ejus Ordinatio ac temeritas damnatæ ſunt a Stephano ejus ſucceſſore ; ſed etiam Ordinationes ab eo ſactæ reſciſſæ ſunt, & reiteratæ. Ergo.

HISTORIAM breviter narrat Sigebertus *ad hunc annum*, *tom.* 1. *hiſtoricorum Germaniæ*, *editionis Piſtorii*, *pag.* 552. " Paulo, inquit, papa „ mortuo, Conſtantinus quidam ſubito ordinatus ſacerdos ex laico, & „ tyrannica invaſione papatu invaſo, Eccleſiæ Dei magno fuit ſcanda„ lo. " *Ad annum* vero *ſequentem*, " Conſtantino, inquit, pſeudopapa „ per zelum fidelium de Eccleſia deturbato oculiſque privato, Stepha„ nus IV. Eccleſiæ præſidet. Hic tam a Gallia, quam ab Italia Epiſ„ coporum ſynodum Romæ congregat, in qua omnia a Conſtantino „ ordinata reordinat præter Baptiſmum & Chriſma, decernente ſyno„ do ut Epiſcopi ab illo conſecrati ad gradum, quem ante hanc con„ ſecrationem habebant, redirent, &, ſi digni judicarentur, iterum e„ lecti iterum conſecrarentur; Presbyteri vero ac Diaconi ab illo con„ ſecrati ſimiliter ad priorem gradum redirent, & ipſi, ſi digni eſſent, „ iterum quidem conſecrarentur, ſed ad altiorem gradum vel Ordinem „ nunquam aſcenderent; laici vero ab illo in Diaconos vel Presbyte„ ros ordinati omnino degradarentur, & in religioſo habitu perſeve„ rarent. " Rem eandem, ſed fuſius, refert Anaſtaſius bibliothecarius in vita Stephani IV. *tom. 6. Conc. pag.* 1704. " Paulus pontifex in æ„ gritudine poſitus, inquit, cum nondum adhuc ſpiritum exhalaret, „ illico Toto quidam dux, Nepeſinæ civitatis dudum habitator, cum „ ſuis germanis Conſtantino, Paſſivo & Paſchale (& ingenti armen„ torum manu) Romam ingredientes, elegerunt ibidem ſubito Con„ ſtantinum fratrem ejuſdem Totonis, laicum adhuc exiſtentem, quem „ (militum turma ſtipatum) in Lateranenſe patriarchium introduxerunt, „ & . . . accerſito Gregorio epiſcopo (Præneſtino) compulerunt eum „ ut orationem clericatus eidem Conſtantino tribueret. " Addit prima „ die factum eſſe Clericum; ſecunda vero die Subdiaconum, ac Diaconum, Dominica autem ſequenti in baſilica B. Petri ab eodem & duobus aliis Epiſcopis, Euſtraſio nempe Albanenſi, & Citonato Portuenſi eſſe conſecratum Pontificem

Addit idem Conſtantinum, cum cunctis odioſus per anni unius ſpatium ac menſem Eccleſiam Romanam obtinuiſſet, tandem ex illa eſſe deturbatum, & in ejus locum ſuffectum eſse Stephanum IV. Electo autem, necdum conſecrato, Stephano Conſtantinum apoſtolicæ ſedis invaſorem, in ſella muliebri equo impoſitum, magniſque ad pedes ejus ponderibus adhibitis in monaſterium ad Cellas-novas eſse deportatum : Sabbati vero die diluculo ante unam diem Ordinationis ejuſdem Stephani, Conſtantinum inde eductum ab epiſcopis fuiſse depoſitum : poſt ordinatum autem Stephanum, Gratioſum quemdam, cum

cum in monasterium ad Cellas-novas venisset, Constantino oculos eruisse.

Subdit porro a Stephano inter ipsa pontificatus exordia Synodum esse celebratam, cui multi Galliæ præsules affuerint, " Et præsiden-
" te, inquit, eodem beatissimo Papa, considentibus pariter cum eodem
" omnibus episcopis, deductus est ad medium Constantinus apostolicæ
" sedis invasor, jam excæcatus oculis: & subtilius exquisitus cur præ-
" sumpsisset apostolicam sedem, laicus existens, invadere, & talem
" iniquæ novitatis errorem in Ecclesia Dei perpetrare, ita coram
" omnibus professus est, vim se a populo pertulisse, & per brachium
" populi fuisse electum, atque coactum in Lateranense patriarchium
" deductum, propter gravamina atque præjudicia illa, quæ populo
" Romano injecerat dominus Paulus papa: & corruens in terram, ma-
" nibus extensis in pavimento, se reum ac super numerum arenæ maris
" peccasse deflebat, petensque misericordiæ veniam ab eodem sacerdotali
" consequi Concilio: quem a terra elevare facientes, ipso die nullam de eo
" protulere sententiam.

" Alia vero die denuo afferentes eum, inquit, atque interrogantes
" de eadem impia novitate, respondit nihil novi se fecisse, dicens: Quia
" & Sergius archiepiscopus Ravennatium, laicus existens, Archiepiscopus
" factus est; & Stephanus Neapolitanæ civitatis, & ipse laicus, repente
" episcopus consecratus est. Dum vero talia idem Constantinus perse-
" queretur, illico irati zelo Ecclesiasticæ traditionis, universi Sacer-
" dotes alapis ejus cervicem cædere facientes, eundem extra ecclesiam
" ejecerunt.

" De Episcopis vero, inquit, atque Presbyteris & Diaconis quos
" ipse Constantinus consecraverat, ita in eodem concilio promulga-
" tum est, ut Episcopi illi, si aliquis eorum presbyter aut diaconus
" fuerit, in pristinum honoris sui gradum reverterentur: & si placa-
" bile fuisset coram populo civitatis suæ, denuo facto decreto electio-
" nis more solito ad apostolicam advenissent (advenirent) sedem, &
" ab eodem sanctissimo Stephano papa benedictionis suscepissent (sus-
" ciperent) consecrationem. Presbyteri vero ac Diaconi ab eodem Con-
" stantino consecrati, simili modo in illum, quo prius existebant,
" habitum reverterentur. Et postmodum si qui eorum extitissent (exi-
" sterent), antefatus beatissimus Papa eos Presbyteros aut Diaconos
" consecraret: statuentes ut hi qui ex eis consecraturi (consecrandi)
" erant, nequaquam ad fortiorem honorem ascenderent, nec ad pon-
" tificatus promoverentur culmen, ne talis impius novitatis error in
" Ecclesia Dei pullularet . . . . . . De laicis vero qui ab eodem
" Constantino aut Presbyteri aut Diaconi consecrati sunt, ita pro-
" mulgatum est, ut in religioso habitu cunctis diebus eorum
" vitæ, sive in propriis domibus, vel ubi fuissent, permanere debe-
" rent.

Hu-

" Hujusmodi vero, inquit, promulgatis sententiis, illico Episcopi „ illi, qui ab eodem Constantino ordinati sunt, revertentes, juxta „ ejusdem Concilii sententiam, in pristino honoris gradu, electi de- „ nuo a clero & plebe, factoque solito decreto, ad sedem Apostoli- „ cam properantes, ab eodem sanctissimo papa consecrati sunt .... „ Ita enim in eodem concilio statutum est, ut omnia quæ idem Con- „ stantinus in ecclesiasticis sacramentis ac divino cultu egit, iterata „ fuissent (iterarentur) præter sacrum baptisma & sanctum chrisma." Ipsum Concilii decretum vide *tom.* 7. *Conc. pag.*1725.

RESPONDET Auxilius *lib.* 2. *cap.* 4. *pag.* 363. in eo graviter peccasse Stephanum pontificem. Cum enim hoc exemplum sibi opposuisset: " Nunquam, inquit, exemplum a malis est sumendum...... „ Quocirca Constantinus qui neophytus, armisque circumseptus, apo- „ stolicam sibi cathedram usurpavit, jure damnatus atque ejectus est. „ Jam vero quod eum oculis privarunt, non apostolicum, sed apo- „ staticum est. Ordinationem quoque ejus non rectitudinis intuitu, „ sed invidiæ zelo contra sanctorum Patrum sanctiones in pristinos de- „ posuerunt gradus, addentes, & juramento constringentes, ut nullus „ de Presbyteris ac Diaconibus ad superiores gradus promoveretur. In „ qua deliberatione, quid aliud intelligi datur, nisi retributionis ti- „ mor; scilicet ne quando ad fastigium apostolicæ dignitatis provecti, „ suam vindicarent injuriam .... Bene, inquam, bene quod neo- „ phytum ab apostolica celsitudine projecerunt, sed manifeste in eis „ peccaverunt, qui secundum canones ordinati fuerant, & eos depo- „ nere non formidarunt, eosque nefario ausu iterum in eadem Ordi- „ natione consecrandos esse statuerunt. Alioqui frustra sanctissimus Leo „ papa censuit, ut pseudoepiscopi abjiciantur, & eorum Ordinatio ra- „ ta consistere possit. Frustra enim papa Anastasius præfixit, ut Ordina- „ tiones Acacii nulla portio læsionis attingeret. Imo & Liberii Ordinatio- „ nes, atque Vigilii consecrationes frustra illibatæ permanserunt. Hæc re- „ fert Sigebertus *ad ann.*963.

Quæ cum ita sint, de his aliorum esto judicium: nos interim benigniorem in partem cum Baronio, Natali Alexandro & aliis propendemus magis, quo nos multa momenta impellunt.

Primum est, quod ne verisimile quidem sit tot eruditos viros, tot Episcopos, tot summos Pontifices a Traditione deflexisse. Esto enim, ab ea desciverint quidam privati, quod non inficiamur; an idem multis Romanis Præsulibus, pluribus Galliarum ac Germaniæ Episcopis, & non paucis Synodis ascribemus?

Secundum, quod qui a Constantino ordinati fuerant, in habitu religioso permanere jubeantur. Quorsum enim istiusmodi sanctio, si laici meri fuissent, nec ullo Ordinationis charactere insigniti?

Tertium est, quod cum depositi in pristinos gradus restituebantur, eædem ferme cæremoniæ usurparentur quas inter ordinandum adhiberi

mos

mos erat : Ordinum enim insignia coram altari recipiebant , & benedictione episcopali in Ordinibus confirmabantur. Quocirca videbantur iterum consecrari. Non mirum itaque si nonnulli scriptores hancce novam benedictionem *consecrationis* nomine appellaverint.

INSTABIS. Ex iis omnibus quæ Constantinus egerat , nihil illibatum remansisse dicitur nisi Baptismus & Chrisma. Ergo.

DISTINGUO antecedens , quoad usum potestatis ; concedo : quoad characterem ; nego . Hoc itaque intelligendum de juribus cuique sacramento annexis: sua sunt enim Sacramentis jura peculiaria . Porro ut Clerici Ordinationum suarum juribus gauderent , e quibus juxta canones exciderant , longo rituum apparatu , & quadam Ordinationis adumbrata specie eguerunt . At vero erga laicos nihil simile usurpatum est , ut juribus sibi per Baptismum , & Chrisma quæsitis fruerentur . Uno verbo circa Baptismum & Chrisma nihil actum est, quo renovari aut improbari viderentur: at multa acta sunt quibus Ordinationes instaurarentur. Laici, ut erant, ita sunt relicti. Sacerdotes autem & Episcopi velut de integro ordinati sunt. Hoc sensu dicitur nihil intactum esse relictum præter Baptismum & Chrisma.

INSTABIS 2. Eodem modo dicuntur esse iterum a Stephano consecrati Sacerdotes, quo primum putabantur esse a Constantino ordinati : atqui in priori Ordinatione characterem imprimere voluit Constantinus : ergo & Stephanus in posteriore.

DISTINGUO majorem : eodem modo quoad aliqua; concedo : quoad omnia ; nego. In eo posita est utriusque consecrationis similitudo , quod eædem fere in utraque cæremoniæ adhibitæ fuerint.

INSTABIS 3. Stephanus, ex Joanne XII. mox allegato, quos Constantinus ordinaverat, hos iterum consecravit.

DISTINGUO antecedens : consecratione non sacramentali ; concedo: sacramentali; nego. Scilicet *consecrationis* vocabulo ritus illos appellat, quibus a Constantino consecratos Sacerdotes Stephanus in Ordinum suorum usum restituit.

OBJICIES 4. Photii , qui medio circiter IX. sæculo Constantinopolitanam sedem expulso Ignatio usurpavit , Ordinationes omnes confixæ sunt a summis Pontificibus & Patribus VIII. Synodi: imo & ipsa ejus consecratio videtur ab iis esse pro nulla habita; Ergo.

Ut autem id planius fiat, observandum est,

Primo anno 847. Ignatium ex Imperatorum stirpe oriundum , sed vitæ sanctimonia longe adhuc clariorem Methodio patriarchæ Constantinopolitano successisse , cum Michael hoc nomine III. in Oriente imperaret.

Secundo eundem Ignatium , cum exosus evasisset Bardæ qui gratia, & auctoritate multum apud Imperatorem valebat , e sede esse deturbatum , & in ejus locum per grave nefas ab eodem subrogatum esse Photium, qui generis quidem nobilitate , ingenio & eruditione illustrissimus

simus erat, sed qui laicus adhuc existebat, & intra sex dies contra Ecclesiæ decreta omnes Ordines a Gregorio Syracusano antistite, jam damnato, consecutus est.

Tertio cum acerba inde dissidia orta essent & causa delata fuisset ad Nicolaum I. summum pontificem, improbatam ab eo esse Ignatii depositionem, Ordinationemque Photii nullam ab eodem esse judicatam: quo quidem Photius ita exarsit ut anathematis fulmen, a Nicolao in se vibratum, in ipsum retorserit.

Quarto a Basilio, qui sublato Michaele imperium est adeptus anno *867*. Photium e sede fuisse expulsum, & Ignatium in eam esse restitutum: quod utrumque firmatum est ab VIII. Synodo œcumenica, eam ob rem anno *869*. habita, cui per legatos præfuit Adrianus II. Nicolai successor.

Quinto mortuo circa annum 878. Ignatio, Photium, qui interim Basilii benevolentiam variis artibus captaverat, ejus opera ac favore pristinam dignitatem recuperasse, approbante Joanne VIII. Romano præsule, qui post Adrianum Ecclesiæ præfuit: quod & Photius faciendum curavit a Synodo 383. Episcoporum, cui interfuere Joannis legati, quamque Græci schismatici VIII. œcumenicam dicunt omnibus quæ antea facta erant, rescissis.

Sexto denique anno 886. Basilio imperatori successisse Leonem ipsius filium, qui Photium rursus expulit, & Stephanum fratrem suum a Photio Diaconum factum ei substituit, Ecclesiam regente Stephano IV. qui Joannem VIII. excepit.

Jam vero de Photio sic loquitur Synodus VIII. *canon.* 4. *tom.* 8. *Conc. pag.* 1370. " Photium, inquit, contra jus fasque præcipiti temeritate, velut atrocem lupum in gregem Christi insilientem .... „ nunquam antea Episcopum fuisse, neque nunc ulla ratione esse, „ justo decreto declaramus: nec ab illo creatos in eo sacerdotii gradu, in quem ab eo promoti sunt, manere. " Ac proinde Ordinatio irrita esse decernitur. Itaque Anastasius, qui Synodo aderat, & latinam in linguam Græca Synodi acta transtulit, sic addit: " Omnibus maxime, quæ in ipso, & ab ipso ad sacerdotalis gradus acceptationem vel damnationem acta sunt, in irritum „ ductis.

Distinguo antecedens: nec Photium nec ab illo ordinatos Episcopos esse aut unquam fuisse, quoad usum, & exercitium legitimæ potestatis; concedo: quoad characterem; nego. Quod enim penes characterem veri Episcopi forent, multa sunt quæ evincant.

Primum est, quod qui laici sunt, ii deponi nequeant. Atqui tam Photius quam ejus asseclæ a summis Pontificibus & Conciliis deponuntur aut deponi jubentur. Sic Nicolaus I. *epist.* 7. *cap.* 1. *tom.* 8. *Conc. pag.* 287. de Photio. " Sit, inquit, omni sacerdotali honore & nomine alienus, & omni clericatus officio prorsus exutus. " De Gregorio

„ autem Syracusano *ibid. cap.* 2. D, " Gregorium, inquit, ... sanci-
„ mus & ..... definimus ..... omni sacerdotali carere atque privatum fore ministerio. " De iis vero qui a Photio ordinati fuerant *ibidem*, „ *cap.* 3. *pag.* 288. A, Eos vero, inquit, quos Photius neophytus ..... „ in quolibet ecclesiastico Ordine provexit, ... omni clericali officio „ privamus. " Hoc ipsum vide *pag.* 1172. & 1173. Adde *epist.* 9. *cap.* 1. 2. & 3. *pag.* 358. C, 359. A, *epist.* 11. *pag.* 377. A, & *epist.* 13. *pag.* 382. C. Idem habet Adrianus II. *epistola ad Basilium Imperatorem*, quæ lecta est actione 1. VIII. synodi *pag.* 982. B, C, D. Idem quoque sanxit Ecclesia Orientalis *ibid. pag.* 993. B, C, D. Ergo Photius & ab eo ordinati Præsules pro veris episcopis habebantur.

Secundum est, quod Photius, ut in locis modo prolatis dicitur non esse episcopus propter depositionem, sic alibi propter excommunicationem dicitur non esse Christianus. Teste enim Concilio VIII. *in epistola ad Adrianum pag.* 1390. E, synodus Constantinopolitana accersito Photio & Photianis ut pro defensione suaque causa dicerent si quid haberent, ut eos tacere vidit, pronuntiavit Photio Christiani cognomen abrogandum: tum vero sic pergit, Adrianum compellans: " Ergone vero tu Photium a quinque Synodis æquas ob causas & ingentia scelera damnatum, inferisque per anathema devotum, Christiani appellatione afficiendum censes? " Ita etiam de Gregorio Syracusano loquitur Nicolaus I. in epistola ad episcopos & clerum Constantinopolitanum, *actione* 7. *Concilii*, *pag.* 1077. D, " Quomodo Photius, inquit, etiamsi nihil aliud sibi jure valeat impedire, queat in „ sacerdotali gradu persistere? quandoquidem institutor suus (Gregorius „ Syracusanus,) cum hic ordinaretur, non solum sacerdotio, verum „ & ipso carebat Christiani vocabulo. " Atqui cum Photius & Gregorius Syracusanus præsul propter excommunicationem in ipsos latam dicuntur non esse christiani, id profecto non ita intelligitur, quasi excommunicationis sententia Baptismi characterem in iis delevisset; sed ideo duntaxat ita nominantur, quod nempe christiani nominis juribus non amplius gauderent. Ergo pariter, cum pronuntiatur eos non esse amplius episcopos, hoc non de charactere ipso, sed de munere, officio & Ordinis usu accipiendum est.

Tertium est, quod Nicolaus I. suam ipse mentem aperiens *epist.* 13. id in Gregorio Syracusano tantum arguat, quod nempe Photium irregulariter ordinasset: " Anathematizavimus, inquit, ... Gregorium, ... „ eo quod ... Photium irregulariter ordinaverit. " Atqui aliud est ordinare irregulariter, aliud non valide ordinare. Ergo.

Quartum est, quod Adrianus in epistola ad Basilium jam laudata, *ibid. pag.* 982. C, palam & aperte profiteatur in eo se Leonis I. decretis adhærescere, qui de Ordinationibus Episcoporum contra canones factis differens, statuit ejusmodi Episcopos deponi quidem oportere, sed ratas tamen haberi posse factas ab iisdem Ordinationes. Atqui

S. Leo

S. Leo ibi manifeste admittit in his præsulibus contra fas ordinatis sacramenti characterem. Ergo.

Quintum est, quod ipsemet Photius post mortem Ignatii a Joanne VIII. consentientibus Ecclesiis Alexandrina, Antiochena, Hierosolymitana, citra ullam novam consecrationem, non secus ac ab ipso ordinati, in pristinas sedes repositi sint. " Nunc itaque, inquit Joannes „ epistola ad Basilium 199. *tom.* 8. *Conc. pag.* 1454. *&* 1455. *& tom.* 9. „ *pag.* 131. aliis Patriarchis, Alexandrino videlicet & Antiocheno & „ Hierosolymitano, atque omnibus Archiepiscopis, Metropolitis, E„ piscopis & Sacerdotibus, cunctoque Clero Constantinopolitanæ se„ dis, ... controversiam aliquam in Ecclesia Dei amplius remanere „ nolentes, hunc ipsum Patriarcham cum omnibus, sive Episcopis, si„ ve Presbyteris, seu cæteris Clericis, & omnibus laicis, in quos ju„ dicii fuerat censura prolata, ab omni ecclesiasticæ sanctionis vinculo „ absolvimus, sanctæque Constantinopolitanæ Ecclesiæ judicamus reci„ pere sedem, dominicique gregis esse pastorem. " Vide & *tom.* 8. *pag.* 1403. 1435. 1479. & 1494. Atqui non potuisset Photius una cum suis sine nova Ordinatione restitui, si Ordinatio prior omni charactere fuisset destituta. Ergo.

Sextum est, quod cum Leo Imperator Photium rursus ejecisset, Stephanus Leonis frater, a Photio diaconus factus, in ejus locum substitutus sit sola dispensatione summi pontificis Stephani VI. ut legere est apud Baronium *ad annum* 886. & Binium *in notis ad vitam Stephani* VI. *tom.* 9. *Conc. pagina* 365. id ex coætaneis scriptoribus astruentes. Græci auctoris verba ab eodem Binio memorata vide *in notis ejusdem ad epistolam* 4. *Stephani*, *pag.* 368. C, & alterius *tom.* 8. *Conc. pag.* 1450. Dispensavit autem Stephanus non Imperatoris tantum, sed etiam Episcoporum Orientalium rogatu, quorum ea de re litteræ extant *parte* 3. *synodi VIII. cap.* 4. *pag.* 1398. 1404. *&* 1406. Ergo non solum Imperator, sed etiam Orientis universi Præsules, & Pontifices Romani verum ac genuinum in iis qui a Photio ordinati fuerant superstitem characterem agnoscebant : atque adeo tota Ecclesia tunc temporis idem omnino quod nos de Ordinationibus invasorum & intrusorum sentiebat.

Septimum est, quod Joannes IX. epist. 2. ad Stylianum, *tom.* 9. *Conc. pag.* 494. ut Ignatium, ita Photium ac Stephanum, in numero legitimorum Pontificum receperit, etsi nullam unquam Ordinationem novam suscepisset : " Quapropter, inquit, Ignatium, & Photium, & „ Stephanum, & Antonium, sicut sanctissimus Papa Nicolaus, & Jo„ annes, & VI. Stephanus & universa Romana Ecclesia huc usque te„ nuit, etiam nos eodem ordine illos recipimus & tenemus, & illis „ qui supersunt ex illorum ordine ... pacis & communionis illis concedimus unitatem. " Ita Joannes IX. post annum 900. Atqui neque Photium, neque ab eo ordinatos Episcopos, potuisset ita suscipere, si nul-

nullus in iis omnino character extitisset. Ergo ab omnibus, in Episcopis etiam intrusis & invasoribus character insculpi putabatur.

Octavum est tandem quod exinde Photius tanquam legitimus Constantinopoleos Patriarcha, & ab eo consecrati Antistites tanquam veri Episcopi ab omnibus Græcis spectati fuerint. Imo Photio Græci pertinaciter deinceps adhæserunt, nedum de ejus consecratione aut Ordinationibus ab eo factis dubium ullum moverint. Jam vero cum Photius plurimos sive Presbyteros, sive Episcopos ordinarit, & Præsules ab ipso inaugurati sine dubio alios, & isti rursus alios progressu temporis & consecutis ætatibus; si ejusmodi Ordinationes omni charactere vacuæ fuissent, dici non posset quam paucos forte nunc habeat Orientalis Ecclesia veros Episcopos: atque adeo cum ad Ecclesiæ Latinæ sinum revertuntur, ii certe non sine nova Ordinatione, majoris saltem cautionis gratia, admittendi forent. Is tamen non est usus Ecclesiæ Romanæ, nec unquam fuit, neque ullum circa hoc caput Græcos inter & Latinos negotium aut lis intercessit; sed cum Ordinibus suis sine ulla controversia semper suscepti sunt. Ergo validas semper habuit Ecclesia Latina Photii Ordinationes.

Quibus positis, jam perspicuum est, nedum historia Photii nobis noceat, ea contra mirum in modum nostram assertionem confirmari.

INSTABIS 1. Teste Anastasio quæcunque in Photio aut ab ipso peracta erant, a synodo VIII. irrita declarata sunt. Ergo.

DISTINGUO antecedens: irrita quatenus ab Ecclesia irrita declarari queunt; concedo: secus; nego. Nimirum Ordinis character ad sacramenti substantiam pertinet; in substantiam autem Sacramentorum, utpote divini instituti, nihil Ecclesia valet: sed Ordinis usus ad disciplinam spectat; ac proinde juris est ecclesiastici, non divini: in hunc ergo duntaxat, non vero in illum, Ecclesia quidquam potest. Quocirca cum Ordinatio ab illa judicatur irrita, id non de charactere, sed de potestatis usu interpretandum necessario est.

INSTABIS 2. Longe aliter pronunciat Synodus de iis Episcopis qui a Methodio aut Ignatio ordinati, Photio deinceps adhæserant, quam de illis qui a Photio consecrati fuerant: priores enim perpetua depositione plectuntur; alii autem dicuntur non fuisse unquam episcopi. Atqui nullum plane esset inter utrosque discrimen, si de Ordinum usu sermo tantum foret: is enim etiam prioribus adimitur *can.* 25. apud Anastasium: " Depositi sunt, inquit synodus *tom.* 8. *pag.* 1193. B, & " omnino sacerdotali operatione privati: ... & nequaquam tales in sa- " cerdotali catalogo recipiantur, etiamsi ex hoc converti volue- " rint. " Ergo.

NEGO minorem: latum enim est inter eos nihilominus discrimen: qui enim a Methodio & Ignatio consecrati fuerant & in partes Photii exinde transierant, ii aliquando Episcopi fuerant, etiam quoad Or-

di-

dinationum suarum usum; antequam enim Photio adhærescerent, cunctis sacerdotii juribus fruebantur: sed qui a Photio ordinati fuerant, ii nec Episcopi esse poterant quoad hunc usum potestatis suæ, neque unquam fuerant: atque hoc illud est quod de utrisque synodus pronuntiat.

INSTABIS 3. Extat quædam Ignatii in sedem Constantinopolitanam restituti epistola, *actione 3. synodi VIII. pag.* 1009. ad Nicolaum summum Pontificem, qua ipsum interrogat, qua tandem ratione gerere se debeat erga Clericos tam a se & Methodio quam a Photio ordinatos. Cum autem has litteras accepisset mortuo Nicolao Adrianus, ipse respondit distinctionem esse adhibendam, & iis quidem qui a Methodio & Ignatio consecrati fuerant, si sub satisfactione libelli remeaverint, ignoscendum esse; alios autem quos ordinaverat Photius esse sequestrandos: tum sic addit: " Præ omnibus autem, inquit *pag.* 1012. ,, C, & super omnia Gregorium Syracusanum, & Photium tyrannum, ,, & quos idem Photius in gradu quolibet ordinasse putatus est, ab ,, Episcoporum numero vel dignitate, quam usurpative ac ficte dedit, ,, merito sequestrantes: 1. quia Photius Maximo, & Ordinatio ejus ,, vel potius execratio, istius Ordinationi pene in cunctis videtur esse ,, simillima: 2. quia &c. ..... 3. quia Photius vir forensis, curialis, ,, neophytus, invasor, atque adulter, nec non & anathemate condemnatus existens, nihil habuit (præter damnationem quam) se sequentibus propinaverit. " Ac proinde summus ille Pontifex Episcopos a ,, Photio consecratos putativam duntaxat, usurpativam ac fictitiam Ordinationem ab ipso suscepisse decernit, cum veram contra ac solidam suscepisse existimentur a Methodio & Ignatio consecrati. Qui autem putative tantum & ficte ordinati sunt; ii sane nullo sunt charactere insigniti. Ergo juxta mentem Adriani nullum illi characterem acceperant.

DISTINGUO antecedens: qui a Photio initiati erant, ii fictitiam tantum & putativam Ordinationem suscepere, quoad honorem & dignitatem; concedo: quoad characterem; nego. Sic enim statim subjungit Adrianus: " Ab anathematizato & damnato Photio per impositionem ,, manus, non lucrum sed vulnus in capite susceperunt.

INSTABIS 4. Eodem modo accipienda est vox illa, *putativa*, quomodo alibi passim in eadem synodo intelligitur. Atqui alibi omnem prorsus effectum excludit: sic v.g. Adrianus in epistola eadem paulo post *pag.* 1013. B, de Ignatii depositione a Photio perperam facta loquens, eam appellat *putativam*. At profecto omni effectu illa carebat. Similiter actione 9. *pag.* 1121. synodus quorumdam laicorum temeritatem arguens qui amicti sacerdotalibus stolis & episcopalibus superhumeralibus, Patriarchas & Episcopos simulabant, & eadem quæ illi, per impium jocum, agebant: " Præsumpserunt, inquit, sacerdotio fungi & agere *putativa*. " Atqui laici illi dubio procul nihil omnino ef-

ficiebant. Ergo pariter Ordinatio illa plane nulla fuisse censenda est quæ *putativa* nominatur.

Distinguo majorem : eodem modo accipienda est, quoad fert subjectæ materiæ natura; concedo : secus; nego. *Putativum* enim id appellatur, quod videtur esse, neque tamen reipsa est; ac proinde ad speciem externam potissimum refertur : huic autem speciei externæ quandoque aliquid subest, quandoque autem nihil, pro rerum varietate. Itaque depositio Ignatii *putativa* dicitur, quod cassa esset & contra regulas facta. Cum autem depositio quælibet ad solam disciplinam pertineat, eo ipso quod ipsi repugnat, tota vacua & irrita est : ita etiam Sacramenta, quæ a laicis temere & impie conficiuntur, *putativa* nominantur, quia cum speciem Sacramentorum præ se ferant, nullam tamen vim habent, cum ab iis conficiuntur quibus ea facultas deest : neque vero ex parte tantum irrita sunt, sed omnino; quia videlicet nullus est in laicis ad ea conficienda character. At non eadem est Ordinationis conditio. Ideo enim *putativa* nuncupatur, quod cum videatur aliquos evehere ad dignitatem quandam ecclesiasticam, nullam tamen eis revera conferat, sed aliquod duntaxat inane dignitatis simulacrum : absit autem ut idcirco *putativa* dici censeatur, quod nullum characterem infigat. Mirum porro non est quod veteres *putativam* Ordinationem appellent, quæ jura ipsa Ordinationis, dignitatem & officium non largitur, etiamsi aliunde characterem intrinsecus imprimat. Nempe non theologice, sed populariter loquuntur : *nullum* autem ac *irritum* passim dicitur, quod, cum effectus aliquos sensibiles extrinsecus habere debeat, nullos tamen habet qui compareant : eorum enim quæ non apparent & quæ non sunt, in hoc genere eadem vulgo est ratio.

Instabis 5. Actione 7. ejusdem Concilii *pag.* 1075. A, quædam refertur Nicolai epistola quæ de Gregorio Syracusano & Photio ab eo ordinato sic habet : " Quomodo, inquit, quemquam ædificare poterat " (Gregorius,) qui multipliciter jam noscebatur elisus? quomodo quemquam in aliquo ecclesiastico poterat Ordine stabilire, qui Ecclesiæ " unitatem scindens, ipse jam videbatur omnino dejectus? Sicut enim " ligatus ligare, & dejectus dejicere non potuit; sic destructus construere, & elisus quemquam ordinare nequivit. In summo quippe " status sui oportet eum vigore consistere, & firmis inniti per omnia " basibus, qui alterum vel prosternere vel conatur statuere. Gregorius " ergo, qui canonice ac synodice depositus, ... quemadmodum posset " quemquam provehere vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil " Photius ex Gregorio percepit, nisi quantum Gregorius habuit : nihil autem habuit : nihil dedit ...... Hinc enim scriptum est : *Qui* " *obturat aures suas ne audiat legem*, *oratio ejus erit execrabilis*. Si execrabilis, utique non audibilis : si non audibilis, ergo inefficax : si " inefficax, profecto Photio nihil præstans : nimirum qui vulneratum

" ca-

„ caput per illam manus impositionem potius habere dignoscitur. “ Ergo Gregorius Photium plane ordinare non potuit.

DISTINGUO consequens : ordinare non potuit legitime ; concedo : valide ; nego. Si enim quæ antecedunt ac consequuntur verba diligentius excutiantur, ea sane nihil aliud, quam dignitatem, officium, & ministrandi jus sonant. Quid enim aliud sibi volunt ista, *ædificare*, *stabilire*, *construere*, *provehere?* an non gradum ecclesiasticum aperte denotant ad quem aliquis provehatur? Cæterum ex hoc ipso Nicolai loco satis patet Photium a Gregorio accepisse quod Gregorius habuit : atqui Gregorius, utpote in Ecclesia catholica ordinatus, characterem susceperat: ergo.

INSTABIS *6.* Istiusmodi Ordinatio juxta Nicolaum inefficax fuit. At quod inefficax est, id omni prorsus effectu caret. Ergo.

DISTINGUO antecedens : inefficax quoad gratiam & jus exercendæ potestatis; concedo : quoad ipsam potestatem; nego. Nempe paulo ante Spiritus-sancti gratiæ mentionem fecerat. “ Nihil habuit, inquiebat; „ nihil dedit : per eorum quippe, ut legitur, manus impositionem & „ invocationem dabatur Spiritus-sanctus, qui noverant mundas ad Do„ minum manus levare &c.

INSTABIS 7. Ordinatio Photii cum Maximi Cynici consecratione in hac epistola & alibi passim in eadem synodo comparatur. Atqui hæc nihil omnino effecit. Ergo.

NEGO minorem. Quin imo ex ista comparatione novum efflorescit in favorem catholicæ sententiæ argumentum, ut ex supradictis constat.

INSTABIS 8. At nullum in Photio sacerdotii vestigium agnoscebatur : sic enim cum aliis Orientalibus Episcopis profitetur Stylianus Neocæsareensis præsul in epistola ad Stephanum VI. *parte 3. Concilii, cap. 6. pag.* 1410. C. “ Qui Photium, inquit, sponte renuntiasse dignitatem scripserunt, illi ipsi Photium ut sacerdotem receperunt : nos „ autem nullum in Photio agnoscentes vestigium sacerdotii, . . . quomo„ do potuimus in hunc modum damnatum, tanquam sponte abdicatum „ scribere? “ Atqui ubi nullum est sacerdotii vestigium, ibi character esse non potest, quod est sacerdotii fundamentum. Ergo.

DISTINGUO antecedens : nullum agnoscebatur sacerdotii vestigium secundum canones & Ecclesiæ disciplinam, quæ nullum in intrusis & invasoribus vel minimum Ordinationis jus admittit ; concedo : secundum divinam institutionem, quod ad ipsum characterem spectat ; nego.

INSTABIS 9. At nullus in eo character esse censebatur. Qui enim laicus est, is dubio procul characterem Ordinationis non habet. Atqui Photius laicus esse censebatur, & eodem loco habebantur qui ab ipso consecrati fuerant. Ita enim Nicolaus *epist.* 1. *pag. 269.* C. “ Photii vero consecrationem, inquit, non solum minime admittendam esse de„ cre-

„ crevimus, verum etiam legatis nostris, ne cum illo, nisi quasi cum lai-
„ co, usque ad notitiam nostram communicarent, frequenti ac omnimo-
„ da jussione præcepimus. " Hinc ejusdem epistola 2. *pag.* 282. E. ad ipsum Photium sic inscribitur : " Nicolaus episcopus, prudentissimo viro
„ Photio. " Hinc etiam actione 4. synodi VIII. *pag.* 1035. C. apostolicæ sedis legati " Per nullam, inquiunt, occasionem rationabilem de-
„ monstrare Photius valet quod receptus aliquando fuerit a Romana se-
„ de; sed semper inter laicos eum computabat. " Vide & actione 7. *pag.* 1061. C. 1062. D. 1064. D. Certe Formosus summus pontifex cum litteris Styliani ad Stephanum VI. datis, & eo mortuo, a se acceptis responderet *pag.* 1411. B. " Petis misericordiam, inquit, & non addis
„ quomodo, aut cuinam : laico, an sacerdoti? si laico; venia dignan-
„ dus est, ut qui a laico dignitatem acceperit : si sacerdoti; non per-
„ pendis honorem ab illo nullum tribui posse qui ipse honore careat. " Et ante Formosum, Adrianus in epistola synodica *pag.* 1419. E. " Pho-
„ tium, inquit, ... damnamus, nisi viva voce, suaque manu, omni-
„ bus decretis nostris .... sese obtemperaturum promittat : ... tunc
„ illi enim laicorum communione non interdicimus. Ergo.

Distinguo minorem : Photius ab omnibus ut laicus habebatur, in foro externo, ut loquuntur; concedo : interno; nego. Qui enim contra leges ad gradus ecclesiasticos prorepit, iis carere debet, & haberi quasi nullos unquam esset adeptus. Laicus ergo est quoad jura, dignitatem, officium, &, si pœnitentiam agat, quoad communionem; non vero penes characterem. Et sane Nicolaus I. eum ut laicum haberi præcipiebat, cum nondum constaret an non legitimus episcopus Photius esset : ac proinde ad characterem mandatum istud non faciebat. Adde quod olim qui veri fuissent Episcopi, si postmodum in gravia crimina prolabebantur, ad communionem laicam redigerentur : nec ideo tamen characterem amisisse putabantur.

Instabis 10. Legati summi Pontificis in Bulgariam missi Confirmationem a Photianis datam reprobarunt & reiterarunt : id enim testatur Metrophanes in epist. ad Manuelem patricium *parte 3. synodi, cap. 2. pag.* 1387. E : " Qui (Photius,) inquit, cum intellexisset le-
„ gatos Pontificis Romani in Bulgariam missos Confirmationem ejus
„ reprobasse, omnesque Bulgariæ principes & subditos chrismate iterum
„ inunxisse, tum vero velut œstro percitus œcumenicam synodum con-
„ finxit. " Et vero etiamnum extat hac de re Photii epistola inter eas quæ non ita pridem in lucem publicam prodierunt numero secunda, in qua idcirco acriter & acerbe in Ecclesiam Romanam invehitur. Ergo.

Distinguo antecedens : reprobarunt & iterarunt Confirmationem datam a Photianis Presbyteris; concedo : Episcopis; nego. Quapropter non deesset quidem huic momento pondus, si iterata fuisset Confirmatio ab Episcopis Photianis data; inde enim consequeretur agnitum in illis

non

non fuisse characterem episcopalem: sed hoc in casu de Presbyteris dumtaxat agebatur, quos non idoneos esse hujus sacramenti ministros apostolicæ sedis legati arbitrati sunt, quod & sentiunt etiamnum plures Theologi. Id vero manifestum est ex ipsis Photii verbis in epistola illa encyclica quam refert Baronius *ad ann.* 863. " Chrismate inunctos per Sacer„ dotes, inquit, denuo chrismate inungere non exhorruerunt, cum se E„ piscopos prædicarent, & Presbyterorum chrisma inutile quiddam ac „ frustra factum comminiscerentur. An talem quis insaniam fando un„ quam audivit, quam non exhorruere insani isti factitare, ut semel un„ guento delibutos rursus inungerent? .... Sapiens & egregium respon„ sum eorum hoc est: Non enim, inquiunt, licet Sacerdotibus eos qui „ sacro Baptismate initiantur, unguento sanctificare. Solis etenim Pon„ tificibus hoc lege datum est &c. " Has vero Photii querelas asoiverunt Græci, ut videre est in epistola Nicolai ad Hincmarum & alios Galliæ Præsules apud Flodoardum *lib.* 3. *historiæ Remensis cap.* 7. & in opere Ratramni Corbeiensis adversus Græcos. Itaque ad rem non est proposita difficultas: imo nedum quid efficiat, id contra innuit aliter agendum fore & actum esse circa eos qui chrismate ab Episcopis Photianis uncti fuissent: ab iis enim data Confirmatio nunquam reprobata aut iterata legitur: atqui debuisset pari jure improbari & iterari, nisi existimati essent charactere ad id necessario insigniti. Ergo.

INSTABIS 11. Photius eos qui ab Ignatio ordinati fuerant rursus ordinavit: hoc enim tradit Nicetas in vita Ignatii *tom.* 8. *Conc. pag.* 1255. C. " Imprimis, inquit, hoc agebat ut Ordinationes patriarchæ Ignatii „ transmutaret, atque ab eo damnatos sedibus restitueret. Sed cum id „ Imperatori non probaretur, videte quid tentavit: consecratos a S. „ Ignatio resecrare conatur. " Atqui id non tentavit, nisi ut par pari referret. Ergo qui a Photio ordinati fuerant, ii a Catholicis iterum consecrabantur.

NEGO minorem. Id enim quidem tentasse Photius perhibetur; sed quod ita egerit ut par pari referret, non memoratur: imo id ipsi tanquam aliquid insolens & contra Ecclesiæ canones actum objicitur. Ex quo duo consequuntur: 1. quidem Catholicos in causa non fuisse cur ita Photius insanierit: alterum iteratas Ordinationes velut gravissimum scelus passim apud omnes habitas tunc esse.

INSTABIS 12. At saltem Photius Ordinationes iteravit. Ergo.

NEGO consequentiam. Quid enim Photius intrusus ac schismaticus ausus fuerit, non curamus. Neque vero mirum est ipsum a Deo desertum, & ab Ecclesia sejunctum crimina criminibus cumulasse. Id autem favet nobis, quod ejusmodi impietas ipsi vitio versa fuerit.

INSTABIS 13. Eadem est ratio Sacerdotum & Ecclesiarum. Atqui ecclesiæ a Photio consecratæ jussæ sunt rursus dedicari: sic enim loquitur synodus VIII. *can.* 4. apud Anastasium *pag.* 1128. D. " Sed & Ec„ clesias quas, ut putatur, tam Photius quam ii qui ab ipso consecra-

„ ti

„ ti sunt, dedicaverunt, vel si commotas mensas stabilierunt, rursus
„ dedicari & inthronizari atque stabiliri decernimus. Ergo.

Nego majorem. Ecclesiarum enim consecratio juris ecclesiastici est, & ad disciplinam solam spectat : unde quando contra canones peracta est, iterari potest ac debet. At non eadem est Ordinationis conditio.

Instabis 14. Idem Anastasius in scholio quodam ad finem VIII. synodi, *pag.* 1176. A, discrimen collocat inter eos qui ab Hæreticis ordinati sunt, & qui ab invasoribus, qualis Photius erat, sunt consecrati. Atqui priores non nisi characterem ab ordinatoribus accipere possunt. Ergo ne hunc quidem characterem posteriores accipiunt.

Distinguo majorem : discrimen quoad restitutionem ; concedo : quoad alia; nego. Nodum hunc, ubi de Maximo Cynico, jam dissolvimus.

Instabis 15. Metrophanes Smyrnensis metropolita ejusdem concicilii *act. 6. pag.* 1322. E, inter utrosque etiam interesse affirmat : "
„ Quod vero dicitur (a vobis,) inquit Photianos Præsules alloquens,
„ Petrum Moggum Alexandriæ patriarcham depositum fuisse, pariter &
„ Acacium Constantinopolitanum, ab illis tamen ordinatos nequaquam
„ depositos fuisse, nihil vestræ causæ Photioque patrocinatur. Nam ali-
„ ter ecclesiasticæ leges ab hæresi reductos judicant, & aliter eos qui
„ a mœchis & sacrilegis contra leges sunt initiati : quæ leges illos per
„ libellum hæresim suam ejurantes sanciunt recipiendos : quemadmo-
„ dum ..... Felix, qui Simplicio in pontificatu Romano successit,
„ Petrum Moggum in synodo damnavit, & Acacium abrogavit. Con-
„ tra ordinatos autem ab utroque nulla expressa lata est sententia : . .
„ ordinatos vero, ut Photius & cum Photio vos estis, nequaquam le-
„ ges recipiunt; quemadmodum II. sacro-sanctum & œcumenicum Con-
„ cilium de Maximo Cynico & ab eo consecratis egit. " Ergo.

Respondeo in eo differentiam esse positam, quod juxta Metrophanem, Ecclesia longe severius agat cum invasoribus, quam cum hæreticis. Quando enim hæretici revertuntur ad Ecclesiæ sinum, ipsi quidem hæreseos antistites damnantur ; sed alii vulgo una cum suis Ordinibus admittuntur, aut in sedes suas restituuntur : intrusos autem & invasores, necnon & ab iis consecratos perpetua depositione multat : id autem sententiam nostram non evertit, sed firmat potius : qui enim deponuntur, ii laici non sunt, sed sacerdotes.

Objicies 5. Formosi summi pontificis Ordinationes irritas esse declararunt easque iterarunt Stephanus VI. ac Sergius ejus successores, quod ille nimirum in Romanam sedem contra canones intrusus esse videretur. Ergo.

Ut autem id intelligatur notandum est,

1. Formosum Portuensem episcopum sub Nicolao I. circa annum 860. magna sanctitatis opinione floruisse; multisque honorificis legationibus

nibus feliciter fuisse perfunctum; quod Anastasius docet in Nicolai vita *tom.* 8. *Conc. pagina* 265. C. &c.

2. Eundem a Joanne VIII. cum variorum criminum incusatus esset anno circiter 870. in synodo depositum fuisse & anathemate perculsum. Accusabatur autem 1. quod Romanam sedem per vim & ambitum occupare tentasset : 2. quod in vitam Joannis & Caroli-calvi imperatoris ruinam conspirasset : 3. quod urbem Romam prodere voluisset Saracenis Italiam tunc vastantibus : 4. quod in Bulgariam a Nicolao I. missus Bulgariæ Principem sacramento obstrinxisset, ne quem unquam Episcopum, se excepto, ab apostolica sede susciperet. Ob hæc itaque & alia ei objecta scelera a Portuensi sede exturbatus est, & in ejus locum subrogatus quidam Walbertus. Quæ quidem Joannis sententia a synodo probata est, & legitur in ejusdem epistola 319. ad universos Gallos & Germanos *tom.* 9. *Conc. pag.* 233. A. Eadem autem confirmata est 1. in concilio Pontigonensi *can.* 8. cui quidem aderant & apostolicæ sedis Legati & plurimi cum e Belgio tum e Gallia Præsules, *ibid. pag.* 292. B. 2. in synodo Tricassina II. actione 4. præsente ipso Joanne VIII. *pag.* 308. D. & 319. B. Huic porro judicio subscripsit aliquando Formosus : testatur enim Auxilius *parte* 2. *cap.* 20. Formosum, " Quando depositus est, mediantibus sacro-sanctis Evangeliis ju„ rejurando conclusisse, ut Romuleam urbem nullatenus ingrederetur, „ suumque episcopatum nullo modo reciperet. " Idem & alii perhibent.

3. Marinum Joanni VIII. successisse, ab eoque Formosum & sacramento solutum esse & pristinæ restitutum sedi circa annum 880. de quo consule vitam Formosi, *tom.* 9. *Conc. pag.* 427. & Auxilium *parte* 2. *cap.* 20. adde Martinum Polonum, Platinam & Ciaconium.

4. Hunc ipsum Formosum postea, hoc est anno 891. cum omnium doctissimus & sanctissimus haberetur in summum pontificem, reluctante admodum Sergio, qui Romanam sedem affectabat, electum esse, & Ecclesiæ per sex circiter annos summa cum laude præfuisse, ut refert Baronius *in Annalibus tom.* 10. & memoratur *tom.* 9. *Conc. pag.* 426.

5. Stephanum VI. qui Formosum excepit an. 896. in ejus cadaver & in eos qui ab ipso ordinati erant, sæviisse; quod cum ex multis horum temporum monimentis, tum præsertim ex Luitprando de rebus Imperatorum & Regum *cap.* 8. *pag.* 18. discimus. " Formoso, inquit, „ defuncto .... Sergius (Stephanus VI.) papa per Adelbertum con„ stituitur : quo constituto, ut impius doctrinarumque sanctarum in„ scius, Formosum e sepulcro extrahi, atque in sedem Romani ponti„ ficatus sacerdotalibus indumentis indutum collocari præcepit : cui & „ ait : Cum Portuensis esses episcopus, cur ambitionis fastu Romanam „ sedem universalem usurpasti? His expletis, sacratis mox exutum ve„ stimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim jactari præcepit; cun„ ctosque quos ipse ordinaverat, gradu proprio depositos iterum ordi-

„ na-

„ navit. Quod quam male egerit, ... in hoc animadvertere poteris, „ inquit idem, quoniam & hi qui a Juda Domini nostri Jesu-Christi „ proditore ante proditionem, salutem seu benedictionem apostolicam „ perceperunt, ea post proditionem propriique corporis suspensionem „ minime sunt privati .... Quantæ autem auctoritatis, quantæque re- „ ligionis papa Formosus fuerit, hinc colligere possumus, quoniam „ dum a piscatoribus postmodum esset inventus, atque ad B. Petri A- „ postolorum principis ecclesiam deportatus, sanctorum quædam imagi- „ nes hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt : hoc namque a „ religiosissimis Romanæ urbis viris persæpe audivi. " Stephanus porro factum ac decretum suum in synodo confirmandum curavit, ut monet ipsius vitæ scriptor *tom. 9. Conc. pag.* 475. E. Luitprandum exscribit abbas Urspergensis : consentiunt Martinus Polonus & Platina : idem quoque commemorat Auxilius 2. *parte*, *cap.* 30. " Stephanus, inquit, „ qui tertius a Formoso extitit papa, eundem Formosum adeo repro- „ bum esse judicavit ut cadaver ejus de tumulo extrahi & in Conci- „ lium pertrahi faceret, ibique eum pristinis vestibus denudantes, lai- „ co amictu velaverunt, & ferro duobus dextræ digitis amputatis, in „ quodam peregrinorum tumulo sepelierunt, nec multo post in Tibe- „ rinum fluvium præcipitarunt. Adde insuper concilium Romanum an- „ no 904. *tom. 9. Conc. pag.* 502. E.

6. A Theodoro papa, qui Stephano VI. post Romanum successit, & a Joanne IX. qui Theodorum secutus est, acta omnia in Formosum pontificem & consecratos ab eo præsules esse rescissa.

7. Sergium hoc nomine III. qui Formosi competitor fuit, cum sedem Romanam, quam persæpe tentaverat, tandem aliquando occupasset, in eundem Formosum & ab ipso ordinatos immaniter rursus Stephani exemplo insaniisse, ut in ejus vita narratur *tomo 9. de Conc. pag.* 517. E.

Sed audire præstat Sigebertum qui singulos hujus tragœdiæ actus recenset. Itaque.

Ad annum 900. " Formosus, inquit, Portuensis episcopus Romanæ „ Ecclesiæ CXI. præsidet, contra voluntatem quorumdam Romanorum, „ qui Sergium diaconum Romanæ Ecclesiæ papam facere voluerant, „ sed non prævaluerant. Hic Formosus, cum aliquando in sinistram „ suspicionem venisset Joanni VIII. papæ, timore ejus fugiens, episco- „ patum Portuensem reliquit : & quia revocatus a papa redire noluit, „ anathematizatus est, & tandem ad satisfaciendum papæ in Galliam „ veniens, usque ad laicalem habitum degradatus est, jurans se non „ amplius Romam intraturum, nec episcopatum suæ urbis repetiturum ; „ confirmans etiam propriæ manus scripto se in laicali communione „ perseveraturum. Post a Marino successore Ioannis in episcopatu con- „ tra datum sacramentum restitutus, non solum Romam intravit, sed „ etiam Romanæ Ecclesiæ papatum suscepit. Propter quod cum multo

„ scan-

„ scandalo multa per multos annos quæstio agitata est in Ecclesia, aliis „ ejus & ab eo ordinatorum consecrationem irritam esse debere præjudicantibus; aliis e contra qualiscunque fuerit Formosus, tamen propter sacerdotalis officii dignitatem & fidem eorum qui ordinati fuerant, omnes consecrationes ejus ratas esse debere saniori judicio loquentibus, præsertim cum ipse Formosus a Marino papa absolutus „ fuerit a perjurio.

Ad annum 902. " Stephanus, inquit, Romanæ Ecclesiæ CXIII. præ„ sidet mensibus quatuor. Hic primum a Formoso papa episcopus Ana„ gninæ ecclesiæ ordinatus, ipsum Formosum persequitur, & omnes „ Ordinationes ejus esse debere irritas decernit, & alia horribilia di„ ctu in eum fecit. Legitur enim quia ipse .... corpus Formosi a se„ pulcro in Concilio protractum & papali veste exutum laicali induit, „ & abscissis duobus digitis dextræ manus ejus, in Tiberim præcipita„ ri fecit.

Ad annum 903. " Theodorus, inquit, Romanæ ecclesiæ CXV. præsi„ det. Hic contra Stephanum papam sentiens, reconciliavit ordinatos „ a Formoso, quos Stephanus per vim Romæ intus & non foris exor„ dinaverat, nec tamen præsumpserat eos iterum consecrare. His re„ conciliatis Theodorus papa libellos abrenuntiationis reddidit, & igni „ cremari præcepit.

Ad eundem annum " Joannes, inquit, Romanæ ecclesiæ CXVI. præ„ sidet. Hic etiam ad confirmandam Formosi Ordinationem, quam „ Stephanus deposuerat, Synodum 74. Episcoporum, præsentibus Fran„ corum Archiepiscopis & Rege, apud Ravennam statuit, & coram „ eis combusta est Synodus quam Stephanus in damnationem Formosi „ fecerat.

Ad annum 907. de Sergio loquens " Iste est, inquit, Sergius diaco„ nus propter Formosum a papatu reprobatus, qui ab eodem Formo„ so episcopus factus, ad Francos tamen se contulit, & eorum auxilio „ Christophorum invasorem capiens & in carcerem trudens, latenter „ Romam ingressus, papatum invasit, & Romanos minis & terroribus „ pepulit, ut omnes Ordinationes Formosi irritas haberent: & in ul„ tionem suæ repulsæ, quod dictu nefas est, Formosum sepulcro extra„ ctum in sede pontificatus sacerdotaliter indutum, decollari præcepit, „ & insuper tribus digitis abscissis in Tiberim jactari fecit; & omnes „ quos ille ordinaverat injuste exordinavit: quem a piscatoribus inven„ tum, & in basilica Apostolorum principis, loculo deportatum, quæ„ dam sanctorum imagines adorasse & venerabiliter salutasse palam om„ nibus visæ sunt.

Ergo duo summi Pontifices, Formosi & ab eo consecratorum Ordinationes irritas esse definierunt, consentientibus etiam aliis Episcopis, irritas, inquam, non tantum quoad usum potestatis, sed etiam quoad characterem. Asserit enim Luitprandus eas a Stephano VI. & Sigeber-

tus

tus a Sergio esse reipsa iteratas. Auxilius certe qui a Formoso presbyter inauguratus fuerat, ex professo opus in partes duas divisum conscripsit ut Ordinationes Formosi tueretur adversus multos qui illas plane nullas esse statuebant, & qui idcirco, ut loquitur 2. *parte*, *cap.* 14. eos qui ab ipso consecrati fuerant, " Iterum in eodem gradu consecra-" re non formidabant.

Distinguo consequens : duo summi Pontifices pessimi viri & apostolicæ sedis invasores, per vim ac metum, in synodis minime liberis, irritas esse Ordinationes hujusmodi declararunt, reclamantibus plerisque aliis; concedo: secus; nego. Videndum porro est quid de hoc Stephani & Sergii facto opinari oporteat. Jam vero non una est eruditorum responsio.

Prima est Onuphrii in notis ad Platinam, & Ciaconii in vitis Pontificum, qui ajunt hæc omnia quæ memorantur, fabulosa esse ac fictitia.

Sed hi facile refelluntur non coætaneorum duntaxat scriptorum consentientibus testimoniis, sed etiam ipsis Romanæ ecclesiæ monimentis. Ut enim reliqua taceamus, superest etiamnum synodus habita, sub Joanne IX. in qua refiguntur quæcunque a Stephano VI. in Formosi cadaver & ab eo ordinatos perperam acta erant.

Secunda est Joannis Morini qui *de sacris Ordinationibus parte* 2. in præfatione ad Auxilii libros, & *parte* 3. *exercitatione* 5. *cap.* 3. sentit hoc Stephani VI. ac Sergii III. factum non ita improbandum esse, quippe qui ex canonum norma & ecclesiasticæ disciplinæ studio ita agere potuerint.

Tertia est aliorum qui hoc facinus, tanquam immane quoddam flagitium, hominibus juxta ac superis invisum, detestantur; ad quos pluribus de causis accedimus.

1. Nempe Stephanus ac Sergius nefarii ac scelestissimi viri extiterunt: sic enim eos Baronius vocat, & qui utriusque vitam scripsit *tom.* 9. *Conc. pag.* 474. & 517.

2. Qui Formosum ideo damnabant, quod contra regulas & canones ex ecclesia Portuensi in Romanam intrusus esse videretur, iidem ambo apostolicam sedem per vim ac nefas invaserant: sic enim de Stephano loquitur Luitprandus *supra* : " Descendit, inquit, ... in Tusciam, " quatenus Adelberti potentissimi marchionis auxilio juvaretur: quod " & factum est. Nam Formoso defuncto, ... papa per Adelbertum " constituitur. " De Sergio autem, Sigebertus " Ad Francos, inquit, " se contulit, & eorum auxilio Christophorum invasorem capiens, . . " latenter Romam ingressus papatum invasit " &c. Adde Baronium " *tom.* 10. *Annal.* & qui ex ipso vitam utriusque exscripsit *tom.* 9. *Conc.* " *supra*.

3. Nonnulli quidem extitere qui Stephano & Sergio tunc temporis adhæsisse ferantur; sed vi ac metu. Nam quod ad Stephanum spectat, nul-

nullam in synodo ab ipso coacta Episcopis opinandi libertatem esse permissam, ex iis, quæ dicentur modo, constabit. Sergius autem a Sigeberto perhibetur minis & terroribus Romanos perpulisse ut Formosi Ordinationes irritas haberent. Adde Auxilium *in præfatione libri* 2. ubi *violentarum oppressionum* mentionem facit, quibus urgebantur a Formoso consecrati ut sacerdotium suum abdicarent : vide & *cap.* 11. & 32. ubi describit sacramenta quibus Stephanus & Sergius asseclas suos, & quoscunque poterant, obstringere conabantur, ne unquam Formosi Ordinationes admitterent.

4. Sibi ipsi non constabant illi Pontifices : aliorum enim Ordinationes damnabant, sed non refigebant suas. Atqui ipsi a Formoso Episcopi facti fuerant. Ergo aut nulla erat ipsorum Ordinatio, sicque summi pontifices non erant; aut aliorum pari jure valida erat. Ista profecto non cohærent: una enim omnium esse ratio debuit.

5. Quæcunque Stephanus & Sergius egere, a reliquis fere omnibus Ecclesiæ catholicæ Episcopis improbata sunt.

Ut enim a Joanne IX. qui Stephanum excepit exordium ducamus, ipse certe duplici in synodo acta illa prorsus abrogavit.

Prima est Romana an. 904. cujus titulus est " De abrogatione pseu„ dosynodi habitæ a Stephano prædecessore. " Porro ibi damnatur 1. Stephani in Formosi corpus insania : *capitulo* enim 1. " Synodum, in„ quit, tempore piæ recordationis VI. Stephani Papæ, decessoris vi„ delicet nostri, celebratam, in quam venerabile corpus Formosi ve„ nerandi papæ de sepultura violata per terram tractum est, & quasi „ ad judicium deductum, judicari & damnari præsumptum est, quod „ nunquam decessorum nostrorum temporibus factum fuisse traditum „ est, penitus abdicamus. " *Capitulo* autem 2. venia conceditur iis qui Stephani concilio metu coacti interfuerant " Episcopi, inquit, & „ Presbyteri & reliquus clerus, qui eidem synodo interfuerint, quia „ ipsi veniam petentes, coactos se terroris metu ac formidine inter„ fuisse confessi sunt, prece sanctæ synodi eis indulsimus, statuentes & „ decernentes ut nullus futuris temporibus vim Episcopis inferre vel „ eos temere lacerare præsumat, quatenus cum ad synodum convene„ rint, libere eis tractare & statuere liceat, quæ SS. Patrum canoni„ ca censura decrevit. " Tum vero translatio Formosi necessitate facta „ approbatur *capitulo* 3. " Quia, inquit, necessitatis causa de Portu„ ensi ecclesia Formosus pro vitæ merito ad apostolicam sedem pro„ vectus est, statuimus & omnino decernimus, ut id in exemplum „ nullus assumat " &c. *Capitulo* autem 4. restituuntur qui a Formoso quondam ordinati, a Stephano postea temere dejecti fuerant : " Epi„ scopi (ergo), inquit, seu Presbyteri atque Diaconi, nec non & „ Subdiaconi, cæterique alterius Ordinis sanctæ sedis apostolicæ, qui „ ab eodem venerando papa Formoso canonice consecrati, & pro quo„ rumdam libitu temere dejecti sunt, in proprios Ordines, & gradus „ com-

„ communi sanctæ synodi consultu reducimus. “ Denique *capitulo* 5. ne Stephani contagia serperent, reordinationes omnes vetantur. “ Re-
„ ordinationes, inquit, seu rebaptizationes . . . . sancti Patres in Afri-
„ cano concilio congregati omnimodis interdixerunt, quos secuti & nos
„ interdicimus.

Secunda est Ravennatensis 74. Episcoporum eodem anno congregata, cui affuere Joannes summus pontifex, nec non & Lambertus imperator ac plurimi Archipræsules Galli. In ea enim cum summus pontifex, *cap.* 4. *pag.* 508. E, petiisset, “ Ut synodus (Romana ante-
„ dicta) quæ . . . . in basilica B. Petri apostoli pro nonnullis malis
„ eradicandis & maxime pro causa domini Formosi sanctissimi papæ,
„ acta est, . . . imperiali consensu & venerabilium Episcoporum, &
„ optimatum roboraretur . . . . quæ non invidiæ zelo, sed rectitudi-
„ nis gratia peracta ; . . . . . concordi voce id factum est. “ Hujus synodi meminit Sigebertus *supra* : “ Hic etiam, inquit, ad confir-
„ mandam Formosi Ordinationem quam Stephanus papa deposuerat,
„ synodum 74. episcoporum, præsentibus Francorum Archiepiscopis,
„ & Rege, apud Ravennam statuit, & coram eis combusta est syno-
„ dus quam Stephanus in damnationem Formosi fecerat. “ Eam quoque commemorat Auxilius *cap.* 29. *par.* 2. quæ in dialogi morem contexta est : cum enim Formosi adversarius, quem inducit sub *Infensoris* nomine, dixisset, “ In Ravennati (quidem) urbe congregata sy-
„ nodo sancitum esse, ut tam Formosus quam ejus Ordinatio, in
„ suo valore stabilita permanerent ; at id non sincera concordia, sed
„ auri copia institutum esse, ideoque pro nihilo habendum : “ sic Au-
„ xilius reponit : “ Ut opinor illud tibi contigit quod ait Psalmus :
„ *Foderunt ante faciem meam foveam, & ipsi inciderunt in eam*. Nam
„ quod delatis muneribus tale quid in ea synodo statutum fuerit, pro-
„ bare minime poteris : nos autem & plurimi nobiscum luce clarius
„ compertum habemus, quod non solum Romuleæ civitatis, sed om-
„ nes pene Italiæ præsules memorato interfuere Concilio. Quapro-
„ pter si favente Deo regalis potestas universale fecerit Concilium,
„ quid de vobis censendum erit, qui tot Episcoporum sanctiones irritas
„ facere non veriti estis ? “ Sic Auxilius de synodo Ravennatensi, quam *universalem*, ob Episcoporum numerum, & eximiam auctoritatem, appellat.

De hoc autem negotio non solum ita judicarunt summi Pontifices aut Italica Concilia, sed & alii plerique omnes in Orbe Christiano.

Auxilius sane duos ea de re libellos dedita opera conscripsit, in quibus contendit eos qui papæ Formosi sacram Ordinationem nihil esse vel fuisse causantur, christianæ religionis esse inimicos. Adeo res ista videbatur ipsi constans & indubitata.

Leo Nolanæ ecclesiæ præsul a Formoso consecratus, teste eodem Auxilio

xilio *in præfatione lib.* 2. cum a nonnullis urgeretur ut Ordinationem a Formoso acceptam pro irrita haberet, multos cum ex Italia, tum ex Gallia eruditos viros super hoc capite consuluit, qui omnes unanimi consensu id nefas esse responderunt. " Asseris, inquit Auxilius; te violen-
„ tas pati oppressiones, ut episcopale sacerdotium, quod olim a Papa
„ Formoso suscepisti, quasi nihil sit, irritum facias. Qua ex causa fate-
„ ris te mirificæ solertiæ Francos nec non & Beneventanæ civitatis pe-
„ ritos consuluisse viros, eorumque consulta apud te scripta retinere,
„ quæ te hujusmodi transgressionem committere manifesta ratione prohi-
„ beant. " Ergo id Francis & Italis perspicuum ac evidens erat, validas nimirum esse censendas Formosi Ordinationes, & scelus nefandum fore si quis eas iteraret.

Quod si nunc illos adeamus, qui horum temporum historiam nobis reliquerunt, id multo adhuc manifestius fiet.

1. enim Luitprandus Stephanum eam ob causam *impium & doctrinarum sacrarum inscium* vocat, illumque hoc in casu pessime egisse sine ulla hæsitatione pronunciat.

2. Abbas Urspergensis idem omnino scribit.

3. Sigebertus asserit *sanius* fuisse *judicium* eorum qui Ordinationes Formosi ratas haberent: iteratas Ordinationes *præsumptionem* appellat: tandem Stephani ac Sergii facinus una cum Luitprando execratur.

Jam vero Luitprandus ex Hispania oriundus fuisse traditur; Sigebertus autem, & Abbas Urspergensis ex Germania: quapropter si illis adjungas duos illos summos Pontifices, Italos præsules, & Gallos Archiepiscopos modo recensitos, compertum erit in omnibus orbis Christiani partibus hoc Stephani & Sergii factum passim improbatum fuisse.

Quid si addimus prodigium illud a multis scriptoribus memoratum de Formosi corpore ab imaginibus sanctorum salutato? inde sane consequetur hanc impietatem non hominibus duntaxat, sed etiam superis manifeste exosam extitisse.

Neque vero ulla legitima causa erat cur pro nullis haberentur Formosi Ordinationes.

Quatuor enim duntaxat afferebantur, quod ex Auxilio & aliis ejusdem ævi scriptoribus liquet.

1. quod Formosus e clero Romano non esset, cum ad sedem apostolicam evectus est.

2. quod ab ecclesia Portuensi translatus foret.

3. quod sacramento pollicitus esset se nec Romam intraturum, nec Episcopatum urbis suæ unquam repetiturum.

4. quod a Joanne VIII. depositus esset.

Sed hæc inania sunt.

1. enim nulla lege cautum erat, ne alii quam clerici Romani ad pon-

tificatum assumerentur. Hoc quidem hactenus in more positum fuerat, ut nullus extraneus eligeretur; sed nullus ad eam consuetudinem Ecclesiæ canon accesserat.

2. Translationes Episcoporum ab una sede ad aliam vulgo quidem prohibitæ sunt; sed permittuntur tamen, ubi eas aut temporum necessitas aut Ecclesiæ utilitas exigit: ac plura sunt harum translationum exempla probatissima, ut recte monet Auxilius *lib.* 2. *cap.* 3. *& seq.* Formosus porro a Romanis postulatus, teste Luitprando & aliis, cum his infelicissimis temporibus nullus ei par haberetur; unde & Joannes IX. in concilio Romano testatur hancce translationem necessitatis causa factam esse.

3. Formosus quidem juraverat; sed, ut animadvertit idem Auxilius, juramentum istud nefarium, crudele & vi extortum fuit. Præterea vero per Marinum pontificem hoc sacramento solutus est. " Formosus, „ inquit Auxilius *lib.* 2. *cap.* 32.... nequam angustatus jurando promi- „ sit, ut Romuleam urbem nunquam ingrederetur, ad reconciliatio- „ nem sui honoris nunquam accederet, suumque Episcopatum nun- „ quam reciperet. Hoccine sacramentum apud Christianos cuilibet „ imponi fas est? Nonne contra sacram religionem contrarium esse „ convincitur? contra sacram religionem, in eo quod invitus juravit „ ut Romuleam urbem nunquam intraret, hoc est nunquam aposto- „ lorum corpora Petri, & Pauli adoraret; contrarium vero in eo „ quod adjunxit, ut ad reconciliationem sui honoris nunquam accede- „ ret .... Rata ergo compassione Formosum a tali juramento solvere de- „ creverunt. " *Et paulo ante*, " Papa Marinus, inquit, Formosum de „ juramento, quod invitus dederat, solvere potuit.

4. Confitemur sane Formosum ab eodem Joanne fuisse depositum: sed postea ab ejus successore restitutus fuit. " Sicut verum est, inquit Auxi- „ lius *parte* 2. *cap.* 20. quod Apostolica auctoritate depositus fuerit, ita „ verum est quod apostolica auctoritate reconciliatus extiterit. " Vide & *cap.* 21.

Sed esto juxta leges Ecclesiasticas nemo ad Apostolicam sedem, nisi e Romani Cleri gremio, promoveri debuerit, male ac perperam translatus fuerit Formosus, non sit a sacramento solutus, depositus extiterit nec unquam reconciliatus; an continuo characterem semel susceptum amisit? aut ideo characterem, quem habebat, infigere aliis non potuit? Id quidem efficere poterat, ut illicitæ forent ejus Ordinationes: sed an idcirco nullæ prorsus & irritæ evaserunt?

INSTABIS 1. Formosus ipse, cum factus est Romanus Pontifex, se non fuisse Episcopum agnovit, & manus impositionem ita sibi fieri voluit ac si Episcopus non esset .. Id enim legitur apud Auxilium *parte secunda*, *cap.* 26. " Formosus, inquit Infensor, quando „ accessit ut Papa efficeretur, manus impositionem ita sibi tribui præ- „ cepit, ac si Episcopus non esset: ac per hoc non solum Apostoli- „ cam

„ eam dignitatem non acquisivit , verum etiam id quod Episcopus erat, perdidit.

Respondeo 1. cum Auxilio , id falsissimum esse : ac istud quidem de Formoso ab ejus æmulis jactabatur ; sed re ipsa nihil unquam hujusmodi dixit . " Cæterum , inquit Auxilius *lib.* 2. *cap.* 26. interrogavimus eos qui præsentes fuerunt , quando Formosus inthronizatus est , sed dixerunt . Procul dubio falsissimum est quod Formosus in hac translatione manus impositionem acceperit: sed quemadmodum in itinere ambulantes fusis precibus exorant Deum ; ita & nos gubernatorem Deum exorantes deduximus eum ad Apostolicam sedem , ibique inthronizavimus eum , dantes congruam orationem . " *Capite* autem 27. " Ego , inquit , & non pauci mecum , certo certius compertum habemus , quia hæc de Formoso non alii referunt , nisi qui simultates , & inimicitias cum eo habuerunt.

Respondeo 2. cum eodem , si Formosus novam manuum impositionem susceperit , hanc fuisse duntaxat ad argumentum Apostolicæ potestatis , non in argumentum iteratæ Ordinationis . " Formosus , inquit , in illa manus impositione non id quod Episcopus erat , perdidit; sed augmentum Apostolicæ dignitatis, quod non habebat , accepit.

Instabis 2. Stephanus ac Sergius multos habebant sibi consentientes.

Distinguo: consentientes vi ac metu aliisque id genus causis; concedo: secus; nego. Itaque non inficiamur nonnullos ab eorum partibus stetisse: sed quinam illi fuerint , & quibusnam de causis eis adhæserint , dispiciendum est.

1. Igitur Stephano ac Sergio forte favebant plures Clerici Romani, quod e re sua id esset . Cum enim esse cleri Romani jus jactitarent, ut nullus nisi ex ejus sinu ad sedem Apostolicam promoveretur , non mirum si Formoso infensi forent , qui ex Ecclesia Portuensi ad Pontificatum assumptus fuerat . Sigebertus profecto testatur intra Romanam Urbem Ordinationes istas Stephani sese continuisse " Romæ , inquit , intus & non foris exordinaverat : " ex quo conjicere saltem possumus hancce tempestatem non longe admodum lateve se fudisse.

2. Alii vi ac terrore in easdem partes abrepti fuerant , ut jam observavimus.

3. Tandem alii quoque sese sacramento ad id obligaverant : hoc autem sacramentum postea temerare religioni erat : quapropter mirum non est quod nonnullos hoc in negotio secum consentientes habuerint . Sed his paucis exceptis , quos aut spes , aut metus , aut error Stephano ac Sergio addixerant , adversus ipsos reclamavit orbis universus.

Objicies 6. Joannes XII. in synodo habita an. 964. adversus Leonem quemdam apostolicæ sedis invasorem, sic loquitur actione 3. *tom.* 9. *Conc.pag.* 656. D: " Eos, inquit, quos ipse Leo neophytus, & in-
" vasor sanctæ, catholicæ & apostolicæ Romanæ ecclesiæ, in quolibet
" ecclesiastico Ordine provexit, apostolica atque canonica auctoritate
" & synodali decreto in pristinum revocamus gradum, quia ordinator
" eorum nihil sibi habuit, nihil illis dedit. " Ergo nulla est Ordinatio ab invasoribus collata.

Distinguo antecedens: nihil sibi habuit, nihil aliis dedit, quoad honorem, dignitatem & legitimum potestatis usum; concedo: quoad characterem; nego. Id autem sic esse interpretandum patet ex actione 1. *pag.* 655. C. Sic enim ibi legitur, Piissimus atque sanctissimus Papa
" dixit: Quid sentitis de iis qui ab eo ordinati sunt? Sanctum Con-
" cilium respondit: Priventur honore quem ab ipso acceperunt. Tunc
" idem benignissimus Papa præcepit ingredi eos in Concilium cum ve-
" stimentis, planetis atque stolis & unumquemque eorum in chartu-
" la scribere fecit ejusmodi verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil
" mihi dedit: & sic eos exutos privavit honore quem dederat eis ip-
" se invasor & neophytus atque curialis, & revocavit eos in pristinum
" gradum. " Atque adeo de honore non de charactere ista intelligenda sunt. Et vero, quod *supra* notavimus, Joannes statim profitetur sequi se Stephani de Constantino pseudopapa sententiam. Atqui Constantini Ordinationes quoad solam dignitatem & legitimum potestatis usum damnatæ sunt. Ergo.

Instabis. Sigebertus *in chronico* dum actorum hujus synodi summam refert, sic habet: " Joannes, inquit, synodo collecta Leonem
" deposuit, & ejus acta cassavit. Statutum quoque est publico omnium
" judicio Synodum a Leone habitam, nec nominandam synodum, sed
" prostibulum favens adulteris. Quicunque ergo eo ordinante erant
" damnati, jussi sunt suam ipsorum proscriptionem præsentare in char-
" ta hæc continente verba: Pater meus nihil sibi habuit, nihil mihi
" dedit: & sic depositi remanserunt in illis gradibus quos habuerant
" non a Leone ordinati: si qui autem digni judicantur, ut non ac-
" cepta prius consecratione ordinentur, indicto illis eodem decreto,
" quod & damnatis a Constantino neophyto. " Ergo iterum ordinati sunt qui a Leone consecrati erant, ac proinde nulla habita est facta ab illo consecratio.

Distinguo antecedens: ordinentur Ordinatione non sacramentali; concedo: sacramentali; nego. Nempe eodem hæc accipienda sunt sensu quo ipsa Joannis verba, cum ajebat in supradicto Concilio Constantinum invasorem a Stephano esse proscriptum, & quos ille ordinasset iterum esse ab eodem consecratos. Id enim de benedictione nuda, & cæremoniali, ut loquuntur, consecratione interpretanda esse jampridem docuimus. Adde quod hæc verba non sint Sigeberti, sed

ipsa

ipsi addita sint, ut liquet ex ejusdem Sigeberti editione per Aubertum Miræum facta.

SECTIO QUINTA.

Utrum Character Ordinationis in depositis & excommunicatis maneat & ab ipsis conferri possit.

ASSERTIO.

IN depositis & excommunicatis character Ordinationis manet, & ab ipsis conferri potest.

PROBATIONES.

Probatur 1. ex doctrina generali de charactere. Is enim ejusmodi esse dicitur ut amitti non queat.

Probatur 2. variis ex historia ecclesiastica depromptis exemplis. Qui enim post depositionem suam restituti sunt, ii nunquam sunt, ut sedes suas recuperarent, iterum consecrati.

Athanasius v. g. IV. sæculo in synodo Antiochena damnatus, sine nova Ordinatione per Julium Pontificem & Sardicensem Synodum restitutus est. Idem puta de Paulo Constantinopolitano, Marcello Ancyrano, Asclepa Gazensi & aliis, qui eadem qua Athanasius ratione ecclesiis suis redditi sunt. Neque vero Ariani, quantumvis ipsis infensi, conquesti sunt unquam, quod non essent iterum ordinati: de quo Athanasium ipsum, Sulpicium Severum, Socratem, & Sozomenum vide.

Chrysostomus ineunte V. sæculo Theophili Alexandrini factione & tumultuarii concilii judicio expulsus est: paulo post autem reversus non iteratam idcirco consecrationem suscepit. Cum vero in exilium exinde missus est, ab inimicis incusabatur, non quod novam Ordinationem non suscepisset, sed quod a synodo ejectus sine alterius synodi decreto rediisset: quod referunt Palladius *in vita Chrysostomi*, Socrates *lib. 6.* Sozomenus *lib.* 8. & alii.

Cyrillus a Joanne Antiocheno depositus est, ut & Joannes a Cyrillo & synodo Ephesina: cum autem, quæ inter ipsos simultates intercedebant, Theodosii junioris & Simeonis Stylitæ opera compositæ sunt, ambo in sedibus suis, citra ullam de nova Ordinatione mentionem, permanserunt: de quo acta synodi Ephesinæ, vita Simeonis, & alia illorum temporum monimenta.

Theodoretus ab Ephesino latrocinio proscriptus, in concilio Chalcedonensi, cum Nestorium, cui favere putabatur, aperte damnasset, susceptus est, nec iterum consecratus, ut ex historia constat.

Aliis superſedebimus, quæ ex antiquitatis eccleſiaſticæ ſcriniis infinita depromi poſſent, quod iſta ſufficiant. Cum enim innumerabiles Epiſcopos depoſitos eſſe legamus, & multos ex iis poſtea reſtitutos, eos quidem reconciliatos fuiſſe deprehendimus, nunquam denuo conſecratos. Aliud eſt autem reconciliatio, aliud iterata Ordinatio: quod acute obſervat Auxilius *parte* 2. *cap.* 21. ubi & longam texit ſeriem eorum qui citra ullam Ordinationis iterationem reſtituti ſunt. " Plurimi, inquit, Sacerdotum depoſiti fuerunt, & poſtmodum reconciliati: reconciliati, inquam, non denuo in idipſum conſecrati: quoniam quidem aliud reconciliatio, & aliud conſecratio: nam qui reconciliatur, in gradum priſtinum reſtituitur; qui autem conſecratur, id quod non habet accipit. " Id ipſum notat Petrus Damiani *opuſc.* 6. qui liber *Gratiſſimus* inſcribitur: afferens enim exemplum Formoſi qui poſtquam depoſitus fuiſſet a Joanne VIII. poſtmodum a Marino citra novam Ordinationem reſtitutus fuerat, quod quidem exemplum ad rem noſtram non mediocriter facit. " Quod ſi quiſquam objecerit, inquit, poſt depoſitionem reconciliatum fuiſſe Formoſum, Romanæ videlicet ſedis Epiſcopum, noverit plurimos Sacerdotum reconciliatos quidem fuiſſe, qui tamen nuſquam leguntur in idipſum denuo conſecrati: aliud eſt enim quemlibet per ſynodalem ſententiam in amiſſi Ordinis jura reſtitui, aliud per conſecrationis myſterium, quod iterari non poteſt, Spiritus-ſancti gratiam promereri, præſertim cum in eo, qui deponitur, quanquam dignitatis utendæ perdat extrinſecus privilegium, manet tamen nihilominus ſemel adepti Ordinis Sacramentum.

Probatur 3. Ordinis cum Baptiſmo comparatione. Non magis enim per depoſitionem amittitur Ordinationis character vel hujus characteris imprimendi facultas, quam Baptiſmatis. Atqui dubio procul character Baptiſmatis & hujus imprimendi facultas in depoſitis & excommunicatis manet. Ergo.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Synodus Toletana IV. an. 633. *can.* 28. " Epiſcopus, inquit, Presbyter aut Diaconus, ſi a gradu ſuo injuſte dejectus, in ſecunda ſynodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcopi; ſi Epiſcopus eſt, orarium, annulum & baculum; ſi Presbyter, orarium & planetam; ſi Diaconus, orarium & albam; ſi Subdiaconus, patenam & calicem: ſic & reliqui gradus ea in reparationem ſui ſuſcipiant, quæ, cum ordinarentur, ſuſceperunt. " Ergo per depoſitionem amiſſi erant Ordinum gradus.

Distinguo conſequens: amiſſi erant quoad officii exercendi facultatem; concedo: quoad characterem; nego. Itaque nedum is locus

sententiam nostram labefactet, nihil contra opportunius aut illustrius esse potest, cum ad eam stabiliendam, tum ad solvendos omnes, qui hoc in argumento occurrere possunt, nodos. Hinc enim elucet in Ordinum restitutione eadem fere omnia usitata fuisse, quæ in ipsa Ordinatione adhibita erant. Quod enim in his depositis character remansisse censeretur, nec iterarentur eorum Ordinationes, multa sunt quæ persuadeant.

Primum est ipsa canonis lectio. Luce enim clarius est synodum illam per hanc instrumentorum & sacrorum insignium redhibitionem, noluisse Ordinationes invehere, sed pias illas duntaxat ac consuetas cæremonias indigitare, quibus Ordinis posthac exercendi libera potestas fieret.

Secundum regula illa generalis a synodo Capuana præscripta, & in Hispaniis perinde ac in Galliis & Africa receptissima, reordinationes scilicet & rebaptizationes fieri non licere.

Tertium personarum de quibus hic sermo est, conditio. Esto enim depositione character Ordinis funditus extirpetur: nemo saltem contenderit eum deleri per injustam ac plane nullam depositionem: quod enim nullum est, omni prorsus effectu caret. Atqui hic mentio fit de clericis qui a gradu suo injuste dejecti sunt, & quorum in secunda synodo innocentia deprehenditur. Ergo illi per iniquam hanc sententiam characterem haud dubie non amiserant: si autem non amiserant, nec iterata Ordinatione indigebant ut in pristinum officii sui usum restituerentur: ac proinde hic de reordinatione non agitur.

Quartum Fulberti Carnotensis, qui rem extra dubium constituit, auctoritas. *Epistola* enim 25. quæ huic canoni commentarii ad instar esse potest, de quodam deposito loquens, & modum indicans quo restitui posset post actam pœnitentiam. " Cæterum, inquit, rebaptizationes & " reordinationes fieri canones vetant: propterea depositum non reordinabitis, sed reddetis ei suos gradus per instrumenta, & vestimenta, quæ ad ipsos gradus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradum Ostiarii in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti, &c. Novissime autem benedictione lætificabitis eum, sic dicendo: Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus-sancti descendat super te, ut sis confirmatus in Ordine sacerdotali, & offeras placabiles hostias .... omnipotenti Deo, cui est gloria in sæcula sæculorum. Amen. " Ita Fulbertus, cujus verbis illustrandæ synodo Toletanæ nihil aptius esse potest. Ecce enim eadem præscribit, quæ a synodo statuuntur in Ordinum restitutione usurpanda: imo plura recenset ac imperat. Attamen ibidem monet hanc non fuisse iteratam Ordinationem, neque ea mente ista adhibita esse. Ergo quamvis eadem ferme esset restitutionis quæ Ordinationis species, Ordinatio tamen non erat.

OBJICIES 2. Ebbonis archiepiscopi Remensis Ordinationes omnes a synodo Suessionensi II. refixæ sunt, quod eas Ebbo depositus peregisset. Ergo.

Quo

Quo in negotio, ut dicendis lux affulgeat, observa

Primo Ebbonem humili admodum genere natum, cum ingenio & doctrina pollere videretur, Ludovici-pii rogatu ad prædicandum Septentrionalibus populis Evangelium a Paschali II. esse missum circa annum 820. de quo legi possunt *Annales Francorum*, epistola synodica concilii Tricassini *tom.* 8. *Conc. pag.* 873. C. epistola Caroli-calvi Imperatoris ad Nicolaum *ibid. pag.* 876. E, Magdeburg. *Conc.* 9. *cap.* 10. *pag.* 321. &c.

Secundo ipsum, cum in Gallias reversus esset, ejusdem Ludovici opera factum esse postea archiepiscopum Remensem, quemadmodum idem Carolus narrat *supra*, *pag.* 877. B.

Tertio Ebbonem, cum per infandum scelus ann. 833. in conventu Compendiensi exauctorare ausus esset Ludovicum Imperatorem, ut Lotharium ejus filium, cui perfidus se addixerat, ad imperii fastigium eveheret, & exinde restitutus fuisset Ludovicus, eam ob causam esse depositum in Synodo apud Theodonis-villam an. 835. ad quam historiam vide conventum Compendiensem an. 833. *tom.* 7. *Conc. pag.* 1686. Agobardum *ibid. pag.* 1691. Eginhartum *ibid. pag.* 1694. conventum Sandionysianum anno 834. *pag.* 1693. concilium Metense anno 835. *pagin.* 1694. schedulam 2. Hincmari in concilio Suessionensi III. *tom.* 8. *Conc. pag.* 820. synodum apud Theodonis-villam an. 835. *tom.* 7. *Conc. pagin.* 1695. epistolam synodicam concilii Tricassini, *tom.* 8. *Conc. pag.* 868. epistolam Caroli-calvi ad Nicolaum I. *pag.* 878. Sigebertum, Reginonem *lib.* 2. & alios.

Quarto ei subrogatum fuisse in ecclesia Remensi primo quemdam Fulconem, deinde alium nomine Nothonem. Ita testantur Hincmarus, præsules Tricassini, & Carolus-calvus *supra*.

Quinto mortuo circa annum 840. Ludovico-pio Imperatore, Lotharium in Galliam statim involasse, ipsiusque edicto, cui viginti præsules subscripserunt, Ebbonem in ecclesiam Remensem restitutum fuisse, eamque per annum tenuisse, quo tempore plures Clericos ordinavit, ac præsertim Wlfadum, qui ecclesiæ Bituricensis postmodum episcopus fuit. Restitutionem vero Ebbonis approbasse dicitur Gregorius IV. summus Pontifex. Quidquid sit autem, eam certe omnes suffraganei præsules Remensis ecclesiæ ratam habuerunt. Consule epistolam Gregorii IV. *tom.* 7. *Conc. pag.* 1576. edictum Lotharii *pag.* 1770. apologeticum Ebbonis *pag.* 1772. epistolam synodi Tricassinæ *tom.* 8. *pag.* 871. & 872. nec non & Caroli-calvi *ibid. pag.* 879. denique libellum cleri Remensis *pag.* 881. B.

Sexto cum ad Caroli-calvi adventum fugere coactus fuisset Lotharius, Ebbonem pariter fugisse, & ejus depositionem in synodo Bituricensi ann. 842. esse confirmatam, ut constat ex synodica concilii Tricassini *tom.* 8. *pag.* 873. & synodi Bituricensis historia *tom.* 7. *pag.* 1874.

Sep-

Septimo Hincmarum ann. 845. in synodo Bellovacensi opera Caroli-calvi, cui gratissimus erat, in archiepiscopum Remensem esse electum, quod discimus ex actis synodi Bellovacensis *tomo* 7. *Concil. pagina* 1811. Hincmaro in schedula, & epistola synodi Tricassinæ.

Octavo Ebboni jam omni spe dejecto, cum diu vagatus esset, concessum esse tandem a Ludovico Germaniæ rege episcopatum Ecclesiæ Hildesheimensis, qui forte tunc vacabat, in quo an supremum diem obierit, non ita certum est: de eo consule Hincmarum *supra* & in epistola ad Nicolaum *pag.* 1911. Tricassinos Patres *pag.* 873. Crantzium in Metropoli *lib.* 1. *cap.* 27. 30. & 33. & chronicum Saxoniæ.

Nono Hincmarum an. 853. synodum Suessionensem II. haberi fecisse, ut, quid de clericis ab Ebbone deposito per annum illum, quo sedem suam recuperavit, ordinatis agendum esset, expenderetur; & hujus synodi judicio omnes illos gradibus suis esse motos: quod a Sergio papa & Nicolao I. confirmatum esse fertur. Vide ipsam synodum Suessionensem *tom.* 8. *Conc. pag.* 80. Flodoardum *lib.* 3. synodum Suessionensem III. *tom.* 8. *Conc. pag.* 808. & omnes epistolas ad eam pertinentes *ibidem*.

Decimo cum Clerici illi ad Nicolaum appellassent, ipsos post III. synodi Suessionensis inquisitionem an. 866. factam, & synodi Tricassinæ relationem anno sequenti ad eum missam, a summo hoc pontifice in suos gradus restitui jussos esse, quod Ebboni Ecclesiam Remensem administranti & ad sacrum ministerium vocanti bona fide obtemperassent; ut patet ex actis earumdem Suessionensis & Tricassinæ synodorum & epistolis Nicolai cum ad episcopos tum ad Wulfadum *pag.* 808. 850. 860.

Quibus positis sic arguitur: Suessionensis synodus II. sic loquitur canone 1. *tom.* 8. *Conc. pag.* 80. A " Claruit præfatum Ebbonem, inquit, " episcopale officium illicite repetiisse, quosque gradibus ecclesiasticis " æstimatus fuerit promovisse, damnationi potius obnoxios effecisse. " Ergo Clericos istos Ebbo ad Ordines reipsa non promoverat, sed promovisse tantum videbatur.

DISTINGUO antecedens: non promoverat licite, atque adeo gradum ipsum, dignitatem & legitimum potestatis usum non dederat; concedo: valide; nego. Quod enim nec Ebbo per depositionem suam putaretur amisisse characterem, nec eo carere existimarentur ab ipso ordinati, plurima sunt quæ evincant.

Primum est, quod in hac synodo Hincmarus & alii Præsules nunquam Ebbonem arguant quod post depositionem iterum ordinatus non fuerit, sed quod non fuerit canonice restitutus: id enim unum ubique in ipso reprehendunt. Sic canone ipso 1. Hincmarus ostendit non paucos a decessore suo Ebbone postquam canonice depositus fuisset, nec vero canonice restitutus, irrationabiliter ordinatos. " Unde actione 2. "

" Si

„ Si injuste, inquit, dejectus est (Ebbo) & canonice restitutus, & „ post suam canonicam restitutionem hos fratres studuit ordinare, sine „ ulla quæstione debent etiam ministrare. " Ergo ut Ebbo legitime ordinaret, non novam in ipso Ordinationem desiderabant, sed canonicam duntaxat restitutionem. Porro si characterem amisisset, nova utique Ordinatione opus habuisset. Ergo characterem in ipso superstitem agnoscebant.

Secundum, quod Ebbo diceretur tantum illicite ordinasse, non autem invalide. Sic Hincmarus *supra*, " Ab Ebbone, inquit, irrationabi„ liter ordinatos. " Et paulo post synodus, " Claruit, inquit, præfa„ tum Ebbonem episcopale officium illicite repetiisse. " Actione au„ tem 2. *pag*. 87. E. " Ministerium episcopale, inquit Hincmarus, quo „ suo & Episcoporum judicio fuerat spoliatus, irreverenter usurpare „ præsumpsit.

Tertium, quod Clerici ab ipso consecrati pro suspensis solummodo haberentur. Ita enim loquuntur ipsi actione 1. *pag*. 85. A. cum in synodum introducti fuissent: " Misericordiam, inquiunt, petimus no„ bis a vestra paternitate impendi de ministratione Ordinum ecclesia„ sticorum, ad quos a domno Ebbone quondam provecti, a vestra au„ tem auctoritate suspensi sumus. " Suspensi ergo erant, ac proinde reipsa ordinati: neque vero characterem Ordinationis a synodo postulant, sed Ordinis liberam administrationem, de qua sola controversia erat, ut ex ipsorum modo verbis & Hincmari *supra*, aperte liquet. Adde Flodoardum in historia hujus Concilii *lib*. 3.

Quartum, quod Ebbo post depositionem illam sine nova Ordinatione in Hildesheimensi urbe episcopalia munia citra ullam reprehensionem objerit. Atqui id fieri non potuisset, nisi characterem habuisset ad id necessarium. Ergo.

Quintum, quod qui sic ab Ebbone deposito ordinati fuerant citra novam Ordinationem officio suo a Nicolao I. consentientibus Gallis præsulibus, rege Carolo, ipsoque adeo Hincmaro, redditi fuerint. Atqui id fieri neutiquam licuisset, si omni charactere vacui fuissent. Ergo character iis inesse censebatur.

Hic autem notandum est cum restituti illi fuerunt, quæsitum non esse an rite depositus esset Ebbo necne, an non aliquando legitime restitutus fuisset; sed hoc uno motum esse summum Pontificem, quod illi nempe Præsuli suo, qualiscunque fuisset, obtemperassent, ut colligitur ex epistola Nicolai I. ad Episcopos synodi Suessionensis *pag*. 844. E. Atqui id manifeste significat omnium animis tunc insedisse, qualiscunque fuerit depositio, ea non extingui characterem. Hinc idem Pontifex in eadem epistola *pag*. 850. E. " Verumtamen, inquit, qualiscun„ que fuerit, vel quæcunque pertulerit Ebbo, a se ordinatis, qui nihil „ præter humilitatem & obedientiam exhibuerunt, nullum prorsus in„ tulit offendiculum. " Ergo.

IN-

INSTABIS 1. Actione 2. *pag.* 87. B. non tantum illi clerici dicuntur ministrare non debuisse, (quod ad jus pertinet;) sed nec potuisse (quod spectat ad characterem :) " Ministrare, inquit Hincmarus, " nec debent, nec potuerunt.

DISTINGUO antecedens : nec potuerunt licite ; concedo : valide ; nego. Et vero *ibidem* Hincmarus confitetur, si canonice restitutus fuisset Ebbo, ipsos ministrare sine dubio debuisse. Atqui restitutio illa characterem non instaurasset, si semel fuisset amissus, sed ad id necessaria extitisset nova Ordinatio. Ergo & in Ebbone & in aliis character admittebatur.

INSTABIS 2. Actione 4. *pagina* 88. D. " Postquam judices percontati essent quid de his .... decernendum foret, quos .... Ebbo " post suam depositionem absque ulla legitima restitutione præsumpserat ordinare, tunc, inquit synodus, surgens Immo Noviomagensis " episcopus porrexit rotulam, auctoritatem canonicam & apostolicam " continentem, quod qui ab ipso voluerant & visi fuerant ordinari in " gradus ecclesiasticos, ab eodem, quod idem non habuit, eorum nemo accipere potuit : damnationem utique quam habuit, per pravam " manus impositionem eis dedit ; quia qui particeps factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, ut Innocentius papa dicit, " inveniri non potest. " Ergo nihil ab Ebbone acceperant, qui ab ipso fuerant ordinati.

DISTINGUO consequens : nihil acceperant quoad honorem, jus & exercitium potestatis; concedo : quoad characterem ; nego. Id constat ex consequentibus. " Qui particeps, inquit Immo, factus est damnato, quomodo debeat honorem accipere inveniri non potest.

INSTABIS 3. Dicuntur illi visi duntaxat ordinari. Ergo specie tenus tantum ordinati fuerant.

DISTINGUO antecedens : visi fuerant tantum ordinari quoad gradus; concedo : quoad characterem; nego.

INSTABIS 4. Actione 5. *pag.* 88. E. " Decretum est, inquit, a sacratissima synodo, ut quidquid in Ordinationibus ecclesiasticis idem " Ebbo post damnationem suam egerat, secundum traditionem apostolicæ sedis, ut in gestis Pontificum legitur, præter sacrum Baptisma " .... irritum & vacuum habeatur. " Ergo Ordinationes Ebbonis irritæ omnino a synodo judicatæ sunt.

DISTINGUO antecedens : irritum habeatur quoad effectum, jura ac privilegia; concedo : quoad characterem; nego. Itaque qui ab Ebbone baptizati fuerant, urgente necessitate, qualiscunque tandem Ebbo esset, ii gratiam a Deo consecuti fuerant : imo qui extra necessitatis casum Baptisma ab ipso susceperant, ii postquam Ecclesiæ fuissent reconciliati, omnibus juribus, honoribus ac privilegiis gaudebant quæ Baptismatis sacramento annexa sunt : qualis est communio Sanctorum, perceptio Sacramentorum, & alia id genus quæ christiani nominis bo-

na ac

na ac commoda sunt. At eadem non erat illorum, qui ab Ebbone consecrati fuerant, conditio, posito quod exauctoratus ille canonice fuisset, nec canonice restitutus, quod statuebat synodus Suessionensis. Qui enim a præsule rite deposito, nec rite restituto, ordinantur, ii nec gratiam in Ordinatione suscipiunt, nec cum Ecclesiæ reconciliati sunt, juxta canones honoribus suis ac juribus frui possunt; sed ad laicam conditionem rediguntur.

Instabis 5. Eadem synodus *ibid. pag.* 89. E. de his Clericis ita edicit: " Et quia gradus ecclesiasticos, quibus privarentur, non habebant, jussi sunt communione privari.

Distinguo antecedens: non habebant gradus quorum honoribus ac juribus frui deberent; concedo: quoad characterem; nego. Scilicet inquirebatur in pœnam Clericis illis infligendam: pœna autem non erat privari exercitio Ordinum suorum, cum illud nunquam legitime habuissent: jubentur itaque communione privari. Ea tamen pœna *actione* 8. ipsis condonata est synodi indulgentia & Caroli imperatoris rogatu, ut *ibidem* narratur *pag.* 90. E. & extat apud Flodoardum *lib.* 3.

Instabis 6. Actione 6. *pag.* 89. E. refertur historia cujusdam Halduini, qui cum ab Ebbone deposito fuisset diaconus ordinatus, postea jussu regis, & Archidiacono ecclesiæ Remensis pro more id postulante, presbyter & abbas monasterii Altivillarensis consecratus fuerat sine examine a Lupo episcopo Catalaunensi. Cum autem ipsius causa a Patribus fuisset expensa, de eo " Judicatum est (a concilio) secundum „ sacros canones, sicut scriptum est; ut qui presbyteri sine examine „ per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem sunt provecti, cum fuerint cogniti, deponantur: quia quod irreprehensibile est, „ catholica defendit Ecclesia. Et ostensum est in eodem ex concilio „ Sardicensi *cap.* 9. & ex aliis conciliis ac decretis, damnationis scripto secundum canonicam formam, eundem episcopum nihil de illius „ Ordinatione attigisse, sed qui saltu sine gradu diaconi ad sacerdotium prosilierat, in degradationem debitam resilire debere. " Ergo nec Ebbo de Ordinatione diaconatus, nec Lupus Catalaunensis de Ordinatione presbyteratus quidquam attigerant.

Distinguo antecedens: nihil attigerant quoad Ordinationis jura; concedo: quoad characterem; nego.

Instabis 7. Halduinus ille dicitur a Lupo presbyter per saltum ordinatus. Ergo non censebatur antea diaconatum ab Ebbone accepisse.

Distinguo consequens: non censebatur diaconatum accepisse quoad legitimum potestatis usum; concedo: secus; nego. Eadem redit responsio.

Instabis 8. Ordinatio per saltum ea dicitur qua quis ad altiorem gradum evehitur non suscepto, etiam quoad characterem, inferiori Ordine. Ergo..

Distinguo antecedens: Ordinatio per saltum strictius ita nominata;

nata ; concedo : non ita strictè ; nego. Itaque Ordinatio per saltum strictiori modo dicitur, cum superior gradus suscipitur prætermisso, tum quoad characterem tum quoad usum, inferiori Ordine.. Potest autem ita quoque appellari, cum quis nimirum ad excelsiorem gradum provehitur, nec antea inferiorem rite accepit : male enim accipere & nullatenus accipere, juxta popularem loquendi rationem & communem usum, non multum discrepant. Hoc autem posteriori sensu synodus intelligenda est.

Objicies ultimo.. Veteres theologicæ scholæ principes opinabantur ab episcopis depositis, degradatis & excommunicatis Ordinationes non posse conferri. Ita enim sentiunt plures : Guillelmus Parisiensis *de sacramento Ordinis*, *cap.* 7. "Rationabilissime dixisse videtur, inquit, exau- „ ctoratos atque depositos reordinandos esse cum redierint & Ecclesia eos „ restituere voluerit. Cæteros autem ab Ecclesia apostatantes, reconci- „ liandos tantum, non autem iterum ordinandos. Si enim Ecclesiæ in- „ tentio, exauctorando..... sive degradando ordinatos, ipsos characte- „ res Ordinum delere ; sive abolere in illis intendit, non solum veri- „ simile est, sed etiam necesse est Ecclesiæ intentionem omnipotentiæ „ divinæ virtute.... impleri. Sicut enim ministerio Ecclesiæ adest omni- „ potens virtus ad imprimenda sanctitatis signacula, sive characteres „ ....; sic & ad abolenda ipsa signacula dubitandum non est ejusdem „ Ecclesiæ ministris eandem esse & operari virtutem.... Nec timendum „ ullatenus injuriam fieri sacramento Ordinis, si hoc modo, ut dixi- „ mus, iteretur. Si enim non reputatur iterandum quod nescitur esse „ factum ; multò fortius non est reputandum iteratum, quod scitur „ abolitum esse penitus & destructum.

Magister sententiarum *lib.* 4. *dist.* 25. " Solet quæri, inquit, si hære- „ tici ab Ecclesia præcisi & damnati possint tradere sacros Ordines, „ & si ab eis ordinati, redeuntes ad Ecclesiæ unitatem, debeant reor- „ dinari. Hanc quæstionem perplexam ac pene insolubilem faciunt do- „ ctorum verba, qui plurimum dissentire videntur. " Tum ait alios sentire ab hæreticis sacros Ordines dari non posse ; alios contra : ipse vero dubius hæret, nec in unam potius quam in alteram partem propendet. Ergo.

Distinguo antecedens : scholæ theologicæ principes quidam, reclamantibus fere cæteris omnibus ; concedo : omnes aut plerique ; nego : Itaque non diffitemur Guillelmum Parisiensem & Petrum Lombardum, & ex antiquis alios forte quosdam numero paucos, vel in ea sententia versatos esse, vel de ea perplexos hæsitasse.

At cæteri omnes aliter plane senserunt.

Ac primo quidem Hugo Victorinus in summa sentent. *tract.* 6. *cap.* 9. *infra*, *pag.* 313.

Secundo Gratianus Lombardo coætaneus *secunda* parte decreti, *causa* 1. *quæstione* 1. *ad canonem* 97. ubi characterem Ordinis ab officii exe-

cutio-

cutione diserte distinguit. " Intelligamus, inquit, aliud esse potestatem
„ distribuendi Ordines sacros; aliud esse executionem illius potestatis.
„ Qui enim intra unitatem catholicæ Ecclesiæ constituti, sacerdotalem
„ vel episcopalem unctionem accipiunt, officium & executionem sui
„ officii ex consecratione adipiscuntur. Recedentes vero ab integritate
„ fidei potestatem acceptam sacramento tenus retinent; effectu suæ po-
„ testatis penitus privantur: sicut conjugati ab invicem discedentes,
„ conjugium semel initum non dissolvunt, ab opere tamen conjugali
„ inveniuntur alieni.

Tertio Robertus Pullus eorumdem æqualis *parte* 7. *cap.* 14. ubi sic lo-
„ quitur: " Rebaptizari, inquit, aut reordinari non licet. Fit tamen
„ ordinatis suspensio; fit &, cum nimia est culpa, degradatio. Neu-
„ tra potestate sacramenti privat: utraque ab officii exercitio alienat
„ &c.

Quarto Præpositivus apud Morinum 3. *parte*, *exerc.* 5. *cap.* 1. *num.* 3. *in-fra*, *pag.* 314.

Quinto Robertus de Flammersbur canonicus Victorinus *ibid. num.* 7. *infra*, *pag.* 314.

Sexto Raymundus de Pegnafort *lib.* 1. *Summæ*, de hæreticis & ordinatis ab eis, *cap.* 9. *infra*, *pag.* 315.

Septimo Alexander Halensis, Sanctus Bonaventura, Sanctus Thomas, & Scotus, ipso fatente Morino, qui nobis hac in parte adversatur, *ibid. num.* 12.

Octavo Aureolus *in* 4. *dist.* 25. *art.* 1. " Excommunicatus, etsi forte
„ reciperet characterem, non reciperet tamen gratiam, & rem ultimam
„ sacramenti.

Nono Joannes de Bassolis *in* 4. *dist.* 25. *quæst. unica*, *art.* 2. " Episco-
„ pus quantumcunque depositus vel degradatus, & etiam hæreticus,
„ dum tamen non sit in hoc hæreticus, scilicet intendat facere quod
„ facit Ecclesia, aliquid facit datque, quantumcunque non credat quod
„ Ecclesia facit aliquid; vere ordinat & confert Ordines de facto, si or-
„ dinare attentet, sicut sacerdos vere consecrat & conficit, quantumcun-
„ que depositus vel degradatus: peccat tamen mortaliter, ordinando vel
„ Ordines conferendo.

Decimo Auctor summæ Alensis *lib.* 6. *tit.* 3. *art.* 4. " Quæritur, in-
„ quit, utrum Episcopus degradatus possit conferre Ordines. Respon-
„ deo. Aliqui dicunt quod non; quia degradati non tantum sunt
„ suspensi ab officii executione, sed etiam sunt spoliati Episcopali di-
„ gnitate; unde non manent Episcopi: alii vero dicunt, & videtur ve-
„ rius & rationabilius, quod possunt Ordines conferre de facto, non de
„ jure, non tamen Ordinum executionem.

Undecimo omnes unanimi consensu recentiores theologi.

Quocirca tantum abest ut theologorum auctoritas nobis in hoc capite officiat, ut contra communibus eorumdem suffragiis sententia nostra robo-

foboretur. Hæc ergo veterum Patrum ac scholæ principum doctrina jam ab omnibus non solum ut tuta, sed etiam tanquam inconcussa tenenda est.

SECTIO VI.

An character Ordinationis schismate deleatur aut hebetetur.

ASSERTIO.

SCHISMATE nec extinguitur nec obtunditur Ordinationis character.

PROBATIONES.

PROBATUR 1. perpetuo catholicæ Ecclesiæ usu 1. enim cum sæculo III. medio Novatianus primum in Ecclesia Romana schisma conflasset, & ei adhæsissent nonnulli nominis Christi confessores, ex eorumque numero Maximus presbyter cum quibusdam aliis, agnito errore, ad Ecclesiam esset reversus, sic de eo loquitur summus pontifex *epist.* 46. ad Cyprianum, " Quapropter, inquit, Maximum presbyterum locum „ suum agnoscere jussimus: cæteros cum ingenti populi suffragio re- „ cepimus. Omnia autem remisimus Deo omnipotenti, in cujus po- „ testate sunt omnia reservata. " Hic, ut patet, Maximus presbyter in pristino loco & officio citra novam Ordinationem relinquitur: ac proinde Cornelii summi pontificis totiusque Romanæ ecclesiæ judicio schismate character Ordinationis non extirpatur.

Secundo Meletius Lycopoleos in Ægypto episcopus ineunte IV. sæculo, cum a Petro Alexandrino præsule propter crimina exauctoratus esset, ab eo & Ecclesia descivit, multosque in suas partes ac eandem ruinam traxit sacerdotes: atqui de illis, si ad Ecclesiæ gremium redirent, sic concilium Nicænum pronunciat *in epistola ad Alexandrinos:* " Hac conditione, inquit, in Ecclesiæ communionem admittantur, „ nimirum ut ecclesiasticæ dignitatis, & ministerii gradum habeant illi „ quidem, sed tamen omnibus presbyteris in singulis provinciis, & eccle- „ siis versantibus, qui sunt ab honoratissimo viro, & collega nostro Ale- „ xandro ordinati, sint omnino inferiores.

Tertio Donatistarum eodem tempore in Africa schisma erupit. Porro id jam ab ipsius initio obtinuit, ut qui ad Ecclesiam inde transirent clerici, in susceptis Ordinibus permanerent: quod testatur synodus Africana *can.* 35. qui est in codice Africano canon 68. apud Balzamonem 71. & apud Zonaram 74. " Placuit, inquit, ut litteræ „ mittantur ad fratres, & coepiscopos nostros, & maxime ad sedem „ apostolicam, in qua præsidet . . . . . collega noster Anastasius, quo „ no-

„ noverit habere Africam magnam necessitatem ; propter Ecclesiæ pa-
„ cem & utilitatem, ut qui ex ipsis Donatistis clerici ad catholicam
„ unitatem transire voluerint, ... in suis honoribus suscipiantur,
„ sicut prioribus ejusdem divisionis temporibus factum est : quod mul-
„ tarum & pene omnium Ecclesiarum Africanarum, in quibus talis er-
„ ror exortus est, exempla testantur.

Quarto Felix, de quo jam supra, ubi de intrusis, diximus, dum Liberius fidei catholicæ causa exularet, in ejus locum subrogatus maximam ecclesiæ Romanæ partem a legitimo Pontifice sejunxit. Cum autem varias Ordinationes peregisset, omnes a Liberio postea probatæ sunt : quod ex præfatione libelli precum Marcellini, & Faustini presbyterorum ad Imperatores, qui extat *tom. 1. operum Sirmundi*, colligimus : " Defunctus est, inquiunt, Felix : Liberius misericordiam „ fecit in clericos qui perjuraverant, eosque in locis propriis suscepit. " Idem puta de Liberio, qui per aliquod temporis intervallum exinde Ecclesiam scidit : omnia enim, quæ gesserat, illibata permanserunt, ut nuper docuimus.

Quinto plurima consecutis ætatibus in ecclesia Romana schismata extitere : sic post mortem Liberii ann. 367. Ursicinus adversus Damasum insurrexit, Eulalius ann. 417. adversus Bonifacium, Laurentius ann. 498. contra Symmachum, Dioscorus ann. 530. contra Bonifacium II. Vigilius an. 538. adversus Silverium, Joannes an. 996. contra Gregorium V. Cadolaus ann. 1061. adversus Alexandrum II. Guibertus an. 1080. adversus Gregorium VII. sic & alii diversis temporibus plures. Atqui eorum Ordinationes non sunt idcirco in dubium revocatæ. Ergo.

Sexto Albertus & Theodoricus adversus Paschalem II. qui an. 1099. ad apostolicam sedem evectus est, aliud dirissimum schisma excitarunt. Atqui rescissæ non sunt Ordinationes tunc temporis a schismaticis factæ : imo vero in synodo Guastallensi præside Paschali II. contra sancitum esse reperimus apud abbatem Urspergensem : " Super Or-
„ dinationibus, inquit, tempore schismatis factis, unde permaximæ
„ ventilabantur quæstiones, decretum discretione maternorum visce-
„ rum artificiose meditatum in hæc verba Paschalis II. promulgavit :
„ Per multos jam annos, inquit synodus, regni Teutonici latitudo
„ ab apostolicæ sedis unitate divisa est : in quo nimirum schismate
„ tantum periculum factum est, ut, quod cum dolore dicimus, vix
„ pauci sacerdotes aut clerici catholici in tanta latitudine terrarum re-
„ periantur. Tot igitur filiis in hac strage jacentibus, christianæ pa-
„ cis necessitas exigit, ut super hoc materna Ecclesiæ viscera aperian-
„ tur. Patrum itaque nostrorum exemplis & scriptis instructi, qui di-
„ versis temporibus Novatianos, Donatistas & alios hæreticos suis in Or-
„ dinibus susceperunt, præfati regni Episcopos in schismate ordinatos,
„ nisi aut invasores, aut simoniaci, aut criminosi comprobentur, in of-

„ ficio episcopali suscipimus. Idipsum de clericis cujuscunque Ordinis „ constituimus, quos vita scientiaque commendant." Vide *tom.* 20. *Conc. pag.* 749. *an.* 1106.

Septimo in gravi illo ac diuturno schismate, quod Ecclesiam vexavit & a concilio Constantiensi sublatum est, cum varii hinc & inde Pontifices secum ipsi pugnarent, & plurimas ubique Ordinationes celebrarent, nihil circa illas decretum est, quo aut nullæ aut iterandæ significarentur: rata contra omnia habita sunt, & quisque in Ordine semel accepto perstitit communi Ecclesiæ consensu.

PROBATUR 2. testimoniis Patrum, & Pontificum responsis, & decretis.

Primo nempe id agnoscebat Melchiades: cum enim a Cæciliano Carthaginensi Donatus sese & alios non paucos sejunxisset, causaque omnis ad Melchiadem delata fuisset; is quidem Cæcilianum absolvit, sed tamen testatus est eos, qui a schismaticis essent ordinati, se pro episcopis habiturum, si ad Ecclesiam remeare vellent: " Ipsius B. Mel- „ chiadis, inquit Augustinus *epist.* 43. olim 172. *num.* 16. *pag.* 96. ulti- „ ma prolata est sententia, quam innocens, quam integra, quam pro- „ vida, atque pacifica, qua neque collegas, in quibus nihil constite- „ rat, de collegio suo ausus est removere, & Donato solo, quem to- „ tius mali principem invenerat, maxime culpato, sanitatis recuperan- „ dæ optionem liberam cæteris fecit, paratus communicatorias litteras „ mittere etiam iis, quos a Majorino (schismaticorum episcopo) ordi- „ natos esse constaret: ita ut quibuscunque locis duo essent episcopi, „ quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet, qui fuisset ordina- „ tus prior; alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur." Cujus sententiæ meminit insuper *epist.* 185. *num.* 47. *pag.* 661. " Hoc, in- „ quit, erga istos ab initio servavit Africana catholica ex Episcopo- „ rum sententia, qui in ecclesia Romana inter Cæcilianum & partem „ Donati judicaverunt, damnatoque uno quodam Donato, qui auctor „ schismatis fuisse manifestatus est, cæteros correctos, etiamsi extra Ec- „ clesiam ordinati essent, in suis Ordinibus suscipiendos esse censue- „ runt: non quod etiam foris ab unitate corporis Christi possent ha- „ bere Spiritum-sanctum; sed maxime propter eos, quos foris positi „ possent decipere, & a susceptione illius muneris impedire: deinde „ etiam ut eorum infirmitas lenius excepta intus sanabilis fieret, jam „ nulla pertinacia claudente oculos cordis adversus evidentiam veri- „ tatis.

Secundo Augustinus idem hunc Ecclesiæ fuisse sensum multis in locis arguit.

Libro enim 2. contra epistolam Parmeniani *cap.* 13. *num.* 28. " Si „ quando, inquit, ex ipsa parte venientes etiam præpositi pro bono „ pacis, correcto schismatis errore suscepti sunt, & si visum est opus „ esse ut eadem officia gererent quæ gerebant, non sunt rursum ordi-

„ na-

„ nati, sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra ... Et „ cum expedire hoc judicatur Ecclesiæ ut ...., honores suos non admi- „ nistrent, non eis tamen Ordinationis sacramenta detrahuntur, sed ma- „ nent super eos; ideoque non eis in populo manus imponitur, ne „ non homini sed ipsi Sacramento fiat injuria.

„ Libro 1. de Baptismo *cap.* 1. " Sicut redeuntes, inquit, qui priusquam recederent baptizati sunt, non baptizantur; ita redeuntes, qui „ priusquam recederent ordinati sunt, non utique rursus ordinantur; „ sed aut administrant quæ administrabant, si hoc Ecclesiæ utilitas postu- „ lat; aut si non administrant, sacramentum Ordinationis suæ tamen ge- „ runt; & ideo eis manus inter laicos non imponitur.

Libro 2. contra Cresconium Donatistam *cap.* 10. *num.* 12. cum ipsi responderet Catholicos insimulanti quòd e schismate redeuntes una cum propriis Ordinibus susciperent, " Magnum aliquid, inquit, tibi dicere „ visus es, nominando Candidum Villaregiensem & Donatum Maco- „ madiensem, qui ex vestris episcopis etiam apud nos episcopi fue- „ runt, ... quasi sacramenta & invocatio nominis Dei quæ fit apud „ vos, ipsa inimica sit nobis, cum & in eis qui extra Ecclesiam sunt, „ non sit omnino nisi Ecclesiæ .... Quid causæ est ut titulus depona- „ tur? Episcopus es, inquis, episcopum recipis: presbyter presbyte- „ rum. Posses mihi & hoc dicere: Homo es, hominem recipis: tam „ quippe in illis sacramenta christiana, quam membra humana cogno- „ sco ...... Et de episcopis quidem vel clericis recipiendis alia quæ- „ stio est. Quamvis enim, cum apud vos ordinantur, non super eos „ invocetur nomen Donati, sed Dei; tamen ita suscipiuntur, ut vide- „ tur paci & utilitati Ecclesiæ convenire.

In breviculo collationis cum Donatistis *cap.* 5. quid in ea factum esset recensens, " Quinto loco, inquit, recitatæ sunt litteræ Catholico- „ rum, quas rescripserunt Cognitori: .... in eisdem litteris etiam se „ obstrinxerunt & polliciti sunt, quod si in parte Donati veritas eis „ demonstraretur Ecclesiæ, non se illic episcopalem honorem quæsitu- „ ros, sed consilium eorum secuturos pro salute christiana: si autem in „ sua communione potius veritas ostenderetur Ecclesiæ, honores episcopales eis non negaturos; & hoc a se fieri bono pacis, ut intelli- „ gerent hi quibus hoc præstaretur, quod in eis Catholici non chri- „ stianam consecrationem, sed humanum detestarentur errorem.

Epistola 141. *num* 13. *pag.* 461. " Si vero id, inquit, quod vobis „ præstitit Deus non contempseritis, ... de vestra correptione gaude- „ bimus, & Sacramenta Christi, quæ in sacrilegio schismatis ad judi- „ cium habetis, utilia & salubria vobis erunt, cum in catholica pace „ habueritis caput Christum, ubi charitas cooperit multitudinem pec- „ catorum.

Tertio Stephanus Tornacensis *epist.* 89. alias 108. ad Papam, ab ipso postulat, ut cum aliquo ad minores Ordines a schismaticis promo-

to dispensare velit, sicque possit ad majores provehi. Ac proinde validæ tum reputabantur factæ a schismaticis Ordinationes : eas enim alioquin reiterari oportuisset.

Quarto Innocentius III. *in epistola ad Archiepiscopum Bizuntinum*, pronunciat eum esse deponendum qui a schismatico ordinatus fuerit, nisi probet legitime secum esse dispensatum : sic enim habet *lib.* 5. *decretalium*, *titulo* 8. *cap.*2. Fraternitati., *pag.* 645. " Priorem, inquit, „ quem a schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere in„ cunctanter, nisi legitime probaverit secum fuisse misericorditer dis„ pensatum, & ab ea persona, quæ super hoc potestatem habuerit dis„ pensandi. " Ergo dispensationis beneficio citra novam & iteratam Ordinationem in officio & gradu schismatici consistere possunt juxta mentem Innocentii : atque adeo schismate nec aboletur nec impeditur character Ordinationis.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Synodus quidem Nicæna Meletianos sacerdotes in susceptis semel gradibus reliquit, sed postquam novam manuum impositionem accepissent: sic enim loquitur in epistola ad ecclesiam Alexandrinam *tom.* 2. *Conc. pag.* 250. " Illi vero, inquit, qui ab eo (Mele„ tio) in sacrum Ordinem lecti sunt, simul atque sanctiore Ordinatio„ ne confirmati fuerint, μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας, ad com„ munionem posthæc admittantur, & permittatur illis quidem hono„ ribus frui, & sacris muneribus fungi; sed tamen omnibus, in singu„ lis parœciis & ecclesiis, qui sunt ab honoratissimo viro & collega „ nostro Alexandro ordinati, sint omnino inferiores. " Ergo non nisi novæ Ordinationis ope in acceptis Ordinibus manere sacerdotes illi permittuntur.

Distinguo antecedens : postquam novam manuum impositionem suscepissent qua in Ordinibus suis confirmarentur, ut ait synodus; concedo : qua iterum consecrarentur; nego. Itaque, ut jam monuimus, vox illa χειροτονίᾳ latissimæ est significationis : cum enim per se nihil nisi *manuum extensionem* sonet, illic potest usurpari ubi talis manuum porrectio reperitur. Ea porro non in sacris tantum Ordinationibus locum habuit, sed etiam in sacrorum Ordinum restitutione aut confirmatione. Namque compertum est ex concilio Toletano IV. cum restitueretur etiam immerito depositus, ei reddita esse eadem vestimenta & instrumenta quæ in ipsamet Ordinatione acceperat : ex Fulberto autem discimus adjunctam his fuisse insuper quandam benedictionem super restituti Clerici caput. Hanc porro benedictionem *manuum impositionem* vocat Nicolaus II. *supra*, *pagina* 144. Hinc etiam est quod Petrus Damiani *opusc.* 6. manuum impositionem inter varias reconciliationis cæremonias recenseat. Ut ergo est quædam manuum impositio

tio

tio consecratoria, sic est etiam & reconciliatoria, & in Ordinibus susceptis confirmatoria. Jam vero Nicæni Patres haud dubie verba faciunt de confirmatoria, " Simul atque, inquiunt, sanctiore Ordinatio-
" ne confirmati fuerint. " Ergo.

Et vero nisi jam Ordinis characterem habuissent Meletiani, cur eos aut presbyteros aut episcopos fecisset Ecclesia? satis enim superque fuisset, si, ut laici erant, ita a Catholicis reciperentur. Ergone novis beneficiis cumulabuntur qui a perduellibus ad Ecclesiam revertentur? An cum perfidis fuisse & ab iis novo scelere promotos esse, id meriti loco esse in Ecclesia censebitur? An denique potior schismaticorum erit quam Catholicorum conditio? quis hoc putet? Non ergo in Ordinibus susceptis manere illi sinerentur, nisi eos antea vere percepissent.

Lege Hincmarum ad Episcopos III. synodi Suessionensis *tomo* 8. *pagin.* 826.

INSTABIS 1. Hæcce manuum impositio *Ordinationis* nomine donatur. Ergo.

DISTINGUO antecedens: Ordinationis improprie dictæ; concedo: proprie dictæ; nego. Quocirca *Ordinationis* vocabulum dupliciter sumitur: 1. proprie ac frequentissime pro Ordinatione sacramentali; 2. aliquando improprie pro cæremonia illa aut actione qua quis jam Ordinis charactere imbutus, certo in loco aut tempore ad sacra munia obeunda constituitur: sic dicitur Petrus Romæ ordinatus fuisse episcopus, & Jacobus Hierosolymitanæ urbis ab Apostolis: sic Gregorius *supra*, *pagina* 136. *ordinandi* verbum usurpat de presbytero loquens, quem in vacante ecclesia constitui præcipiebat. Sed de hoc *infra* pluribus.

INSTABIS 2. Vocatur hæc *sanctior Ordinatio*. Ergo longe potiori jure sacramentalis ista censenda est, quam prior in schismate accepta.

DISTINGUO antecedens: vocatur *sanctior*, quod spiritum-sanctum & gratiam conferat, quam prior largita non fuerat; concedo: quod sacramentalis esset: nego. Scilicet Ordinatio in schismate accepta gratiam non impertitur. Cum autem aliquis inde ad Ecclesiam redit; tunc gratia quæ velut suspensa manserat, sacramento vim suam exerente ubi removetur obex, in illius animam ad Ecclesiæ preces illabitur. Ea de causa impositio illa manuum *sanctior* nominatur: prior enim omni gratia ac sanctitate vacua fuerat.

Cæterum de hoc Nicæni concilii loco consuli possunt, ut pridem monuimus, Valesius *ad lib.* 1. *Socratis*, *cap.* 9. *& ad lib.* 1. *Theodoreti*, *cap.* 9. ubi hanc esse iteratam Ordinationem contendit; & qui contra sentiunt Habertus *in Hieratico*, *pag.* 492. nec non & qui gallice vitam Athanasii scripsit *in notis tom.* 1. *pag.* 730.

OBJICIES 2. Pelagius Papa, teste Præpositivo apud Morinum *exercit.*

cit. 5. *cap.* 1. *nu.* 3. sic ait : " Si veritate ducente dirigamur, non est verum corpus Christi quod conficit schismaticus. " Ergo.

DISTINGUO antecedens: non est verum quoad significationem mysticam, quia corpus Christi symbolum est unitatis; concedo : quoad substantiam; nego. Similia vide apud Leonem Magnum *Epist. ad Anatolium Constant.* & apud Algerum *lib. 3. de sacramento corporis sanguinis Christi*.

OBJICIES 3. Multi Romani Pontifices Ordinationes ab Antipapis factas plane irritas esse judicarunt.

Urbanus II. in synodo Placentina an. 1095. *cap.* 8. sic habet: " Ordinationes, inquit, quæ a Guiberto hæresiarcha factæ sunt, postquam ab apostolicæ memoriæ Papa Gregorio (VII.) & a Romana ecclesia damnatus est, irritas esse judicamus, *tom.* 10. *Conc. pag.* 504.

Innocentius II. adversus Petrum Leonis antipapam ita sanxit in concilio Lateranensi I. *can.* 3. *an.* 1139. *tom.* 10. *Conc. pag.* 1009. " Ad hæc, inquit, Ordinationes factas a Petro Leonis & aliis schismaticis & hæreticis, evacuamus & irritas esse censemus.

Alexander III. in concilio Lateranensi III. an. 1179. *can.* 2. *pag.* 1508. " Quod inquit, a prædecessore nostro felicis memoriæ Innocentio (II) factum est, innovantes, Ordinationes ab Octaviano & Guidone hæresiarchis, nec non & Joanne Strumensi, qui eos secutus est, factas, & ab ordinatis ab eis; irritas esse censemus.

DISTINGUO antecedens : irritas esse declararunt quoad effectum ; concedo : quoad characterem ; nego. Id enim ex multis argumentis claret.

Primo quippe Urbanus, postquam hæc quæ *supra* memorata sunt in schismaticos decrevit, sic habet *cap.* 10. " Qui vero, inquit, ab episcopis quondam quidem catholice ordinatis, sed in schismate a Romana ecclesia separatis consecrati sunt, eos nimirum, cum ad Ecclesiæ unitatem redierint, servatis propriis Ordinibus, misericorditer suscipi jubemus, si vita & scientia eos commendat. " *Cap.* autem 11. " Amodo vero quicunque a prædictis schismaticis sanctæque Romanæ ecclesiæ adversariis se ordinari permiserit, nullatenus hac venia dignus habeatur. " *Cap.* denique 12. causam hujus benignitatis aperiens, " Quamvis autem, inquit, misericordiæ intuitu, magnaque necessitate urgente, hanc in sacris Ordinibus dispensationem constituerimus, nullum tamen præjudicium sacris canonibus fieri volumus; sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate illud quoque cesset quod factum est pro necessitate. " Ex his autem apertum est characterem Ordinationis in schismate remanere ac dari : si enim schismate extingueretur, non posset qui in schismate ordinatus est, per simplicem ac nudam exinde Pontificis dispensationem Ordinis officio fungi; sed nova, quæ characterem sibi non inditum imprimeret, Ordinatione indigeret.

Se-

Secundo Innocentius II. concilii Lateranensis decreto nihil aliud quam depositionem significare voluit: sic enim viva voce illud idem expressit in synodo, ut testatur chronicum Mauriniacense *tom.* 10. *Conc. pag.* 1011. B. " Quia, inquit, inordinatæ personæ inordinata sunt decreta, „ quodcunque ille (schismatis auctor Petrus Leonis) statuerat, destrui- „ mus; quoscumque exaltaverat, degradamus; & quotquot ordinaverat „ exordinamus & deponimus.

Tertio Alexander III. in ipso concilio Lateranensi plures episcopos Germanos, qui schisma ejuraverant, admisit citra novam Ordinationem, ut ex Krantzio *lib. 6. cap.* 37. refertur *tom* 10. *Concil. pag.* 1525. C. quod & erga presbyteros factum esse narrat Helmoldus *ibid. pag.* 1526. A. Et vero idem Pontifex in concilio Venetiis an. 1177. habito, ipsos quidem schismatis antistites, & qui eis adhærebant tunc temporis, aut deinceps adhæsuri erant, proscripsit; sed tamen non paucos, qui veniam flagitarunt episcopos schismaticos restituit, imprimis vero Christianum Moguntinum, Philippum Coloniensem, & alios, eisque citra ullam de iteranda Ordinatione mentionem, ut consueta munia obirent potestatem fecit; quod legitur *ibid. pag.* 1490. E. & 1494. A. D. vide & Krantzium *lib. 6. cap.* 37. ibi enim de hac Præsulum Germanorum reconciliatione Venetiis facta loquens, hoc unum observat Archiepiscopos nempe illos, pallia a schismaticis accepta abjecisse, & per manus Hyacinthi cardinalis nova a Pontifice suscepisse, refutantes omnia schismata, præcipue Octaviani, Guidonis, & Joannis. Immo Robertus de Flammesbur *lib.* 3. *pœnitentialis manuscripti* apud Morinum *supra* asserit Alexandrum in schismate Octaviani ordinasse ac constituisse ut qui non servata legitima forma extra Ecclesiam fuissent ordinati, ii quidem reordinarentur; non vero alii qui legitima forma consecrati forent, si quando cum eis dispensaretur.

Objicies 4. Lucius III. summus pontifex eos qui ab his schismaticis consecrati fuerant iterum ordinavit. Hoc enim testatur idem Robertus de Flammesbur *ibidem*. Postquam enim docuit eos non esse iterum ordinandos, qui extra Ecclesiam consecrati fuerint, modo legetima Ordinationis forma adhibita sit, sic subdit: " Lucius tamen Papa, inquit, „ ut dicunt, fecit reordinari ordinatos ab illis qui ultimam manus im- „ positionem acceperant extra Ecclesiam: & mirum fuit quod Cardina- „ les consenserint. Forte sequebantur jam pravam opinionem (quæ as- „ serit Ordinationem extra Ecclesiam factam omni effectu carere,) vel „ hoc fecerunt in odium schismatis. " Ergo.

Respondeo ex incertis rumoribus id hausisse Robertum, quod ipsius verba satis indicant, in eoque esse deceptum. Cæterum hic observare interim juvat a Roberto & aliis Theologis ut pravam habitam esse tunc temporis eam opinionem quæ characterem in schismate non remanere aut non accipi pronunciat.

Instabis 1. Krantzius *lib. 6. Saxoniæ cap.* 47. *tom.* 10. *Conc. pag.* 1741.

1741. videtur hoc Roberti dictum confirmare: ibi enim de Lucio III. & imperatore Friderico, qui anno 1184. Veronam convenerunt, scribens, " Imperator, inquit, in Italiam contendit anno proximo: & „ exierat urbe Roma Lucius Papa tractaturus cum illo christianæ rei„ publicæ negotia, quæ in Asia nimirum cœperant labefactari. Veronæ „ convenerant duo christianissimi culmina: concurrerat ingens ecclesiasti„ corum multitudo, reconciliationem deposcens sedis apostolicæ, quod „ in schismate Imperatorem secuti, ab Antipapis essent ordinati & in„ stituti. Intervenit pro his Fridericus imperator, ut in gratiam su„ merentur: annuit perbenigne Pontifex. Sed cum postera die manus „ illis essent imponendæ singulis, immutatum erat consilium, quod di„ ceret, in concilio Venetiano decreta, non posse nisi alio concilio ir„ ritari. Promisit autem de proximo alium a se revocandum cœtum, „ in quo super his constitueretur. Auditæ sunt Germanorum minæ pro „ sua consuetudine: sed nihil ea re moti sunt Cardinales. Credebatur „ autem ea consilii mutatio a Conrado Moguntino & Wormaciensi „ pontificibus prodiisse. " Ergo Lucius saltem promiserat se ejusmodi sacerdotes rursus ordinaturum.

Nego consequentiam: hæc enim Lucii promissa non ad novam consecrationem spectabant, sed ad simplicem ac nudam reconciliationem, qua Ordinibus acceptis fungi liceret. Id vero colligimus ex ipsis Krantzii verbis ac multis insuper istorum temporum scriptoribus ac monimentis.

Primo quippe id constat ex postulatione ipsa sacerdotum a schismaticis ordinatorum. Quid enim illi petunt? reconciliationem; non iteratam Ordinationem. " Concurrerat, inquit Krantzius, ingens ecclesia„ sticorum multitudo reconciliationem deposcens sedis apostolicæ.

Secundo hoc ipsum elicitur ex precibus Imperatoris. " Intervenit pro „ his Fridericus, inquit, ut in gratiam sumerentur.

Tertio non aliud ipse Pontificis assensus probat: annuit enim postulatis & precibus Lucius: ac proinde reconciliationem & gratiam tantum pollicitus erat, non iteratam Ordinationem, de qua ne verbum quidem factum fuerat.

Quarto id promiserat Lucius quod in concilio Veneto erga quosdam, qui ibi aderant & veniam petebant, indultum fuerat, & aliis negatum. Atqui synodus Veneta non de Ordinatione, sed de reconciliatione tantum egerat, ut modo ostendimus. Helmoldus certe a nobis laudatus, auctor est, in ea cum episcopis Moguntino, Coloniensi, aliisque quampluribus, sicut & cum eis qui ab ipsis ordinati erant, fuisse dispensatum ut in suis Ordinibus persisterent, cæteros autem ab Ordinibus fuisse suspensos. Profecto qui in Ordinibus suis per dispensationem relicti sunt, ii non sunt iterum ordinati; qui vero ab Ordinibus tantum suspenduntur, ii sane Ordinis charactere insigniti esse censentur. Ergo synodus Veneta characterem etiam in schismaticis superstitem agnoverat. Quin-

Quinto idem Helmoldus *Cronici Sclavorum*, *cap.* 10. de hoc conventu Veronensi agens, " Sequenti anno, inquit, Imperator abiit in Italiam pro disponendis negotiis reipublicæ, & occurrit eo dominus „ papa Lucius apud Veronam pro quibusdam causis determinandis inter ipsos: cumque honestissime susceptus esset a Veronensibus, & a „ Clericis qui illuc convenerant de diversis partibus terrarum, qui „ tempore Alexandri papæ a schismaticis Ordinationes susceperant, „ cœpit Imperator omni instantia intercedere pro ipsis dominum Apostolicum ut clementer circa ipsos dispensaret: qui primo huic petitioni benevolum se exhibuit, & eo usque annuerat, ut omnes petitiones suas scriberent, ut secundum casum singulorum dispensaretur circa ipsos. Et ecce altera die dominus Papa mutat animum & „ propositum, dicens: Quoniam generali concilio, quod Venetiis „ celebratum est, ubi ipso Imperatore proferente, dispensatum fuerat „ circa dominum Christianum Moguntinum & dominum Philippum Coloniensem, dominum Mantuanum, & alios plures, qui cum ordinatis suis persisterent, hi ab Ordinibus suis suspensi fuissent, nulla „ ratione mutandum id affirmabat, nisi denuo in Cardinalium, & „ Episcoporum generali concilio; promisitque Apostolicus apud Lugdunum super eodem negotio se Concilium habiturum de qua mutatione dominus Conradus Moguntinus, & dominus Wormaciensis „ suspecti babiti sunt. Hi autem quibus spes de officiis recuperandis „ data fuerat, contristati sunt valde " &c. Ac proinde a Lucio duntaxat petebatur teste Helmoldo ut clementer circa schismaticos dispensaret; neutiquam vero ut eos iterum ordinaret.

INSTABIS 2. Manus illis erant imponendæ singulis, ut memorat Krantzius, *lib.6. Saxoniæ*, *cap.* 47. *supra*, *pag.* 273. Ergo iterum consecrandi erant.

DISTINGUO antecedens: manus illis erant imponendæ in reconciliationem & Ordinum confirmationem; concedo: ad iterandam Ordinationem; nego. Quod enim ea manuum impositio ad reconciliationem, & Ordinum confirmationem pertineret, elicimus 1. ex verbis scriptorum quos modo retulimus: 2. ex hujus ævi disciplina, juxta quam manus impositione reconciliatio peragebatur, ut liquet ex synodo Northusensi paulo ante sub Paschali II. circa annum 1105. habita: in ea enim, inquit Abbas Urspergensis *in chronico*, his " qui a pseudoepiscopis fuerant consecrati, per catholicam manus impositionem „ reconciliatio proximo jejunio danda fore promittitur: " 3. ex veterum testimoniis ac doctrina quam circa hoc caput non semel exposuimus, quæque ut hunc locum illustrat, sic eo illustratur ac fulcitur.

SE-

SECTIO VII.

An character Ordinationis in hæresi perseveret ac detur.

NOtandum est hic esse duntaxat controversiam de iis Ordinationibus, in quibus legitima forma adhibita fuerit: ut enim Baptismus, & quodlibet aliud sacramentum, ita & Ordinatio sine legitima forma consistere non potest. Non ergo quæritur an legitimæ formæ absentia irritam facere queat apud hæreticos Ordinationem, (hanc enim nullam pariter faceret apud Catholicos); sed an hæresis characterem deleat, aut quominus is detur impediat.

ASSERTIO

Character Ordinationis in hæresi perseverat ac datur.

PROBATIONES.

PROBATIO I.

Ex perpetua & constanti Ecclesiæ traditione.

Id enim ita esse ostendunt

Ecclesia primitiva.

Nempe ipsis Apostolorum temporibus hæresim edidit Ebion. Jam vero ille, teste Anastasio Bibliothecario in quodam ad finem VIII. synodi scholio, *pag.* 1076. A. quosdam Episcopos ordinaverat, qui ob hæresim ipsius depositi fuerunt, ac postea sine nova Ordinatione cum errorem ejurassent, restituti. " Quæritur, inquit, cur sedes „ apostolica eos, qui a Photio damnato in diversis sunt Ecclesiæ gra- „ dibus constituti, sine recuperatione deposuerit, cum ab Ebione sa- „ cratos, & post astantibus Episcopis depositos instaurari decreverit." Ita Anastasius, ex antiquis dubio procul, licet jam ignotis monimentis. Ex quo elicimus hanc fuisse tunc temporis doctrinam, scilicet Ordinationis characterem hæresi non extingui: quandoquidem Ebionitas sacerdotes citra novam Ordinationem suscipiebat, ut & ab ipsis baptizatos citra Baptismatis iterationem admittebat: quod asserit Sanctus Hieronymus in dialogo contra Luciferianos *cap.* 9. *tom.* 2. *pag.* 147. A.

Ca-

Canones Apostolici.

CANON apostolicus 60. alias 68. " Si quis episcopus, inquit, aut presbyter, aut diaconus secundam acceperit Ordinationem ab aliquo, deponatur & ipse & qui ordinavit, nisi ostendat se Ordinationem habere ab hæreticis. Qui enim a talibus baptizati vel ordinati fuerunt, neque fideles neque clerici esse possunt. " Quapropter juxta canones apostolicos eorum duntaxat Ordinatio rejicitur quorum rejicitur & Baptismus. Atqui Baptismatis character in hæresi manet ac confertur, si Baptismi forma legitima adhibita fuerit: nec hæreticorum Baptismus improbatur nisi cum ea defuerit. Ergo idem est de Ordinatione statuendum. Nempe hic *hæreticorum* nomen strictius accipiendum venit, & de iis solummodo intelligendum est qui Sacramentorum formas adulterabant, quod apud priorum sæculorum hæreticos erat frequentissimum, ut Augustinus monet: atque ita hunc canonem esse interpretandum docent 1. Dionysius Exiguus *in titulo canonis* 4'. 2. Cresconius *in breviario canonum cap.*50. 3. Adrianus papa *in epitome canonum num.*41. 4. Auxilius *lib.* 1. *cap.* 18. 5. Theodorus Studita *epist. ad Naucratium in additis ad Balzamonem*, *pag.* 1100. ut Beveregium *lib.* 2. *vindiciarum Ignatii cap.* 12. & *ad canones apostolicos* 47. & 68. Cotelerium *ad lib.* 6. *Constitutionum*, *cap.* 15. & *ad can. apost.* 68. aliosque prætermittamus.

Synodus Nicæna.

CONCILIUM Nicænum duplex hujusce disciplinæ exemplum suppeditat:

Primum est Novatianorum quos canon 8. una cum suis Ordinibus suscipiendos esse decrevit. Sic enim habet juxta antiquissimam versionem quam synodus VI. Carthaginensis nobis repræsentat *tom.* 2. *Conc. pag.* 1546. " Si aliquando, inquit, venerint ad Catholicam Ecclesiam Cathari, placuit sicut & magnæ synodo, eos ordinatos sic manere in clero (græce ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ.) Ante omnia autem hæc profiteri ipsos per scripturam oportet, quod consentiant catholica & apostolica dogmata .... Ubicunque autem omnes, sive in castellis sive in civitatibus, ipsi inventi fuerint ordinati; qui inveniuntur in clero, sint in eodem habitu. Quotquot autem, ubi catholicæ Ecclesiæ episcopus vel presbyter extat, accedunt, manifestum quod episcopus ecclesiæ habebit dignitatem episcopi. Qui autem nominatur apud eos episcopus, presbyterii honorem habebit, nisi forte placuerit episcopo honoris eum nomine frui: sin vero ei non placuerit, providebit ei locum aut chorepiscopatus, aut presbyterii, ut in clero omnino esse videatur, quatenus non in civitate duo sint episcopi. " Ita Concilium Nicænum de Novatianis qui tunc temporis hæ-

ræsi schisma cumulaverat. Jam vero iis, qui in ista secta ordinati essent, honoris gradus & Ordines servat, nec ab illis quidquam aliud exigit, quam ut perversa dogmata ejiciant & Ecclesiæ Catholicæ dogmata servaturos se esse scripto profiteantur. Ac proinde in ipsis verum ac genuinum characterem Ordinationis agnoscebat.

Atque hic canon exinde celebratissimus fuit: qui in exemplum & regulam deinceps evasit, ut constat ex Hieronymo *in Dialogis contra Luciferianos* ad finem, Siricio *epist. ad Himerium*, Innocentio I. *epist.* 22. *cap.* 5. Tharasio *actione* 1. VII. *Synodi*, Hincmaro ad episcopos III. synodi Suessionensis, & aliis: imo ex eo colligunt Auxilius *lib.* 1. *cap.* 23. & Petrus Damiani *opusc.* 6. *cap.* 22. validas esse Ordinationes, quæ etiam ab hæreticis peraguntur: quanto magis a simoniacis aut intrusis?

Secundum est Arianorum. Cum enim quidam Præsules Arianam hæresim amplexati essent & Nicænæ fidei decreto subscribere aliquandiu noluissent, tandem errorem confessi veniamque postulantes admissi sunt. Ita quippe testatur Hieronymus *in dialogis contra Luciferianos*: " In sy„ nodo Nicæna, inquit, quæ propter Arianam perfidiam congregata „ est, octo Episcopos Arianos susceptos scimus.

Athanasius.

Quarto ATHANASIUS non solum docuit hæreticos cum Ordinibus recipi posse; sed etiam, synodo eam ob causam an. 362. habita, id erga Arianos præsules, solis hæreseos ducibus exceptis, statuendum curavit: cui decreto postmodum omnes tunc Catholici obsecuti sunt, uno repugnante Lucifero Calaritano, qui inde in schisma miserabiliter incidit. Hujus concilii acta vide *tom.* 2. *Conc.* & insuper Rufinum *lib.* 1. *cap.* 28. Augustinum *epist.* 185. *num.* 47. Adde epistolam ejusdem Athanasii ad Rufinianum, quæ extat apud Balzamonem, & legitur actione 1. VII. synodi, *pag.* 75. A: in illa enim sanctus Doctor, " Celebra„ ta est, inquit, synodus præsentibus etiam & episcopis, qui partium „ erant eorum, qui foris sunt, (hoc est Occidentalium.) Facta est „ autem & penes comministros, qui Græciam habitant. Porro nihilo„ minus & ab his qui in Hispania & Gallia sunt; & quod hic pla„ cuit, & ubique: ita ut his qui cadunt & præsunt impietati, igno„ scatur quidem, cum pœnitentiam gesserint, non autem ulterius eis „ locus detur in clero. His autem, qui auctores non fuerint impieta„ tis, ... placuit ut venia detur, & habeant Cleri locum; maxime „ cum excusationem persuasoriam dederint: & placuit id dispensatio„ ne fieri ..... Propterea igitur dispensatio circa Clerum facta est .... „ Hæc & Romæ scripta & a Romanorum ecclesia sunt recepta. " Ita Athanasius qui duplicem duntaxat Arianorum ordinem constituit: 1. quidem erroris auctorum & antesignanorum, quibus laicam tantum communionem concedi placuit: 2. vero cæterorum omnium, qui decepti

ab

ab aliis aut inducti perfidiæ consenserant, quique cum dignitate sua & Ordinibus acceptis admissi sunt.

Hoc porro decretum in VII. synodo summis laudibus exceptum est, utpote quod non esset Athanasii solum, sed & totius orbis. Ex eo autem consequens esse judicatum est, ut qui in hæresi nati & educati essent, similiter admitterentur. Et merito sane. Namque ex verbis Athanasii manifestum est hæresi characterem non extingui. Jam vero si in hæresi perseverat, nihil causæ est cur in eadem dari non possit ac propagari.

Hanc eandem agendi rationem eloquenter explicat Augustinus *epist.* 185. *num.* 47. ubi Athanasium defendit & Luciferi casum deflet: tum hanc causam ad Donatistas transfert & ad quamlibet aliam hæresim applicari posse definit.

Basilius.

Quinto BASILIUS eandem doctrinam astruit: 1. namque epistola canonica ad Amphilochium, *can.* 1. *tom.* 2. *pag.* 759. asserit Zoin & Saturninum, qui ab Encratitarum secta ad Ecclesiam reversi sunt, in Episcoporum cathedram susceptos esse, & inde colligit eadem ratione erga reliquos esse agendum: " Scio, inquit, quod fratres Zoin & Sa- „ turninum, qui erant ex illorum (Encratitarum) ordine, in episco- „ porum cathedram suscepimus. Quare eos qui illorum ordini conjun- „ cti sunt, non possumus amplius ab Ecclesia separare, utpote tan- „ quam canone aliquo communionis cum ipsis edito per Episcoporum „ susceptionem. " Hæc epistola allegata est actione 1. VII. synodi *pag.* 70. 20. Epistola 74. ad Occidentales *pag.* 875. de Eustathio Sebasteno loquens, qui ab Ario institutus *ὁμοούσιον* a synodo Nicæna sancitum palam anathematizaverat, & postea tamen ejurato errore a Liberio restitutus fuerat in episcopatum unde erat ejectus: " Hic, inquit, olim „ institutus ab Ario .... sectator illius & inter selectissimos discipulos „ connumeratus fuit: posteaquam vero ad suos reversus a beatissimo „ Hermogene Cæsareæ episcopo propter opinionem impiam condemna- „ retur, confessionem illi obtulit sanæ fidei, atque ita manus imposi- „ tionem ab ipso obtinuit. Ubi vero dormitionem accepit Hermoge- „ nes, mox ad Eusebium Constantinopolitanum se contulit, qui & ip- „ se nihilominus impium dogma tuetur .... Mox vero ubi fortuito „ adeptus esset episcopatum, anathematismum contra Homoousion in „ synodo Ancyræ habita scripsisse deprehenditur: ..... atque ita epis- „ copatu ejectus, propterea quod jam Melitinæ depositus esset, viam „ sibi ipsi per quam restitueretur excogitavit, eam videlicet ut ad vos „ proficisceretur. Quæ vero sint illi a beatissimo Papa Liberio propo- „ sita, & ad quæ consenserit, nobis clam est; nisi quod epistolam at- „ tulit per quam restitueretur. Eam ubi synodo Tyanensi exhibuit, in „ suum

„ suum locum restitutus est.“ Vide & *epist.* 87. ubi eum a se in episcopum esse susceptum confitetur. Atqui is hæresim professus fuerat, ideoque ab Ecclesia pulsus. Ergo hæresi character, non perimitur, nec opus est iterata Ordinatione, ut qui hæreticus fuit restituatur.

Damasus Pontifex & Hilarius Pictaviensis.

Sexto DAMASUS summus Pontifex & Hilarius Pictaviensis eidem sententiæ astipulantur: eos enim, qui ad Arianam impietatem deflexerant, episcopos esse recipiendos judicarunt; & eam ob causam a Luciferianis, teste Gennadio, reprehensi sunt. Is enim *lib. de scriptoribus ecclesiasticis*, *cap.* 13. de libello precum Faustini & Marcellini differens. “
„ Quin, inquit, Hilarium Pictaviensem & Damasum urbis Romæ E-
„ piscopum in eodem culpat, quasi male consuluerint Ecclesiæ, quod
„ prævaricatores episcopos in communionem & sacerdotium, pacis re-
„ cuperandæ gratia, recepissent.

Hieronymus.

Septimo HIERONYMUS *in dialogo contra Luciferianos* hanc Athanasii, Damasi, Hilarii, imo totius Ecclesiæ disciplinam ac benignitatem propugnat: & sub finem allegans quod a Nicæna synodo de Novatianis definitum est, “ Synodus quoque Nicæna, inquit, cujus paulo ante feci-
„ mus mentionem, omnes hæreticos suscipit, exceptis Pauli Samosateni
„ discipulis: &, quod his majus est, episcopo Novatianorum, si con-
„ versus fuerit, presbyteri gradum servat.

Africana Ecclesia.

Octavo AFRICANI Præsules circa finem IV. sæculi in concilio Carthaginensi *can.* 35. *supra*, non solum testantur Donatistas jam abinitio in Ordinibus suis, cum solum schismatici forent, a majoribus suis esse susceptos; sed etiam tunc temporis, cum schisma in hæresim verterant, esse suscipiendos decernunt, & ut hac de re epistolæ ad alios Episcopos & præsertim ad Anastasium Pontificem mittantur, edicunt. Hunc canonem refert Cresconius *in collectione canonum*, *num.* 253.

Synodus Toletana I.

Nono CONCILIUM Toletanum I. anno 400. Symphosium, Dictinium, & Anterium Episcopos, postquam ejurassent hæresim Priscillianistarum, quam antea professi fuerant, in sedes suas restituit, *tomo* 2. *Conc. pagin.* 1230. & 1231. quod idem refert Ida-

cius

cius in chronico. Illud porro ab Innocentio I. *epist.* 23. probatum est, *ibidem pag.* 1280.

Innocentius I.

Decimo INNOCENTIUS I affirmat quidem *epist.* 22. *num.* 4. suæ " „ Ecclesiæ legem hanc fuisse, ut venientibus ab hæreticis, qui tamen „ illic baptizati sunt, per manus impositionem laica tantum tribueretur „ communio; nec ex his aliquis in clericatus honorem vel exiguum „ subrogaretur. " Et *epist.* 18. *num.* 3. " Arianos cæterasque ejusmodi „ pestes, quia eorum laicos conversos ad Dominum sub imagine „ pœnitentiæ ac sancti Spiritus sanctificatione per manus impositionem „ suscipimus, non videtur clericos eorum cum sacerdotii aut „ ministerii cujuspiam suscipi debere dignitate. " Sed tamen hoc ipsum certis in casibus fieri potuisse, idque citra novam Ordinationem confitetur.

1. enim *epistola* 21. ad Martianum, " Superiori tempore, inquit *to-* „ *mo* 2. *Conc. pag.* 1271. memini me tam ad dilectionem tuam quam ad „ fratres & coepiscopos nostros ... litteras de Clericis .... qui se ante „ damnationem Bonosi afferebant ab eodem tam presbyteros quam dia- „ conos ordinatos, ut si re icto atque damnato ejus errore, vellent Ec- „ clesiæ copulari, libenter reciperentur ..... Verum nunc in Ravennati „ urbe mihi constituto, Germanio, qui afferit se esse presbyterum, at- „ que Lupentinus qui se diaconum dicit, multorum talium quasi legatio- „ ne suscepta, prece fusa, dolores proprios exprimere gestiverunt: se „ quidem ecclesias in dilectionis tuæ constitutas parochiis retinere, sed „ tuam communionem non potuisse se mereri, ea videlicet ratione, quia „ Rusticus quidam nomine, iterata Ordinatione, presbyterium suscepis- „ set. Et non levi impedimento fit, dum aut illi dolent hujusmodi ho- „ minem in Ecclesia retineri, aut ille sic peccare debere in alio arbi- „ tretur, quemadmodum in se agnoscit esse peccatum. Et quamvis de „ eadem re plenius litteræ meæ contineant; .... tamen .... admonen- „ dam duximus fraternitatem tuam, ut si vere constat aliquos ante dam- „ nationem Bonosi ab eodem ordinatos, postea voluisse vel nunc velle „ reverti, eos recipiendos esse censemus. " Hæc Innocentius de Bonosiacis, qui Photini impietatem sectabantur, & negabant B. Mariæ Virginis illibatam post partum virginitatem. Ibi autem aperte statuit eos qui a Bonoso ante damnationem ordinati fuerant & ipsius deinceps erroribus adhæserant, iis relictis atque damnatis, posse in propriis gradibus admitti: quod manifeste arguit hæresi characterem Ordinationis non extingui. Jubet autem ita recipi Bonosiacos citra iteratam Ordinationem. Namque cum Rusticus quidam hac via presbyterium recuperasset, & alios eadem ratione restitui vellet, hoc ipsum ei vitio vertit Innocentius, in eoque peccatum esse pronunciat, & ut iterum non peccetur,

tur, sollicite monet. Ergo. Vide quæ de hac epistola disserit Petrus Damiani *opusc. 6. cap. 33.*

2. *Epistola* 22. ad episcopos Macedoniæ de iis agens qui a Bonoso post damnationem fuerant consecrati; totis quidem viribus pugnat, ut ii cum honoribus non admittantur: sed cum ipsi duo in contrariam partem exempla opponerentur; primum Anysii Thessalonicensis olim episcopi qui hujusmodi Bonosiacos sine dignitatum jactura receperat; secundum concilii Nicæni, quod Novatianos cum Ordinibus suscipiendos esse decreverat; reponit ad 1. id quidem verum esse, sed hoc ab Anysio necessitate urgente factum; ad 2. illud de solis Novatianis esse sancitum, nec in exemplum trahi posse. En verba: " Sed, inquit, Anysii ,, quondam fratris nostri, aliorumque consacerdotum summa deliberatio ,, hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent ,, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperentur, (hoc est, ,, ut erant ordinati, seu cum Ordinibus suis reciperentur.) Vicimus, ut ,, opinor, ambigua. Jam ergo quod pro remedio ac pro necessitate tem- ,, poris statutum est, constat primitus non fuisse: ...... sed necessitas ,, temporis id fieri magnopere postulabat. Ergo quod necessitas pro remedio invenit, cessante necessitate debet utique cessare pariter quod urgebat ..... Sed, addit, canones apud Nicæam constituti de Novatianis ,, permiserunt facere .... Possum vero dicere de solis hoc Novatianis es- ,, se præceptum, nec ad aliarum hæresum clericos pertinere. Nam si ,, utique de omnibus ita definirent, addidissent, a Novatianis aliisque ,, hæreticis revertentes debere in suum Ordinem recipi. " Atque adeo fatebatur Innocentius id esse bis factum erga hæreticos, ut in suis Ordinibus citra novam Ordinationem reciperentur, atque id factum bene. Atqui id probare non potuisset, si characterem hæresi deleri aut hebetari confessus fuisset.

3. Idem summus pontifex *epistola* 23. ad episcopos Toletanæ synodi, qui, ut jam monebamus, quosdam Priscillianistas episcopos pacis causa cum Ordinibus suis admiserant, & ideo a Bæticis, & Carthaginensibus episcopis vituperabantur, rescribens, hoc factum commendat, & Ecclesiæ exemplo, quæ idem erga Arianos, fremente nequicquam Lucifero, aliisque momentis ex Scriptura petitis egregie tuetur: " Quod, inquit, Bætici vel Carthaginenses episcopi propter ,, Galliciorum communionem a pace omnium dissederunt, orta dissen- ,, sio est, ... cum utique bono cuique in rebus talibus vinci me- ,, lius sit, quam malo more pravum propositum, quod semel placuit, ,, obtinere. Nam quæ alia causa & superioribus temporibus illius Lu- ,, ciferi præter pertinaciam fuit, quæ illum retraxit a concordia illo- ,, rum, qui Arianorum hæresim prudenti conversione damnaverant? ,, ... Quæro enim quare doluerint Symphosium atque Dictinium, ,, aliosque qui detestabilem hæresim damnaverunt, receptos in fidem ,, catholicam tunc fuisse? numquidnam aliquid de honoribus amiserint

,, quos

„ quos habebant? Quod si quos hoc pungit, legant Petrum apostolum „ post lacrymas non fuisse quod fuerat: considerent Thomam post du- „ bitationem illam nihil de prioribus meritis amisisse: denique David „ Prophetam egregium post manifestam confessionem suam prophetiæ „ suæ dono non fuisse privatum. Quod si emendatio conversionis, & „ errores amputat, & retinet dignitates; quæ, malum, ratio est, viam „ recti . . . . proposito pertinaciæ nolle retinere?" Quo quidem loco nihil evidentius esse potest. Cum enim Toletani Præsules quosdam e Priscillianistis episcopis cum omnibus honorum suorum ornamentis urgente necessitate admisissent, & quidem citra ullam de nova Ordinatione mentionem, id non solum non ægre fert Innocentius, sed etiam laudat ac defendit: ac proinde nulla jam esse potest de ipsius mente dubitatio.

Et vero hanc esse Innocentii sententiam jam pridem observarunt Auxilius *lib.* 2. *cap.* 22. & Petrus Damiani *opusc.* 6. *cap.* 25. atque ex his collegerunt intrusorum, & simoniacorum Ordinationes multo minus esse iterandas.

Augustinus.

Undecimo Augustinus omnium disertissime sententiam nostram astruit, idque pluribus in locis.

1. enim contra epistolam Parmeniani *lib.* 2. *cap.* 13. pronunciat eos qui ab Ecclesia deficiunt episcopos ac sacerdotes Ordinationis sacramentum secum auferre, quod super eos manet quandiu extra Ecclesiam versantur, quodque in eis non deletur cum ad eam revertuntur. " Ipsi „ (Donatistæ) explicent, inquit, quomodo sacramentum baptizati non „ possit amitti, & sacramentum ordinati possit amitti: quoniam dicunt: „ Recedens ab Ecclesia baptismum non amittit, jus dandi tamen amittit. „ Si enim utrumque sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud „ non amittitur, & illud amittitur? Neutri sacramento injuria fa- „ cienda est. Si sancta malos fugiunt, utrumque fugiat: si sancta „ in malis inviolabiliter manent, utrumque maneat. Vide *supra*, „ *pag.* 263.

2. De Baptismo contra Donatistas *cap.* 1. non minus Ordinationis quam Baptismi sacramentum cum eis secedere, in iisque manere, qui ab Ecclesia secedunt: atque adeo illos, cum redeunt, nec rebaptizari, nec rursus ordinari docet.

3. Contra Cresconium *lib. secundo cap.* 10. *num* 12. & in Breviculo collationis cum Donatistis, *cap.* 5. testatur hanc fuisse ætate sua in Africa consuetudinem ut cum Ordinibus Donatistæ reduces susciperentur.

Quæ quidem omnia ex iis quæ *supra*, *pag.* 263. retulimus repetenda sunt.

4. Ut nonnulla his addamus, sanctus idem doctor *epist.* 87. *num.* 9. eosdem Donatistas alloquens, " At enim, inquit, dicitis: Quare nos „ adjungi vobis vultis, si scelerati sumus? quia vivitis adhuc (respon- „ det ille) & corrigi potestis, si velitis.... Vos ergo mutamini ex ea „ parte, qua dissentiebatis: quamvis sacramenta, quæ habebatis, cum „ eadem sint in omnibus, sancta sint.... Nam sacramenta quæ non mu- „ tastis, sicut habetis, approbantur a nobis; ne forte cum vestram pra- „ vitatem corrigere volumus; illis mysteriis Christi, quæ in vestra pra- „ vitate depravata non sunt, sacrilegam faciamus injuriam.

Quinto *Epistola* 93. *num.* 46. ad Vincentium Rogatistam ex eodem Donatistarum grege, " Cur ergo, inquis, nos quæritis? cur sic suscipitis, „ quos hæreticos dicitis? Vide, inquit Augustinus, quam facile brevi- „ terque respondeam. Quærimus vos quia peristis, ut de inventis gau- „ deamus, de quibus perditis dolebamus. Hæreticos autem vos esse di- „ cimus, sed antequam ad pacem catholicam convertamini, antequam „ errore quo irretiti estis exuamini. Cum autem transitis ad nos, prius „ utique relinquitis quod eratis, ne ad nos hæretici transeatis. Baptiza „ ergo me, inquis: facerem, si baptizatus non esses, aut si Donati vel „ Rogati, non Christi baptismo baptizatus esses. Non sacramenta Chri- „ stiana faciunt te hæreticum, sed prava dissensio. Non propter ma- „ lum quod processit ex te, negandum est bonum quod remansit in te; „ quod malo tuo habes, si non ibi habes, unde est bonum quod ha- „ bes? ex catholica enim Ecclesia sunt omnia dominica sacramenta, „ quæ sic habetis & datis, quemadmodum habebantur & dabantur, „ etiam priusquam indeexiretis. Non tamen ideo non habetis, quia ibi „ non estis unde sunt quæ habetis. Non in vobis mutamus, in quibus „ nobiscum estis. In multis enim estis nobiscum: Nam & de talibus di- „ ctum est: *Quoniam in multis erant mecum*. Sed ea corrigimus in quibus „ nobiscum non estis: nobiscum autem estis in baptismo, in symbolo, „ in cæteris dominicis sacramentis.

Sexto *Epist.* 185. *num.* 44. de Donatistis: " Si ergo, inquiunt, opor- „ tet ut nos extra Ecclesiam fuisse pœniteat & adversus Ecclesiam, quo- „ modo.... apud vos Clerici vel etiam episcopi permanemus?.... Hoc „ non fieret, inquit Augustinus, quoniam revera (quod fatendum est) „ fieri non deberet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur. Sed sibi „ hoc dicant, & multo maxime humiliter doleant, qui in tanta morte „ præcisionis jacent, ut isto quodam vulnere matris Catholicæ revivis- „ cant. Cum enim præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbo- „ re, quo possit recipi, ut vivat qui sine vita radicis peribat: sed cum „ receptus recipienti coaluerit, & vigor consequitur & fructus. Si au- „ tem non coaluerit; ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit. „ .... Ita ergo & isti, cum ad radicem Catholicam veniunt, nec eis, „ quamvis post erroris sui pœnitentiam, honor Clericatus vel episcopa- „ tus aufertur, fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris

con-

„ contra integritatem ſeveritatis ; verumtamen quia neque qui plantat „ eſt aliquid , neque qui rigat , ad Dei miſericordiam precibus coaleſcente inſitorum pace ramorum , charitas operit multitudinem peccatorum. Ut enim conſtitueretur in Eccleſia , ne quiſquam poſt alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat , vel ad clericatum redeat ; non deſperatione indulgentiæ , ſed rigore factum eſt diſciplinæ.... Nam & ſanctus David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit , & tamen in honore ſuo perſtitit.... Habeant ergo iſti de præterito deteſtabili errore , ſicut Petrus habuit de mendaci timore , amarum dolorem , & veniant ad Eccleſiam Chriſti veram , hoc eſt matrem Catholicam : ſint in illa Clerici , ſint epiſcopi utiliter , qui contra illam fuerunt hoſtiliter.... Non referant ad elationis ſuæ malum , quod facit ipſa propter pacis bonum. Sic multitudinibus per ſchiſmata & hæreſes pereuntibus ſubvenire conſuevit. Hoc diſplicuit Luciſero , quia factum eſt in eis ſuſcipiendis atque ſanandis , qui veneno perierant Ariano : & cui diſplicuit , in tenebras cecidit ſchiſmatis , amiſſo lumine charitatis.

Septimo in libro de unico baptiſmo contra Petilianum *cap.* 12. *num.* 20. diſtinctionem eſſe adhibendam docet inter eos qui in hæreſi vel ſchiſmate nati ad Eccleſiam revertuntur , & apoſtatas qui ab Eccleſia ad hæreticorum caſtra tranſeunt aut ad vomitum redeunt : quamvis enim liceat prioribus honores ſervare , non licere tamen poſterioribus juxta ſeveriorem Eccleſiæ diſciplinam. “ Nec illud , inquit , ſine diſtinctione „ prætermimus , ut humiliorem agant pœnitentiam , qui jam fideles Eccleſiam Catholicam deſeruerunt , quam qui in illa nondum fuerunt. Nec ad Clericatum admittuntur , ſive ab hæreticis rebaptizati ſint , ſive prius ſuſcepti ad illos redierint , ſive apud illos Clerici , ſive laici fuerint. Et qui hæc noſtrorum negligenter agunt , & eos ſorte Clericos in Catholica faciunt , vel eſſe permittunt , quamvis a diligentioribus fraterno jure culpentur ; tamen nec ipſi eis Clericatum deferendum putant , niſi quos ab illis malis vel noverunt emendatos eſſe vel credunt. “ Hæc Auguſtinus. Quæ adeo perſpicua ſunt ac luculenta , ut ipſius ſolis radiis ſcripta eſſe videantur.

Atque ut cuilibet effugio via præcludatur , obſervandum eſt

Primo Auguſtinum Donatiſtas habuiſſe pro hæreticis , quippe qui , ut „ ipſe alicubi loquitur , “ Tunc temporis hæreſim ſchiſmati addiderant. “ „ Hinc *epiſt.* 93. mox laudata , “ Hæreticos , inquit , vos dicimus , &c. Et vero ipſos hæreticos ex profeſſo probat *lib. contra Creſconium cap.* 7.

Secundo eundem non ita intra hæreſim Donatiſtarum hæſiſſe , ut alias excluſerit : eas enim generatim & Arianam ſpeciatim commemorat *epiſt.* 185. jam jam a nobis allegata.

Tertio non tantum de iis , qui in Eccleſia Catholica ſacramentis initiati ad ſchiſmaticos aut hæreticos deficiunt , eſſe controverſiam , ſed etiam ac potiſſimum de illis qui in hæreſi aut ſchiſmate ſacramenta ſu-

sceperant. Præterquam quod enim id arguunt quæ mox proposuimus; Augustinus certe disputat adversus Donatistas qui ævo suo vivebant, post centum & amplius a dissidii exordiis annos: & eorum sacramenta a catholicis recte admitti nec iterari contendit.

4. Ordinationem ubique cum Baptismo comparari, adeo ut, quemadmodum certum est Baptismatis characterem hæresi nec extingui, nec retundi, ita juxta Augustini doctrinam de Ordinatione idem sit sentiendum. Nemo est autem (ac ne Morinus quidem, qui nobis maxime repugnat) qui putet pro nullo tunc habitum esse Baptisma ab hæreticis collatum. Ergo nullum pariter de ipsa Ordinatione dubium esse potest.

5. Ordinationem dici apud hæreticos & schismaticos extra Ecclesiam consistere non tantum penes jus dandi Baptismatis, sed etiam penes jus alios ordinandi. Si enim ex Ordinatione superest duntaxat jus baptizandi, non autem ordinandi; Baptisma quidem ab ipsis datum admitti posset, sed non possent admitti Ordinationes ab ipsis factæ. Atqui non solum Baptisma ratum habebatur, sed etiam Ordines apud eos accepti, iis qui redibant ad Ecclesiam, servabantur. Ergo.

6. Denique omnia Augustini argumenta in hæreticos perinde ac schismaticos competere, tamque pro iis qui apud ipsos nati sunt, quam qui ad ipsos deficiunt, nec pro Ordinatione minus quam pro Baptismate valere. Contendit enim sacramenta valere generatim apud eos omnes qui sunt extra Ecclesiam; & valere, quia sunt sacramenta Christi, non ipsorum &c. Atqui hæc & similia momenta, quæ ubique inculcat Augustinus, in omnes ex æquo, & in Ordinationem perinde ac in Baptisma quadrant. Ergo.

Synodus Ephesina.

Decimosecundo SYNODUS Ephesina *act.* 7. ad finem *parte* 2. *tom.* 3. *Conc. pag.* 809. " Venientes, inquit, ad nos pientissimi & religiosissimi
" episcopi Valerianus & Amphilochius, proposuerunt in communi con-
" siderandum de Messalianitis, hoc est, Euchetis vel Enthusiastis ......
" At nobis considerantibus attulit pientissimus & religiosissimus Vale-
" rianus epistolam de illis compositam in magna Constantinopoli sub
" beatæ memoriæ Sisinnio: quæ ubi lecta ab omnibus approbata est....
" Et placuit nobis omnibus...... ut omnes qui per universam provin-
" ciam hæretici Messaliani vel Enthusiastæ sunt, ... sive clerici sive
" laici sint, conveniantur: & siquidem anathematizaverint, juxta ea quæ
" in prædicta synodo, scripto pronunciata sunt, in scriptis; si clerici
" fuerint, maneant clerici; si laici, ad communionem admittantur. "
Atque adeo duplicis hujus synodi judicio hæreticorum Ordinationes validæ declaratæ sunt.

Adde canonem 3. *pag.* 802. ut legitur *act.* 1. *synodi* VII. ibi enim clerici qui a Nestorianis ordinati fuerint, si quando redierint ad Ecclesiam, in susceptis Ordinibus admitti jubentur.

Cyril-

Cyrillus Alexandrinus.

Decimotertio CYRILLUS ejusdem concilii Ephesini præses in eadem sententia versabatur. Eos enim ut episcopos habebat quicunque ex ipsis catholicam fidem profiterentur, etiamsi antea Nestorii errori forte essent patrocinati. In *epistola* enim ad Maximum, qui curiosius in ejusmodi Præsules inquirebat & cum eis communicare refugiebat, " Quod si, in-
„ quit, jam videas eos congregari in recta fide, malorum te oportet
„ oblivionem præteritorum inducere: malumus enim eos videre negan-
„ tes, quam inverecundo animo collaudantes Nestorii impietatem. Er-
„ go ne contentiones dicamur amare, religiosissimi episcopi Joannis fa-
„ miliaritatem amplectamur, hoc illi indulgentes, & ecclesiasticæ œco-
„ nomiæ causa: nec simus tam exacti exploratores in eos, qui ad men-
„ tem redierunt. Res enim commoda administratione multaque .... di-
„ ligentia indiget. " Adjunge quod de hac Cyrilli epistola & altera similis argumenti ad Gennadium habet Tharasius patriarcha Constantinopolitanus *act.* 1. *synodi* VII. *pag.* 71. E. & 74. A.

Sanctus Leo.

Decimoquarto S. LEO non aliud sensit: multos enim & non unius generis hæreticos in propriis Ordinibus suscepit.

Epist. 1. *cap.* 6. *pag.* 205. " Donatum, inquit, Salicinensem ex No-
„ vatianis cum sua, ut comperimus, plebe conversum, ita dominico
„ volumus gregi præsidere, ut libellum fidei suæ ad nos meminerit di-
„ rigendum, quo & Novatiani dogmatis damnet errorem, & plenissi-
„ me confiteatur catholicam veritatem. Maximum quoque ex laico, li-
„ cet reprehensibiliter ordinatum, tamen si Donatista jam non est, a
„ spiritu schismaticæ pravitatis alienus, ab episcopali, quam quoquo mo-
„ do adeptus est, non repellimus dignitate, ita ut ipse libello ad nos
„ edito catholicum se esse manifestet.

Epist. 6. *ad* Aquilejensem episcopum, *cap.* 1. & 2. damnat eum, qui in illa provincia obtinebat, pravum usum, ut qui clerici ex hæresi Pelagiana ad Ecclesiam revertebantur, & cum suis Ordinibus recipiebantur ad damnandos pristinos errores non adigerentur, & sinerentur per varias ecclesias vagari: monet ut deinceps ad id cogantur, & intra ecclesiæ suæ terminos sese contineant. " Agnovimus, inquit, quosdam
„ presbyteros, diaconos ac diversi Ordinis clericos, quos Pelagiana sive
„ Cælestiana hæresis habuit implicatos, ita in vestra provincia ad com-
„ munionem catholicam pervenisse, ut nulla ab eis damnatio proprii
„ exigeretur erroris, ... &, quod per auctoritatem canonum decreto-
„ rumque nostrorum ne insontibus quidem conceditur, usurpasse, ut re-
„ lictis ecclesiis in quibus clericatum aut acceperant aut receperant, in-

„ stabilitatem suam per diversa circumferant, amantes semper errare.....
„ Ne ergo hoc ulterius .... tendat , ... nunc saltem ...... ad veram
„ correctionem ..... cogantur . Damnent apertis professionibus suis superbi erroris auctores, & quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, detestentur .... Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum ....., Illam quoque partem ecclesiasticæ disciplinæ, qua .... decretum est, ut nec in presbyteratus gradu nec diaconatus Ordine, ab ecclesia in ecclesiam cuiquam transire sit liberum, „ ut in integrum revoces, admonemus. " Tria itaque in usu erant: 1. enim Pelagiani in suis Ordinibus suscipiebantur: 2. non compellebantur ad erroris sui damnationem: 3. denique ipsorum arbitrio permittebatur ut ab ecclesia ad ecclesiam transirent. Duo porro hæc postrema duntaxat improbat Leo: ac proinde primum probavisse censendus est , quod ipsius insuper verba satis ostendunt . Idem omnino præscribit *epist.* 7. *pag.* 424.

Epist. 14. rem istam distinctius adhuc exequitur. Hæreticos enim cum gradibus suis admitti probat , postquam suos ipsi errores ejuraverint , sed addit eos exinde ad altiores gradus non esse promovendos . " Circa quos etiam , inquit , illam canonum constitutionem præcipimus „ custodiri, ut in magno habeant beneficio, si adempta omni spe pro„ motionis , in quo inveniuntur Ordine , stabilitate perpetua ma„ neant .

Hanc ipsam indulgentiam ac benignitatem erga Eutychem esse observandam monet *epist.* 24. *cap.* 6. *epist.* 27. *cap.* 4. *epist.* 28. *pag.* 493. *epist.* 75. *cap.* 4.

Auctor vitæ S. Sabæ.

Decimoquinto Auctor vitæ Sancti Sabæ abbatis quandam de Joanne Hierosolymorum episcopo narrat historiam ex qua idem colligitur. Cum enim Elias orthodoxæ fidei præsul ab hæreticis, qui Eutychiano errore inquinati erant , ex Hierosolymitana ecclesia pulsus esset , in ejus locum subrogatus est Joannes ex eadem hæreticorum secta , quod Catholicis summo dolori fuit : sed cum ille postmodum omnipotenti gratia Dei ex hæretico catholicus factus esset præter spem omnium, & synodum Chalcedonensem approbasset, Severumque Acephalorum principem communione sua interdixisset , ut legitimus exinde pontifex , idque citra novam Ordinationem , habitus est , ut *ibidem* refertur *cap.* 178. *& seq.* nec non & *actione* 1. *synodi VII. pag.* 87.

Gregorius Magnus.

Decimosexto S. Gregorius *lib.* 9. *indict.* 4. *epist.* 61. ut Nestoriani in suis Ordinibus recipiantur imperat. " Nestorium, inquit ,cum om-
„ ni-

„ nibus sequacibus suis, & reliquas hæreses anathematizent: venerandasque synodos quas universalis Ecclesia recipit, se recipere, & venerari promittant; & absque ulla dubitatione sanctitas vestra servatis eis propriis Ordinibus in suo cœtu recipiat, ut dum, & per sollicitudinem occulta mentis eorum discutitis, atque eos per veram scientiam recta, quæ tenere debeant, docetis, & per mansuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de propriis suis Ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis." Quibus verbis manifeste significat, quænam ea ætate erga Nestorianos disciplina obtineret.

Synodus VI.

Decimoseptimo eadem synodi VI. mens fuit erga eos qui a Monothelitis ordinati fuerant, quod testatur Tharasius *act.* 1. *synodi VII. pag.* 91. D. " Sane, inquit, & plurimi qui in VI. synodo consederunt a Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro, doctoribus, inquam, hæreseos Monothelitarum fuere creati. Sed & hi vicissim Constantinopoleos thronum sortiti sunt, & ab eorum extremo doctore Petro usque ad VI. synodum anni non pauciores quam quindecim intercesserunt. Qui vero intermediis temporibus fuerunt, Thomas scilicet, Johannes & Constantinus, ab hæreticis fuere ordinati; verum ea de causa non sunt reprobati. Circiter enim quinquaginta annos hæresis illa viguit: & tamen in VI. synodo Patres quatuor illos prænominatos tantum damnarunt; cæteros cum Ordinationibus susceperunt.

Synodus VII.

Decimooctavo Synodus VII. non solum Ordines servavit clericis ab hæresi ad Ecclesiæ gremium redeuntibus; sed etiam ita fieri oportere, & antea frequenter factum fuisse quamplurimis veterum Patrum testimoniis demonstravit. Vide *action.* 1. ubi hoc caput diligenter expenditur & astruitur accurate. Adde *act.*2. in qua episcopi ab hæresi reversi suas reip sa sedes juxta synodi judicium receperunt.

Neque vero est, quod Morinus dicat Tharasium patriarcham Constantinopolitanum, cum hac de re differit, nunquam ad sacramenti naturam & characterem confugere, sed ad canones & Ecclesiæ disciplinam; atque adeo totum hoc negotium ex usu & consuetudine, quæ pro locis ac temporibus varia esse potest, suspensum esse, non autem ex Christi institutione, quæ eadem semper est & immutabilis.

Duo enim in hac controversia secernenda sunt: primum, an validæ sint nec iterandæ Ordinationes ab hæreticis collatæ: alterum, an qui ab hæreticis ita ordinati sunt, cum Ordinibus suis recipi debeant,

quando ad Ecclesiam revertuntur. 1. ad dogma spectat, & ex charactere pendet: 2. pertinet ad disciplinam, quæ reipsa non eadem semper fuit circa hoc caput: quod animadvertit Augustinus in locis *supra* adductis. Porro de primo capite non agebat Tharasius nec synodus VII. imo illud pro constanti & indubitato habebat. Itaque mirum non est quod ad sacramenti naturam, & characteris firmitatem non recurrat, siquidem hac de re nulla erat quæstio. Sed alterum expendit, an scilicet qui ab hæreticis essent consecrati, sine dignitatis suæ jactura admittendi forent: in eamque partem, quæ tota disciplinæ est, Patrum dicta, usum ac consuetudinem affert: qua quidem agendi ac disputandi ratione nihil aptius aut accuratius esse potest.

Hincmarus.

Decimonono Hincmarus in scripto Episcopis synodi III. Suessionensis oblato, id per indulgentiam fieri posse confitetur, & erga Donatistas ab Africanis Præsulibus, sicut & erga Novatianos, & Meletianos a Nicænis Patribus, factum esse, quod necessitas urgeret, agnoscit.

Synodus VIII.

Vigesimo in synodo VIII. res ista pro certa habita est. Actione enim *6. pag.* 1318. cum Photiani episcopi in consessum Patrum fuissent introducti, seque acceptis a Photio gradibus frui debere contenderent, quia nempe etiam ii qui ab hæreticis ordinati sunt, in suis honoribus suscipiuntur ab Ecclesia, respondit nomine synodi Metrophanes Smyrnensis metropolita, id quidem, quod de hæreticis dicebatur, esse longe verissimum & canonibus consentaneum, sed latum esse discrimen inter eos qui ab hæreticis ordinati sunt, & illos qui ab intrusis & invasoribus essent consecrati. Sic ergo loquuntur Photiani præsules *pag.* 1318. E. " Flavianus, inquiunt, deposuit Eutychem & " Anatolius recepit, quem in IV. tamen côncilio Episcopi Symmy- " stam habuere, nec damnati sunt. Petrus quoque Moggus a Prote- " rio depositus est, quod IV. synodum non reciperet: qui tamen Ti- " motheo patriarchæ successit; nec quisquam ab eo ordinatus, est con- " demnatus. Acacius item " &c. Ad hæc autem sic reponit Metro- " phanes *pag.* 1322. " Quod vero dicitur, inquit, Petrum Moggum " Alexandriæ patriarcham depositum fuisse, pariterque Acacium Con- " stantinopolitanum, ab illis tamen ordinatos nequaquam depositos " fuisse, nihil vestræ causæ Photioque patrocinatur. Nam aliter Ec- " clesiasticæ leges episcopos ab hæresi reductos judicant, & aliter eos " qui a mœchis & sacrilegis contra leges sunt initiati, quæ leges il- " los per libellum hæresim suam ejurantes sanciunt recipiendos; quem- " ad-

„ admodum, & tunc Orientis Episcopi synodum coegerunt, & Felix „ qui Simplicio . . . . successit, Petrum Moggum damnavit, & Acacium abrogavit. Contra ordinatos vero ab utroque nulla expresse „ lata est sententia, quod, ut dixi, leges ecclesiasticæ omnibus essent „ exploratæ.

Anastasius Bibliothecarius.

Vigesimoprimo Anastasius bibliothecarius idem observat in scholio ad finem VIII. synodi, *pag.* 1170.

Auxilius.

Vigesimosecundo Auxilius id pro confesso sumit, & eo quod validæ sint Ordinationes ab hæreticis datæ, imo & sæpe pro ratis habeantur; inde conficit Ordinationes a Formoso peractas nullatenus iterandas esse. Porro validas & ratas esse Ordinationes ab hæreticis factas ostendit exemplo, 1. Acacii, 2. Bonosiacorum, 3. Novatianorum, 4. Anatolii. 5. Liberii. Ad id autem probandum allegat auctoritatem synodi Nicænæ, Innocentii I. Sancti Leonis, Anastasii Papæ, &c. qua de re ipsum consule *lib.* 1. *cap.* 19. 20. 22. 23. 24. 25. *&* *lib.* 2. *cap.* 1.

Leo IX.

Vigesimotertio Leo IX. summus pontifex apud Petrum Damiani *opusc.* 6. *cap.* 27. aperte significat hæresi characterem Ordinationis non extingui. " Leo, inquit Petrus Damiani, omnes clericos ab hæreticis venientes in iis quidem, quos jam adepti sunt, præcipit Ordinibus „ recipi, ad altiores autem gradus prohibet promoveri. Cujus decreti nos titulum contenti simus hic breviter adhibere .... Quod omnis, „ inquit, cujuslibet Ordinis clericus, qui catholicam deserens hæretici „ communioni miscuerit se, si ad Ecclesiam reversus fuerit, in eo gradu „ quo erat, sine promotione permaneat. " Sic Leo IX. in quo Leonem Magnum æmulatus est.

Petrus Damiani.

Vigesimoquarto PETRUS idem Damiani Auxilium imitatur. Cum enim de iis, qui gratis erant a simoniacis consecrati, magna foret disceptatio, an videlicet illi in acceptis gradibus & officiis relinquendi essent, & eo usque procederent nonnulli ut eos aut deponendos esse aut rursus ordinandos existimarent, contra dimicat Petrus Damiani *opusc.* 6. qui liber *Gratissimus* idcirco nominatur, & asserit neutrum esse fa-

se faciendum. Ac 1. quidem eos non esse deponendos probat, quia Ordinis libera facultas etiam hæreticis reducibus conceditur: multo itaque potiori jure hancce potestatem esse faciendam iis qui gratis a simoniacis fuerint consecrati. 2. Non esse iterum consecrandos evincit, quia iteratam Ordinationem non minus quam rebaptizationem odit & aversatur Ecclesia. Quocirca duæ sunt hujus operis partes, & ambæ, ut liquet, nobis favent. Porro hæreticos citra novam Ordinationem in gradibus suis suscipi pluribus exemplis docet. Profert enim *cap.* 16. Liberium, *cap.* 17. Anatolium ab hæreticis ordinatum, *cap.* 23. Donatistas, *cap.* 25. Bonosiacos & Acacium, *cap.* 27. omnes universe ex S. Leone. Tum *cap.* 30. 31. 32. & 33. reconsecrationem non minus quam rebaptizationem illicitam esse demonstrat testimoniis Scripturæ ac Patrum, summorumque Pontificum decretis. Atque adeo nemo ambigere potest Petrum Damiani Ordinationes hæreticorum pro validis habuisse.

Paschalis II.

Vigesimoquinto PASCHALIS II. in synodo Guastallensi *supra*, *an.* 1106. *pag.* 749. eo se impulsum fatetur ad schismaticos in suis Ordinibus suscipiendos, quod ex Ecclesiæ disciplina non aliter vulgo admitterentur hæretici. " Patrum itaque, inquit, nostrorum exemplis & „ scriptis instructi, qui diversis temporibus Novatianos, Donatistas, „ & alios hæreticos in suis Ordinibus susceperunt, præfati Teutonici „ regni episcopos in schismate ordinatos, ... in officio Episcopa- „ li suscipimus.

Algerus.

Vigesimosexto ALGERUS *lib.* 3. *de sacramento corporis & sanguinis Christi*, inquirit an sacramenta a ministris, qui extra Ecclesiam positi sunt, confecta, si non rata, saltem vera sint: atque ita esse definit. Verum *cap.* 10. cum illud sibi objecisset, sacerdotium nempe apud hæreticos non subsistere: " Sed, inquit, e contra ait Augustinus *in Ge-* „ *nesi ad litteram*, Etsi aliqua culpa quis ab officio removeatur, sa- „ cramento Domini semel imposito non carebit, quamvis ad judicium „ permanente .... Ait Hieronymus *ad Luciferianum*. Sicut hic est qui „ baptizat Christus, ita hic est, qui sanctificat ..... Unde Leo ad Mau- „ ros episcopos &c. ..... Ecce, inquit, his hæreticis, Leone annuen- „ te, redeuntibus non est iterata (consecratio,) sed mansit integra: quæ „ cum episcopalis fuerit, quis eam neget integram in sacrificando, cum „ integra concessa sit etiam in sacerdotes consecrando?

PRO-

PROBATIO II.

Ex usu Ecclesiæ Latinæ.

NEMPE a Latinis Græci non tantum ut schismatici, sed etiam ut hæretici habentur; neque tamen unquam Græcorum Ordinationes ab initio dissidii ad hæc usque tempora a Latina Ecclesia in dubium revocatæ sunt.

Schismati initium fecit IX. sæculo Photius: sed obductum est paulo post vulnus, & aliquandiu coaluit, donec anno tandem 1053. & quidem longe majori quam antea vi, recruduit opera Michaelis Cærularii Patriarchæ Constantinopolitani & Leonis Acrideni Bulgarorum metropolitæ. Ab eo autem tempore identidem Græci in Ecclesiæ Latinæ sinum redierunt: ac sæpe ex professo de Ordinationibus ac sacramentis ipsorum actum est. Nulla porro de iis controversia unquam fuit.

Ita Synodus Lateranensis IV. sub Innocentio III. an. 1214. *can.* 4. Græcorum Ordines admittit, nec de illis litem movet.

Innocentius IV. an. 1254. ad Episcopum Tusculanum scribens suum in regno Cyprio legatum, & de Græcis loquens qui ad devotionem sedis apostolicæ redierant, quamvis nonnulla in ipsis reprehendat & emendanda esse moneat, eorum tamen sacerdotium ut verum ac legitimum recipit *bulla* 14.

Alexander IV. ann. 1260. *in constitutione sua* eosdem Ordines probat.

Concilium Lugdunense II. paulo post, id est anno 1274. coactum est, in eoque Græci cum Latinis in concordiam redierunt: omnes autem citra ullam difficultatem in susceptis Ordinibus manere permissi sunt: neque ullus fuit, qui ipsorum Ordinationes iterandas esse diceret.

Synodus Florentina deinde habita est ann. 1439. eique adfuerunt Græci. Ibi diu & acriter disputatum est de omnibus quæ ipsos inter & Latinos in controversia erant, etiam minimi momenti, capitibus: nemo autem repertus est, qui Græcis ob Ordinationes negotium facesseret.

Clemens VII. qui an. 1523. sedem Romanam accepit, bullam hac de re post Leonem X. edidit, a Leone Allatio *in opusculo de interstitiis Ordinum* relatam, in qua ex professo ratas esse ejusmodi Ordinationes & vera esse sacramenta a sacerdotibus Græcis confecta decernit.

Clemens VIII. an. 1566. Ruthenos, qui ad Græcam Ecclesiam hactenus pertinuerant, ad se revertentes, non solum benignissime, sed etiam servatis propriis gradibus ac ritibus excepit.

Id anno 1615. in peculiari hac de re bulla probavit Paulus V.

Denique Urbanus VIII. peculiari constitutione edixit ut Romæ semper esset episcopus Græcus, qui Græcos laicos ad Ecclesiam catholicam reversos ordinaret.

PROBATIO III.

Ex consensione veterum Theologorum.

JOANNES Morinus, quem in præsenti controversia præsertim impetimus, confitetur assertionem nostram esse omnium, qui a quadringentis abhinc annis extiterunt, theologorum doctrinam : sic enim loquitur *exercit.* 5. *cap.* 9. *num.* 14. " Lectorem, inquit, commovere non debet „ quod ab annis quadringentis scholastici doctores constanter contra„ rium de Ordinationibus schismaticorum, hæreticorum, degradato„ rum, & simoniacorum secundum Ecclesiæ formam factis edixisse vi„ dentur. " Ita ille, qui an lectoris animum satis firmet his verbis, ipse viderit. Quidquid sit ex eo saltem constat in id quod astruimus unanimi consensu conspirasse quotquot ab ævo S. Thomæ theologiam excoluerunt : quo uno dici non potest quantum roboris accedat sententiæ nostræ. Præterquam quod enim ista concordia non leve est veritatis argumentum; quis inde non colligat hanc eandem fuisse superiorum theologorum doctrinam? Quis enim sibi persuadeat hos doctores a majorum decretis quasi ex compacto defecisse?

Et vero si antiquorum scholæ antistitum hac de re disputationes exploremus, eos sane nobis maxima saltem ex parte suffragari statim apparebit.

Ut enim Gratianum mittamus, qui tamen nobis favet, ut *supra* animadvertimus.

Hugo Victorinus *summæ sentent. tract.* 6. *cap.* 9. expendens hanc quæstionem, an videlicet excommunicati & hæretici conficiant corpus Christi, " De iis, inquit, qui sunt extra Ecclesiam, ut excommunicati & „ manifesti hæretici, quæritur utrum conficiant; quia Ordinationem „ non amiserunt, in qua datur potestas illud conficiendi : aliis vide„ tur, quod nec excommunicati nec manifesti hæretici conficiunt; nul„ lus enim in ipsa consecratione dicit *Offero*, sed *Offerimus*, ex perso„ na totius Ecclesiæ. Cum autem alia sacramenta extra Ecclesiam pos„ sint fieri, hæc nunquam extra; & istis magis videtur assentiendum. " Itaque duplex erat tum in scholis de Christi corpore ab hæreticis conficiendo opinio : sed omnes in eo passim consentiebant, quod nempe Ordinatio in iis maneret & alia præter Eucharistiam sacramenta ab iis conferri possent.

Præpositivus qui non ita multo post floruit in summa manuscripta apud Morinum *exercit.* 5. *cap.* 1. *num.* 3. postquam eandem quæstionem pro-

proposuit, & varias de ea sententias ac nonnullorum etiam de Ordi-
„ natione ipsa dubia recensuit, " Nobis, inquit, videtur consentienti-
„ bus Augustino, quod hæreticus omnia sacramenta & habet & confi-
„ cit, dummodo in forma faciat Ecclesiæ : ...... quod dicitur ex
„ auctoritate VII. synodi, ubi Tharasius Patriarcha dixit, quod in
„ sede Constantinopolitana fuerint Episcopi quinque, omnes hære-
„ tici unus post alium. Ordinati tamen ab eis, in Ordinibus suis
„ recepti sunt.

Robertus de Flammesbur *ibidem num.* 7. " Utrum, inquit, episcopus
„ hæreticus Ordines conferat, quæstio maxima est, de qua diversæ sunt
„ opiniones. Dicunt aliqui: si acceperit ultimam manuum impositio-
„ nem, id est Ordinem episcopalem, ... in Ecclesia, id est
„ in unitate Ecclesiæ, Ordinem confert ; si extra, non . . . Er-
„ go dicit quod quilibet Episcopus, sive exterius sive non, sive ca-
„ tholicus sive hæreticus, sive ultimam manus impositionem accepe-
„ rit in Ecclesiam sive extra, Ordinem confert ; similiter & Ordi-
„ natus ab illo, & sic in infinitum : . . . hoc autem, inquit, dico,
„ si forma conferendi sacramenta servetur." Postmodum vero primam
opinionem *pravam* appellat.

S. Thomas *in* 4. *dist.* 25. " Omnis potestas, inquit, quæ da-
„ tur aliqua cum consecratione, nullo casu contingente tolli potest,
„ sicut nec ipsa consecratio annullari . . . . . Unde cum Episcopa-
„ lis potestas cum quadam consecratione detur ; oportet quod per-
„ petuo maneat, quantumcunque aliquis peccet, vel ab Ecclesia præ-
„ cidatur.

Raymundus *summæ lib.* 1. *cap. de hæreticis & ordinatis ab eis*,
proposita super eo nonnullorum opinione, qui arbitrabantur nul-
las esse ejusmodi Ordinationes ab hæreticis factas, " Hæc, inquit,
„ opinio reprobatur . . . . . Dicas ergo cum Laurentio, Vincentio
„ & aliis fere omnibus quod seu quis recipiat ultimam manus im-
„ positionem in Ecclesia sive extra, dum tamen formam Eccle-
„ siæ servet in ordinando, & in forma Ecclesiæ fuerit ordina-
„ tus, semper verum Ordinem confert, sed non Ordinis execu-
„ tionem.

Atque adeo jam tum, hoc est circa annum 1230. quo flore-
bat Raymundus, plerique omnes, paucis admodum demptis in
hanc sententiam ibant theologi : cum vero hoc idem paulo post do-
cuissent Alexander de Ales, S. Thomas, Bonaventura & Scotus, nul-
lum exinde in scholis dissidium fuit, atque in iis hæc doctrina dein-
ceps una regnavit.

OBJE-

OBJECTIONES.

Objicies 1. Canon apostolicus 68. Ordinationes hæreticorum oportere iterari sancit. Ergo.

Distinguo antecedens: hæreticorum formam Ordinationis adulterantium; concedo: servantium; nego. Certe eodem loco habet Baptismum & Ordinationem, ut *supra* notavimus. Quocirca eorum canonum auctor, aut cum Cypriano erravit, sicque adversariis non minus quam nobis repugnat; aut nobis favet.

Objicies 2. Justinus *in responsis ad Orthodoxos*, cum quæsitum ab ipso esset cur Baptisma ab hæreticis collatum, si quidem frustra datur, non iteretur, sed Chrisma tantum reducibus adhibeatur; & cur, si Ordinatio effectu caret, recipiatur: reponit *num.* 14. nihil intactum remanere in iis, qui revertuntur, hæreticis: errorem enim sana doctrina, Baptismum unctione, Ordinationem manus impositione (*χειροτονίᾳ, χειροθεσίᾳ*) emendari.

Respondeo 1. hoc opus non esse Justini.

Respondeo 2. istam manuum impositionem non esse novam Ordinationem. Hoc enim in quæstione proposita tanquam certum & constans statuebatur, quod nempe Ordinatio ab hæreticis data admitteretur, atque adeo esse manuum impositionem qua hæretici reconciliarentur. Et vero Ordinationem *χειροτονίας* voce exprimit, hanc autem vocat *χειροθεσίαν*. Vocum diversitas rerum diversitatem exprimit.

Objicies 3. Synodus quidem Nicæna Novatianos recipi jubet in suis Ordinationibus *can.* 8. sed accepta manuum impositione: sic enim habet: " Placuit ut manuum impositione donati, sic maneant in clero. *ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ.* Porro de nova, quam in Ecclesia accipi oporteret, manuum impositione esse intelligendum, arguunt Latini, Græci, aliique interpretes.

Ac Primo quidem Latini.

1. enim Rufinus *in versione concilii Nicæni*, " Et Catharos, inquit, " qui apud nos Novatiani sunt ..... clericos, in Ordine quidem suo " suscipi debere, sed Ordinatione data.

2. Innocentius 1. *epist.* 22. ad episcopos Macedoniæ referens hunc eundem canonem, " Placuit sanctæ & magnæ synodo, inquit, ut accep" ta manus impositione, sic maneant in clero.

3. Dionysius Exiguus, " Ut impositionem, inquit, manus accipien" tes, sic in clero permaneant.

4. Vetustissima versio apud Justellum *pag.* 284. " Ut per manus im" positionem sacerdotum, maneant in clero.

5. Ferrandus in breviario canonum *ibidem pagin.* 453. *num.* 174. " " Ut venientes, inquit, a Novatianis, . . . per manus impositionem " suscipiantur.

6. Man-

6. Martinus Bracarensis *ibid. pag.* 23. " Placuit sancto concilio, inquit, „ ut ordinentur, & sic maneant in clero.

7. Cresconius *num.* 54. *pag.* 55. *ibid.* " Ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant.

8. Isidorus Mercator, " Ut ordinentur, & sic maneant in clero.

9. Auxilius *lib.* 1. *cap.* 23. " Ut impositionem manus accipientes, sic „ in clero permaneant.

10. Petrus Damiani, *opusc.* 6. *cap.* 22. " Ut .... impositionem solummodo manus accipientes in suis recipiantur Ordinibus.

11. Gratianus 2. *parte decreti*, *causa* 1. *quæst.* 1. *cap.* 8. *Si qui*. " Ut „ ordinentur, & sic maneant in clero.

Secundo Græci:

1. enim Theophilus Alexandrinus, qui eodem sæculo vixit quo habita est synodus Nicæna, super eo canone & Novatianis consultus, sic respondet in additis in Balzamonem *pag.* 1100. & apud Beveregium *tom.* 2. *pag.* 174. " Quoniam, inquit, magna synodus, quæ Nicææ habita „ est a sanctis Patribus, statuit ut ordinentur qui accedunt, ὥςειτε „ ὥςε χειροτονεῖσθαι τὺς προσερχομένυς; velis juxta hanc formam eos „ qui ad Ecclesiam accedunt ordinare, χειροτονεῖν, si quidem vita „ eorum recta est, & nihil eis adversatur.

2. In synodo VII. omnes in eo consensisse videntur. Tharasius enim de hoc canone disputans cum monachis *actione* 1. eum de simplici benedictione, qua redeuntes hæretici exciperentur, intelligendum esse contendit, pugnantibus contra monachis ut de Ordinatione intelligeretur: atque adeo utrique illum de manuum impositione, quæ in Ecclesiæ catholicæ limine suscipienda esset, explicabant.

Tertio alii interpretes: sic v. g. Josephus Ægyptius *in paraphrasi Arabica*, apud Beveregium *tom.* 1. *pag.* 692. " Sin hi, inquit, confessi „ fuerint quodcunque Ecclesia vult,.... tunc qui ex eis presbyter fuit „ aut diaconus, Ordinationem denuo accipiat.

Ac proinde is canon de nova, quæ in ipso aditu ad recuperandos Ordines accipienda esset, manus impositione interpretandus est. Jam vero nova illa manuum impositio ab Ordinatione alia esse non potest.

Distinguo antecedens: ut manuum impositione donati jamdudum in hæresi; concedo: donati in catholicæ Ecclesiæ introitu; subdistinguo: manuum impositione confirmatoria aut reconciliatoria; concedo: consecratoria; nego. Itaque ambiguus est canon: quæ enim in eo memoratur impositio manuum, & de hæresi, & de Ecclesia catholica exponi potest: ac 1. quidem de hæresi, ita ut sensus sit Novatianos qui accepta apud suos manuum impositione, in aliquo gradu Ecclesiastico reperiuntur, sic in eo manere oportere: 2. de ecclesia catholica, ita ut Nicæni Patres significent Novatianos quidem esse ad Clerum admittendos cum redierint, sed ita tamen, ut prius novam manuum impo-

impositionem ad id accipiant. Si autem hoc posteriore modo capiatur is canon, nova inde exurget difficultas, qualis sit illa manuum impositio: an nempe ad Confirmationis sacramentum pertinens, an ad reconciliationem, & restitutionem hæreticorum, an ad iteratam consecrationem.

Hæc certe viros eruditos angunt & scindunt in varias partes.

Itaque de hac canonis sententia quadruplex est theologorum opinio.

Prima est eorum, qui arbitrantur illic agi de manuum impositione, qua illi in Ecclesia catholica de integro ordinarentur: ita Morinus.

Sed eum falli cum e supra dictis satis apertum est, tum ex mox dicendis apertius constabit.

Secunda est aliorum, qui hæc accipi volunt de ea manuum impositione, qua Confirmationis sacramentum Novatiani susciperent, quippe quod in hæresi non suscepissent. Teodoretus *lib. 3. hæret. fabularum* observat hanc fuisse Ecclesiæ consuetudinem, ut reduces Novatianos Confirmationis unguento reciperet.

Verum hæc expositio minus arridet: tum quia Confirmatio apud Græcos tunc temporis non dicebatur manuum impositio, tum quia inauditum est confirmatos sine ulla explicatione dici *χειροθετεμένυς*.

Tertia hanc manuum impositionem interpretatur de ea, qua juxta morem Novatiani ad Ecclesiam revertentes acciperentur, &, si clerici forent, in susceptis Ordinibus confirmarentur. Et quidem huic interpretationi multa suffragantur.

1. enim synodus ipsa Nicæna, cum in epistola ad Alexandrinos de Meletianis loquitur, aliquam fuisse demonstrat manuum impositionem, qua, qui ad Ecclesiam redibant, reconciliabantur, & in Ordinibus jam susceptis confirmabantur, ut jam animadvertimus.

2. Siricius in decretis suis *ex epistola ad Himerium* depromptis, *cap.* 1. hanc manuum impositionem ad laicos ipsos redeuntes extendit, atque adeo eandem esse vult qua laici & clerici reciperentur. Si autem communis utrisque fuit, non alia certe quam reconciliatoria esse potuit: ordinatoria enim laicis non congruit. En verba Siricii, postquam vetuit Arianos rebaptizari: "Quos, inquit, nos cum Novatianis, aliisque hæ„ reticis, sicut est in synodo (Nicæna) constitutum, per invocationem „ solam septiformis spiritus, episcopalis manus impositione Catholico„ rum conventui sociamus, quod etiam totus Oriens Occidensque cu„ stodit.

3. Innocentius I. *supra*. In epistolis enim quas protulit, ut Baptismum ita & Ordinationem iterari prohibet: & tamen Novatianos juxta synodi Nicænæ decreta per manuum impositionem in suis Ordinibus suscipi docet: ac proinde per manuum impositionem reconciliatoriam, non autem ordinatoriam. Hinc in epistola ad Victricium Rothomagensem in codice canonum *num.* 15. edicit. "Ut venientes a Novatianis vel Mon-

„ ten-

„ tensibus per manus tantum impositionem suscipiantur : & statim addit, " Eos tamen qui se rebaptizari permiserint, sub longa pœnitentiæ satisfactione esse admittendos. " Priores ergo suscipiebat, per solam manuum impositionem, quæ erat imago tantum pœnitentiæ, ut ipsemet loquitur *epist. ad Alexandrum Antiochenum*, *num.* 47. posteriores autem diuturna ac severa pœnitentia expiabat.

4. Tharasius in VII. synodo *act.* 1. hanc manuum impositionem interpretatur de simplici ac nuda benedictione, qua hæretici reconciliarentur, & in acceptos Ordines restituerentur.

5. Qui scholia scripsit in canonem octavum Nicænum apud Beveregium *in notis tom.*2. *pag.*229. hanc Tharasii expositionem laudat, & sequitur.

6. Auxilius *lib.*1. *cap.*23. nedum hanc manuum impositionem pro Ordinatione sumat, ex hoc concilii Nicæni canone probat iteratas non fuisse Ordinationes ab hæreticis factas, & episcopos quidem fuisse reconciliatos, nunquam vero rursus ordinatos.

7. Petrus Damiani *opusc.*6. *cap.*22. de hoc Nicænæ synodi placito & Novatianis disserens, eos non fuisse iterum ordinatos contendit, sed per solam manuum impositionem susceptos. Ergo hanc manuum impositionem ab Ordinatione distinguit.

Justellum vide ad hunc canonem *pag.*71.

Quarta interpretatio est illorum qui existimant in hoc canone agi de impositione manuum, quæ in hæresi prius fuisset accepta.

Cui quidem interpretationi favent etiam non pauca.

Ac 1. quidem ipsa canonis Græci verba, quæ innuunt Novatianos ut erant ordinati, sic debuisse deinceps in clero manere. Illa enim vox, *sic*, respectum habere videtur ad gradus prius designatos. Sane si aliud voluissent Patres, sic concipiendus fuisset canon, ὥστε χειροτονεῖσθαι αὐτοὺς καὶ οὕτως μένειν ἐν τῷ κλήρῳ quod qui Græce sciunt satis intelligunt.

2. Antiqua versio concilii VI. Carthaginensis quæ sic habet. " Placuit " .... eos ordinatos sic manere in clero.

3. Ferrandus *in breviario canonum*, hunc etiam sic exprimit *num.* 172. " Ut hi qui nominantur *Cathari*, accedentes ad Ecclesiam, si ordinati „ sunt, sic maneant in clero.

4. Antiqua synopsis canonum apud Justellum *pag.* 678. *numer.* 11. " Hæretici Cathari, inquit, ... accedentes, ... si qui ordinati repe„ riantur, sint in eodem Ordine : καὶ οἱ ἐν κλήρῳ κεχειροτονημένοι, εἶεν ἐν τῷ αὐτῷ τάγματι.

5. Alexius Aristenus in scholiis ad hanc synopsim *ibid.* & apud Beveregium *tom.* 1. *pag.* 70.

6. Zonaras ad canonem octavum Nicænum *ibid. pag.* 69.

7 Balzamon *ibid. pag.* 68.

8. Blastares apud Bevereg. *tom.*2. *pag.*13.

9. Non mediocriter juvant hunc intellectum consequentia : sic enim

statim subdit canon : " Ubicunque enim , inquit , sive in vicis sive
" in civitatibus ipsi soli inventi fuerint ordinati , qui inveniuntur in
" clero , in eodem Ordine permaneant : si autem catholicæ Ecclesiæ
" episcopo aut presbytero existente quidam accedunt , manifestum est,
" quod episcopus Ecclesiæ dignitatem episcopi habeat ; qui autem apud
" eos . . . . nominatur episcopus , habeat honorem presbyteri , nisi
" forte placuerit episcopo honorem nominis illi concedere : si hoc au-
" tem ei minime placuerit , inveniat ei locum chorepiscopi , aut pres-
" byteri , ut in clero omnino esse videatur , ne in civitate duo sint
" episcopi . " 1. enim in hac 2. parte eadem fere verba reperiuntur
quæ in 1. At hic evidenter cadunt in Ordinationem jam acceptam :
" Qui inventi fuerint ordinati , inquit , in eodem Ordine permane-
" ant . " Ergo eadem ratione in 1. parte accipienda sunt . 2. Episcopi catholici arbitrio permittitur ut , si quis episcopus e Novatianorum secta ad se accedat , ei impertiatur aut episcopalis nominis honorem , aut chorepiscopi vel presbyteri locum : ac proinde videtur talis jam extitisse is episcopus Novatianus , ut omnium istorum capax esse posset , atque adeo verus ac germanus episcopus . Et vero quorsum ordinatus fuisset qui reversus foret ab hæresi , si laicus tantum extitisset ? an id honoris ei tribui debuit , cui in gremium Ecclesiæ recipi sat amplum jam erat beneficium ? Sed esto ordinaretur : dicant qua Ordinatione ? An episcopali ? sed itane Ordinatio episcopalis celebraretur , ut solum & inane nominis episcopalis simulacrum daretur ? An presbyterali ? sed si ita est , an nomine & honore episcopi insignitus fuisset , qui presbyter tantum extitisset ? Quis non videt ista , & rationi, & disciplinæ Ecclesiasticæ adversari ? Superest ergo ut hic canon de accepta prius Ordinatione , & manuum impositione in hæresi jam facta explicetur.

Ex his duabus postremis interpretationibus , quæ longe solidioribus , ut patet , quam priores duæ fundamentis innituntur , amplectatur quisque utram volet . Ultima videtur ad canonis sensum , & Patrum Nicænorum mentem propius accedere , altera usu magis firmatur.

Instabis. Hæc manuum impositio de nova Ordinatione intelligenda est : ut enim ex *supra* allatis liquet, non pauci e veteribus de Ordinatione hunc canonem exposuerunt : ergo.

Distinguo minorem: de Ordinatione non sacramentali ; concedo: de Ordinatione sacramentali; nego. Itaque , quod non ita pridem observabamus, *Ordinationis* nomen non semper consecrationem ac sacramentum notat. 1. enim multi sunt antiqui canones & Patres qui de diaconissarum, cantorum & aliorum id genus ministrorum Ordinatione mentionem faciunt, cum hæc Ordinatio sacramentalis esse nequeat . 2. Nicæna synodus ipsa *sanctiorem Ordinationem* vocat eam cæremoniam qua Meletiani in acceptis Ordinibus confirmabantur. 3. Hieronymus in libro

libro *de scriptoribus ecclesiasticis* affirmat Jacobum apostolum Hierosolymæ episcopum post Christi mortem ab Apostolis fuisse ordinatum. 4. Gregorius Turonensis *in lib. de miraculis* pariter asserit Petrum apostolum a cæteris Apostolis episcopum ordinatum, Romæ cathedram locavisse. 5. Gregorius-magnus de quodam presbytero loquens qui jam sacramentali Ordinatione fuerat ordinatus, eum præcipit in prima quæ vacaverit ecclesia ordinari. Atqui hæ Ordinationes non possunt *sacramentales* dici. Ergo *Ordinationis* vocabulum de sacramento non semper intelligitur. Sicubi vero, hic certe intelligi non debet. Adde græce χειροτονίαν esse duntaxat manuum impositionem seu extensionem, quæ duplex est, ut recte notat Tharasius *actione* 1. VII. synodi, prima quidem ad Ordinationem spectans, altera ad benedictionem: hic vero de sola benedictione eam esse interpretandam & docet & probat.

Objicies 4. S. Basilius *in epistola ad Amphi'. can.* 1. hæreticorum ut Baptisma sic & Ordinationem rejicit: eos enim qui extra Ecclesiam positi sunt, in tria genera distribuit: nam inter hæreses & schismata ac parasynagogas distinctionem esse adhibendam docet: & hæreses quidem eorum qui omnino abrupti sunt & ab ipsa fide (in Deum) alieni; cujusmodi sunt Manichæi, Valentiniani, Marcionitæ, Pepuzeni &c. schisma esse illorum qui propter aliquas causas ecclesiasticas & medicabiles quæstiones ab Ecclesia dissident; quales sunt Novatiani, Donatistæ, Encratitæ &c. denique parasynagogas esse illegitimos conventus, qui a rebellibus episcopis aut presbyteris fiunt. Jam vero hac posita distinctione pronunciat hæreticorum Ordinationem & Baptisma non valere, apud schismaticos autem dubia esse hæc sacramenta. Quapropter ab unoquoque sequendam esse Ecclesiæ, in qua versatur, consuetudinem. Tandem in parasynagogis vera esse hæc sacramenta; atque adeo illos, qui inde redeunt, non solum non esse rebaptizandos, sed etiam, si ordinati sunt, gradibus suis esse restituendos. Ergo.

Respondeo quosdam esse theologos, qui Basilium exponere conentur: & reipsa Tharasium olim in VII. synodo quemdam ipsius locum ex epistola ad Nicopolitas petitum explicuisse: sed satius est si confiteamur sanctum hunc doctorem circa istud caput, quod definitum non esse existimabat, dubium & ancipitem hæsisse; neque nobis, neque adversariis favere. Nostri enim adversarii sentiunt validum quidem esse Baptisma ab hæreticis collatum, sed idem de Ordinatione non statuunt: nos utrumque sacramentum apud eos validum esse decernimus: Basilius neutrum; aut saltem eo propendebat. Quocirca seponendus est Basilius. Est tamen ubi nobis astipuletur, nimirum cum agitur de hæreticis, circa quos aliquid jam definitum esse cernebat: ab iis enim datam Ordinationem suscipiebat & credebat ab omnibus esse suscipiendam: quod nuper ostendimus.

Objicies 5. Innocentius I. *epist.* 18. ad Alexandrum præsulem Antiochenum, solum Baptisma in hæreticis, ut validum agnoscit. "Aria-

L. 2. " nos,

„ nos, inquit, cæterasque ejusmodi pestes, quia eorum laicos conver-
„ sos ad Dominum sub imagine pœnitentiæ suscipimus, non videtur
„ clericos eorum cum sacerdotii, aut ministerii cujuspiam suscipere di-
„ gnitate, quoniam quibus solum Baptisma ratum esse permittimus ....
„ nec Spiritum-sanctum eos habere ex illo Baptismate illisque mysteriis
„ arbitramur, quoniam cum a catholica fide eorum auctores descisce-
„ rent, perfectionem spiritus, quam acceperant, amiserunt, nec dare
„ ejus plenitudinem possunt, quæ maxime in Ordinationibus operatur,
„ quam per impietatis suæ perfidiam perdiderunt. Quomodo fieri po-
„ test ut eorum profanos sacerdotes dignos Christi honoribus arbitre-
„ mur, quorum laicos imperfectos, ut dixi, ad sancti-Spiritus perci-
„ piendam gratiam cum pœnitentiæ imagine recipiamus. " Distinguit ergo Innocentius Ordinationem a Baptismate: & hoc quidem ratum habet, non illam. Atqui Baptisma ab hæreticis collatum non poterat esse apud ipsos ratum quoad gratiam, utpote quam non conferret. Ratum ergo esse solummodo poterat quoad characterem.

Distinguo antecedens: solum Baptisma apud hæreticos habebatur ut ratum, quoad honorem & jura; concedo: quoad characterem; nego. Innocentius ergo non loquitur de gratia quam, ut Ordinatione, sic & Baptismo apud hæreticos non conferri noverat: neque etiam disputat de charactere, quem utroque sacramento infigi etiam apud hæreticos non ambigebat; sed de solo honore & juribus utriusque disserit. Unde in decretis Innocentii is capitis hujus titulus est: " Quod Arianorum „ clerici non sint suscipiendi in suis officiis. " Hinc etiam Innocentius illic disertam honorum mentionem facit. Porro in hoc capite discrimen est reipsa Baptismum inter & Ordinationem constituendum. Qui enim baptizatus est in hæresi, simul atque Ecclesiæ reconciliatur, omnibus Baptismatis honoribus, juribus ac commodis gaudet: qui autem in hæresi est ordinatus, is juxta severiorem Ecclesiæ disciplinam, omnibus Ordinum suorum juribus ac honoribus excidit. Hoc sensu solum Baptisma apud hæreticos ratum decernit.

Instabis I. Idem Pontifex *epist.* 21. ad Martianum, jubet eos qui a Bonoso ante damnationem fuerant ordinati, in suis Ordinibus citra Ordinationem iteratam suscipi, in quo tacite opponit istos aliis qui ab eodem Bonoso post damnationem consecrati erant. Ergo posteriores isti non recuperabant honores suos nisi postquam iterum fuerant ordinati: nullum enim alioqui discrimen inter utrosque extitisset.

Distinguo antecedens: priores posterioribus opponit, eo quod hi non deberent, alii autem deberent, in Ordinibus suis suscipi; concedo: eo quod posteriorum Ordinatio iteraretur, non autem aliorum; nego. Omnes ex æquo iteratas Ordinationes damnabat Innocentius, sed cum Ecclesiæ Romanæ lex esset, quod ipsemet animadvertit *epist.* 22. ut venientibus ab hæreticis honor clericatus adimeretur, quomodo sit istud intelligendum, hic aperit: nempe de iis qui in ipsa hæresi ordinati

sunt,

sunt, non de aliis qui ante proscriptam hæresim fuerint inaugurati. Quam exceptionem adhibet *eadem epistola* 22. " Nostræ, inquit, lex est Ecclesiæ „ venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus im„ positionem laicam tantum tribuere communionem; nec ex his aliquem „ in clericatus honorem vel exiguum subrogare." De concedendis ergo sacerdotii honoribus vel negandis, non de iterandis Ordinationibus verba facit.

INSTABIS 2. In hac epistola Innocentius unum imperat, alterum vetat: imperat enim ut qui a Bonoso ante damnationem erant consecrati, in suis gradibus suscipiantur; vetat autem ne iterum idcirco ordinentur. Ergo qui post damnationem erant consecrati, debebant rursus ordinari, ut oppositio inter utrosque valeat.

DISTINGUO consequens: si oppositio sit penes secundum illud epistolæ caput; concedo: si penes primum; nego. Scilicet Innocentius ne verbum quidem facit de iis quos post damnationem ordinaverat Bonosus; sed tamen ex eo quod statuit de illis, quos ante damnationem consecraverat, & ex disciplina Ecclesiæ Romanæ tunc temporis, satis intelligimus, eos qui in hæresi a Bonoso fuerant ordinati, non debuisse suscipi in gradibus suis: & in eo est oppositio: non est vero in alio capite, quod pertinet ad iteratam Ordinationem. Necesse enim non erat ut prohiberet eos iterum ordinari quos prohibebat ad clerum admitti. Iterata enim Ordinatio spectare quidem potest ad eos, qui ad obeunda munia sua recipiuntur, sed spectare non potest ad illos qui ab omni cleri officio arcentur: imo satis aperte significat Innocentius eos non debuisse iterum consecrari, quos ad communionem laicam redigi voluit. Itaque ista de non iteranda Ordinatione summi pontificis prohibitio potest dici fuisse communis, licet diverso modo, tam iis qui ante, quam iis qui post Bonosi damnationem ab ipso consecrati fuerant, nedum in eo discrimen ullum constitui queat.

INSTABIS 3. Idem Pontifex *epist.* 22. *ad episcopos Macedoniæ* asserit hæreticos, dum ad ordinandum manus imponunt suis, non nisi vulnus infigere. Ergo non putabat ab iis conferri characterem.

DISTINGUO antecedens: vulnus quod impediat Ordinis suscepti usum; concedo: quod characterem excludat; nego. Quocirca totus est in hac epistola, quam ut favorabilem nobis attulimus *supra*, totus est, inquam, Innocentius, ut demonstret eos qui in hæresi a Bonoso ordinati fuerant, non debere cum suis Ordinibus suscipi. Id autem multifariam astruit; imprimis autem eo quod ejusmodi Ordinatio vulnus fecerit: ubi autem est vulnus, ibi debet remedium afferri: illud porro remedium est pœnitentia. Jam vero pœnitentia (publica scilicet, qualis ista erat) a sacris Ordinibus arcet juxta Ecclesiæ disciplinam. Ergo non debent illi ad usum Ordinum suorum admitti. En summa argumenti quo episcopos illos aliter agentes urget Innocentius. " Ventum est, inquit, ad „ tertiam quæstionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit dispu„ tationem: cum nos dicamus, ab hæreticis ordinatos, vulneratum per

„ illam manus impositionem habere caput : ubi vulnus infixum est, me-
„ dicina est adhibenda: ...... atque ubi pœnitentiæ remedium necessa-
„ rium est, illic Ordinationis honorem locum habere non posse decer-
„ nimus.

INSTABIS 4. At *ibidem* pronunciat Innocentius eos qui sic ordinati sunt, nihil ab ordinante accepisse. Ergo.

DISTINGUO antecedens: nihil quoad id de quo quæstio erat, id est quoad honorem, jura & usum Ordinum; concedo: quoad characterem; nego. Legendus est is locus. " Sed contra asseritur, inquit, eum qui
„ honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepis-
„ se, quia nihil in dante erat, quod ille posset accipere. Acquiescimus
„ & verum est certe, quia quod non habuit, dare non potuit: dam-
„ nationem utique quam habuit, per pravam manus impositionem de-
„ dit, & qui particeps factus est damnato. quomodo debeat honorem
„ accipere, invenire non possum.

INSTABIS 5. At Innocentium inter & episcopos Macedoniæ de iterata Ordinatione agebatur. Ergo.

NEGO antecedens: non enim quærebatur an qui a Bonoso in hæresi initiati erant sacris Ordinibus, ii deberent iterum consecrari, de quo ne mentio quidem facta est; sed an deberent cum dignitate sua recipi, ut eos receperant episcopi Macedones, quod Innocentius non approbabat.

Atque hunc esse quæstionis statum dilucide patet ex iis quæ hactenus disputavimus: sed manifestius id erit, si ex ipsa epistola quid faciebant Macedones, & quid respondeat Pontifex, repetamus. Sic ergo Macedonum agendi rationem exponit Innocentius. " At vero, in-
„ quit, ... quos non aliter oportet, nisi per pœnitentiam suscipi,
„ apud vos non solum pœnitentiam agunt, verum etiam honore cu-
„ mulantur. " Sic autem reponit ipse: " Quorum, inquit, commis-
„ sum non nisi longa pœnitentia poterit aboleri, nec post pœnitentiam
„ clericos fieri ipsi canones sua auctoritate permittunt. Unde constat
„ qui de catholica ad Bonosum transierunt damnatum, atque se passi
„ sunt vel cupierunt ab eodem ordinari, non oportuisse Ordinationis
„ ecclesiasticæ suscipere dignitatem.

INSTABIS 6. At episcopi illi Macedones ideo dicebant ejusmodi ordinatos posse ad honores admitti, quia, licet peccassent Ordinationem a Bonoso suscipientes, totum illud vitium accedente benedictione purgabatur: " Sed dicitur (a vobis), inquit Innocentius, vera ac justa
„ legitimi sacerdotis benedictio auferre omne vitium, quod a vitioso
„ fuerat injectum. " Atqui hujusce *benedictionis* nomine intelligebatur Ordinatio, qua iterum consecrabantur ad munia sua obeunda. Ergo.

NEGO minorem: benedictionem enim appellat eam, non qua denuo ordinarentur, sed qua reconciliarentur simul & in Ordinibus suis confirmarentur ad Ecclesiæ sinum redeuntes: id enim fieri solitum quadam

dam benedictione cum ex Tharasio tum ex Fulberto & aliis *sup.* declaravimus.

INSTABIS 7. De eodem haud dubie benedictionis genere loquuntur Episcopi Macedones & Innocentius. Atqui Innocentius, cum illico refellit hanc Episcoporum rationem, de Ordinationis benedictione verba facit : sic enim statim subdit : " Ergo si ita est, inquit, applicentur „ ad Ordinationem sacrilegi, adulteri atque omnium criminum rei, „ quia per benedictionem Ordinationis crimina vel vitia putantur auferri : nullus sit pœnitentiæ locus, quia id potest præstare Ordinatio, quod longa satisfactio præstare consuevit. " Ergo.

NEGO majorem. Non enim a simili argumentatur Innocentius, sed a minori ad majus. Nempe præsules illi severam, ut par erat, pœnitentiam non indicebant ejusmodi sacerdotibus, quia videlicet per eam benedictionem qua reconciliabantur, & in Ordinibus acceptis stabiliebantur, omne vitium putabatur auferri, & gratia vitiorum expultrix dari. At si hoc ita est, inquit Innocentius, tollenda erit funditus ex Ecclesia catholica etiam pro aliis pœnitentia : non enim adulteri jam, sacrilegi, & alii ad pœnitentiam erunt adigendi, sed ad Ordinationem potius applicandi, cum eadem sit, ac multo major esse debeat vis ipsius Ordinationis. Ergo de benedictione ad reconciliationem & Ordinum confirmationem pertinente loquebantur Episcopi, quia nimirum agebant de hæreticis jam ordinatis & ad Ecclesiam revertentibus. At de ipsamet Ordinatione loquitur Innocentius, quia agebat de fidelibus in Ecclesia catholica versantibus, nec unquam ordinatis.

INSTABIS 8. At præsules illi idem omnino fecerant & faciendum esse contendebant, quod antea fecerat Anysius Thessalonicensis Episcopus, cujus exemplum afferunt. Atqui Anysius eos qui a Bonoso ordinati fuerant, iterum consecraverat : sic enim sibi objicit Innocentius : " Sed, inquit, Anysii fratris quondam nostri aliorumque consacerdotum (in synodo Capuana) summa deliberatio „ hæc fuit, ut quos Bonosus ordinaverat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre scandalum, ordinati reciperen- „ tur. " Ergo.

NEGO minorem. Nam Anysius non iterum consecraverat, sed citra novam Ordinationem cum acceptis Ordinibus eos susceperat. Et vero Anysius ac synodus Capuana nedum reordinationes peregerint, luculentum contra adversus eas edidere decretum, *supra* prolatum, quod omnes exinde secuti sunt. Quapropter hoc ipsum exemplum in adversarios retorquetur.

INSTABIS 9. At Anysius voluit ut ordinati reciperentur Ergo.

DISTINGUO antecedens : id est ut reciperentur qui jam erant ordinati, & quomodo erant ordinati, seu in Ordine & gradu accepto ; concedo : idest ut denuo ordinati, reciperentur ; nego. Quod enim de

nova Ordinatione suscipienda nihil hic sanciatur, multa sunt quæ persuadeant: 1. quia idem ipse Anysius in eadem synodo iteratas Ordinationes diserte proscripsit: 2. quia illic sequitur verba ac mentem concilii Nicæni de Novatianis: 3. quia non dixit, *reordinati recipiantur*, sed tantum *ordinati*: 4. quia ita loqui debuisset, *ut ordinarentur ac reciperentur*: 5. quia in aliis editionibus, v. g. apud Justellum *pag.* 209. non habetur *ut ordinati reciperentur*; sed contra, *si ordinati; reciperentur*. Quod indicat sermonem esse de suscepta jam dudum Ordinatione.

Instabis 10. At Innocentius ipse in hujusmodi restitutione quandam manuum impositionem intervenisse significat, dum adjungit exemplum Novatianorum, quos per manuum impositionem recipi jubet synodus Nicæna. Ergo.

Distinguo antecedens: manuum impositionem ad benedictionem, reconciliationem & Ordinum confirmationem tribuendam; concedo: ad iterandam Ordinationem; nego. Tharasium vide actione 1. synodi VII. de hoc argumento disserentem. Ibi enim duplicem distinguit manuum impositionem: unam quæ fit ad Ordinationem peragendam; alteram quæ fit solius benedictionis causa. Hanc autem in recipiendis hæreticis solam esse usurpatam docet; non item illam.

Instabis 11. Sed non erat cur ita desudaret Innocentius, si de solo usu Ordinis, non vero de charactere disputabatur: quis enim nescit ab hæreticis dari non posse legitimum Ordinis usum? Ergo de charactere, non de hac legitima potestate, quæstio instituebatur.

Respondeo controversiam nec de charactere nec de usu Ordinis in hæresi accepto extitisse: de iis enim nulla poterat esse difficultas, quandoquidem ab hæreticis characterem infigi, legitimum autem potestatis usum non dari constabat: sed quærebatur an, cum redirent ejusmodi hæretici ad Ecclesiam, iis solita munia, quæ hactenus illegitime usurpaverant, reddi oporteret; an contra illi ad pœnitentiam adigendi forent. Hoc volebat Innocentius; illud Macedoniæ Episcopi.

Objicies 6. Concilium Cæsaraugustanum II. ann. 592. celebratum, *tom.* 5. *Conc. pagin.* 1600. *can.* 1. Arianos quidem recipit in Ordinibus, sed postquam benedictionem denuo acceperint. „ Placuit sanctæ & venerabili synodo, inquit, ut presbyteri qui ex hæresi Ariana ad sanctam catholicam Ecclesiam conversi sunt, qui sanctam & puram fidem, atque castissimam tenuerint vitam, acceptam „ denuo benedictionem presbyteri sancte & pure ministrare debeant: „ cæteri vero qui hanc supra scriptam vitam adimplere vel tenere neglexerint, ab officio depositi, sint in clero: ita & de diaconibus, „ sicut & de presbyteris constitutum est.“ Ejusdem benedictionis memi-

mi-

minit *can.* 3. " Statuit sancta Synodus; inquit, ut Episcopi de Ariana
„ hæresi venientes, si quas Ecclesias sub nomine catholicæ fidei con-
„ secraverint necdum benedictione percepta, a catholico sacerdote con-
„ secrentur denuo. " Atqui hæc benedictio de Ordinatione intelligenda est. Ergo.

Nego minorem : hæc enim benedictio ad confirmationem Ordinum solummodo spectabat. Nempe hic duplex sacerdotum ex Ariana hæresi ad Ecclesiam revertentium ordo statuitur : ac ii quidem qui sancte ac pure vixerint, confirmantur in Ordinibus acceptis; qui autem secus, deponuntur. Ergo utrique pro sacerdotibus habebantur : non enim deponuntur, qui laici sunt duntaxat. Sed cum utrique legitimo potestatis suæ usu carerent, is aliis pro vitæ sanctimonia per benedictionem solitam conceditur, ac aliis negatur.

Objicies 7. Petrus Damiani probat quidem simoniacorum Ordinationes ratas esse oportere, quia ratæ habentur in Ecclesia Ordinationes ab hæreticis factæ ; sed quosdam tamen hæreticos excipit, eos nempe, qui circa Trinitatem errabant : postquam ergo de Novatianis disseruit, qui juxta Nicæni concilii decreta in Ordinibus suis suscipiebantur, "
„ Si ergo, inquit *cap.* 22. & hi, qui jam ab his sunt hæreticis ordi-
„ nati, nequaquam suo sunt honore privandi, ob id scilicet, quia eo-
„ rum consecratores in fide non titubant, quid de simoniacorum Or-
„ dinationibus sentiendum, qui & omnia fere ecclesiasticæ institutionis
„ jura conservant? . . . . . At contra Ariani, qui adversus spiritus-san-
„ cti divinitatem manifesta prorsus impietate confligunt, ad catholi-
„ cam veritatem redeuntes in male accepti Ordinis persistere dignitate
„ non possunt . . . . . Quia igitur virtutem Spiritus-sancti in fide non
„ habent, qua videlicet omnis ecclesiasticæ dignitatis ordo perficitur,
„ apud eos facta Ordinatio canonicis sanctionibus irrita judicatur " . . .
Tum profert auctoritatem Innocentii de Arianis quam modo proposuimus, ac postea sic pergit : " In quibus, inquit, decretalibus verbis
„ manifeste datur intelligi, quia in promotionibus clericorum non im-
„ merito fides ordinantis attenditur, ex qua videlicet pendet ut Ordi-
„ natio ipsa sive rata sive irrita judicetur. Quod enim tenet ordinator
„ in fide, accipit ordinatus in munere. Enim vero si Arianis recta fi-
„ des inesset, etiamsi eos cujuslibet diversæ pravitatis error involve-
„ rit, facta apud eos consecratio non periret. " Ergo Petro Damiani judice, irrita erat Arianorum Ordinatio, irrita, inquam, quoad characterem : nam aliter irrita pronunciatur quam Novatianorum : imo Novatianorum Ordinatio rata esse dicitur ; non item Arianorum. Atqui Ordinatio a Novatianis data, rata duntaxat esse poterat quoad characterem : non enim illi legitimum dare poterant Ordinum usum. Ergo cum Ordinatio Arianorum rata contra non esse decernitur, irrita esse definitur, etiam quoad characterem.

Nego consequentiam: cum enim Petrus Damiani irritam esse Arianorum

norum Ordinationem, ratam contra Novatianorum Ordinationem pronunciat, peculiaris quædam est loquendi ratio, qua post Innocentium utitur, quaque significare voluit Novatianorum Ordinationem restitutionis esse capacem, non item Arianorum. Quod ut clarius percipiatur, recolendum est duo sibi proposuisse Petrum Damiani: ac 1. quidem, eos qui gratis sunt a simoniacis ordinati, in suorum Ordinum usu esse relinquendos; 2. ut ista munia obeant non esse rursus ordinandos. Atque hæc duo totidem constituunt dissertationis ipsius partes, 1. ad caput 30. extenditur: 2. quæ longe brevior est, inde ad opusculi finem: intra fines ergo primæ partis ista continetur de Novatianis, Donatistis & Arianis disputatio; atque adeo ibi ad solum Ordinis usum respiciebat Petrus: & quia is usus Novatianis ac Donatistis conceditur a synodis ac Patribus, hinc conficit longe potiori jure eum esse permittendum illis, qui gratis fuerint a simoniacis consecrati: horum enim ratas, id est usu officii non interdictas Ordinationes esse oportere, si tales sint ipsorum etiam hæreticorum Ordinationes. Sed cum ipsi opponi posset Arianorum exemplum, qui ab Innocentio judicati sunt hoc Ordinum suorum usu spoliandi, & ad communionem laicam relegandi, quando ad Ecclesiam redeunt: respondet aliam fuisse circa istos quam circa cæteros disciplinam. Arianos enim exclusos fuisse ab officiis, quod errarent circa ipsum Trinitatis mysterium, unde omne Ordinationum robur, sive præsens, sive futurum, fluit; cæteros autem in pristinis gradibus esse relictos, quod eadem impietate inquinati non essent. Dicitur ergo a Petro Damiani irrita ea esse Ordinatio, quæ restitutionem excludit, rata contra, quæ usum Ordinum admittere potest. Cum enim rata vel irrita esse statuitur, non spectatur ipse hæreseos status, quasi una sit apud hæreticos & in hæresi rata, altera contra irrita in eodem statu; sed spectatur ipsum reversionis ad Ecclesiam tempus, quo quidem temporis articulo altera ab Ecclesia probatur ac confirmatur, altera improbatur & privatur usu qui priori indulgetur. Et certe hoc unum sonant verba Damiani mox allegata, si paulo diligentius expendantur.

INSTABIS. At *ibidem*, post allata Innocentii verba, ex iis colligit Arianorum quidem ratum esse Baptisma, irritam vero Ordinationem. Ergo.

DISTINGUO: ratum esse quoad usum jura ac privilegia; concedo: penes characterem præcise; nego. Eodem sensu semper loquitur Petrus Damiani, respicit enim ad tempus illud quo ii hæretici redeunt ad Ecclesiam. Tunc autem qui ab Arianis baptizati sunt, simul atque Ecclesiæ reconciliantur, ii omnibus Baptismatis sui bonis ac juribus illico fruuntur; sed ordinati in Ordinum suorum jura ac privilegia non pariter restituuntur: hinc Baptisma ratum haberi dicitur, irrita contra Ordinatio ab Arianis facta.

OBJICIES 8. Urbanus II. *epist.* 17. ad præpositum S. Juventii *tom.* 10. *Conc.*

10. *Conc. pag.* 440. ipsi respondens interroganti " Utrum sit utendum
„ Ordinationibus & reliquis sacramentis a criminosis exhibitis, ut ab
„ adulteris vel sanctimonialium violatoribus: Si schismate, inquit, vel
„ hæresi ab Ecclesia non separantur, eorumdem Ordinationes, & reliqua sacramenta sancta & veneranda non negamus, sequentes B. Augustinum, qui super Joannem de hujusmodi tam copiose quam veraciter disseruit ... &c. Attamen decessores nostri Nicolaus & Gregorius a missis sacerdotum, quos tales revera esse constiterit, fideles abstinere decreverunt, ut & peccandi licentiam cæteris auferrent, & hujusmodi ad digna pœnitentiæ lamenta revocarent .....
„ Porro ad hæc quæ tibi.... objiciuntur, id est, si corpus & sanguis
„ Christi .... proprias ..... virtutis dignitates ..... habent; cur spernuntur, sicubi ab indigno præsumuntur? ad hæc, inquam, ita respondemus: Proprias quidem habent virtutis dignitates, ut præfatus Augustinus ait super Joannem contra Donatistas, sed agentibus vel suscipientibus eadem sacramenta, contra præfatorum pontificum instituta, nisi forte sola morte interveniente, utpote ne sine baptismate vel communione quilibet humanis rebus excedat; eis, inquam, in tantum obsunt, ut veri idololatræ sint, cum talibus & Ordinationum & sacramentorum confectio, & aliter quam permissum est scienter susceptio, vehementer a sanctis canonibus prohibeatur ....
„ Hæc de malis catholicis qui intra Ecclesiam sunt. Cæterum schismaticorum & hæreticorum sacramenta, quoniam extra Ecclesiam sunt, juxta sanctorum Patrum traditiones, scilicet Pelagii, Gregorii, Cypriani, Augustini, Hieronymi, formam quidem sacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, nisi cum ipsi vel eorum sacramentis initiati, per manus impositionem ad catholicam redierint unitatem. Sciendum vero est quod canones Apostolorum, quorum auctoritate Orientalis & ex parte Romana utitur Ecclesia, & insignis martyr Cyprianus, & octoginta episcopi cum eodem, Baptismum hæreticorum *lavacrum Diaboli* appellant: Stephanus vero & Cornelius martyres & pontifices Romani, & venerabilis Augustinus *in libro de Baptismate* eundem Cyprianum & præfatos episcopos hanc ob causam vehementer redarguunt, affirmantes Baptismum sive ab hæretico, sive schismatico, ecclesiastico more celebratum, ratum esse: & merito, quia alia in Baptismo, & alia in reliquis sacramentis consideratio est; quippe cum & ordine prior & necessarior sit: subito enim morituro prius Baptismate quam Dominici corporis communione vel aliis sacramentis consulitur. Et dum forte Catholicus non invenitur, satius est ab hæretico Baptismi sacramentum sumere, quam in æternum perire. Et hanc sententiam præscriptorum pontificum Cornelii, Stephani & Augustini secuti sunt Innocentius, Siricius, Leo, Anastasius & magnus Gregorius, & omnis Ecclesia catholica. " Ex quibus sic arguunt: Eorum duntaxat

sacra-

ſacramenta ſancta & veneranda ſunt juxta Urbanum, qui intra Eccleſiam verſantur. Ergo qui extra Eccleſiam ſunt, non conficiunt ſacramenta: illa enim ubicunque recipiantur, ibi ſancta & veneranda ſunt.

DISTINGUO antecedens: ſancta & veneranda ſunt, id eſt, uſurpanda; concedo: ſancta in ſe & veneranda; nego. Id manifeſtum eſt ex ſummi Pontificis ſcopo: ſancit enim cuique licere ad improborum ſacramenta accedere, eaque ab ipſis ſuſcipere, quandiu in Eccleſia poſiti ſunt; hoc autem non licere, ſi qui ab Eccleſia præciſi ſint. Quod etiam ſtatuit S.Thomas *3.par. qu.6. ar.6. ad 2. & qu. 67. art. 1.* Eo ſenſu Urbanus illorum ſacramenta *ſancta* appellat ac *veneranda*, non item iſtorum.

INSTABIS 1. Sacramenta ab hæreticis confecta formam duntaxat ſacramentorum habere dicuntur. Ergo ſpecie tenus tantum ſunt ſacramenta.

DISTINGUO antecedens: & per illam formam Urbanus intelligit ipſam ſacramentorum ſubſtantiam; concedo: & intelligit ſolummodo ſpeciem externam; nego. Nimirum eodem hic ſenſu Urbanus loquitur quo multo ante locutus fuerat S. Leo *in decretis cap.* 48. ubi " Hi, „ inquit, qui Baptiſmum ab hæreticis acceperunt . . . . . ſola ſancti- „ Spiritus invocatione per impoſitionem manuum confirmandi ſunt, „ quia formam tantum Baptiſmi ſine ſanctificationis virtute ſumpſe- „ runt: & hanc regulam, ut ſcitis, ſervandam in omnibus eccleſiis „ prædicamus, ut lavacrum ſemel initum, nulla iteratione violetur." Hic, ut perſpicuum eſt, S. Leo exiſtimat ejuſmodi Baptiſmum validum eſſe, quem tamen affirmat ſacramenti tantum formam habere: imo ſummus ille pontifex ideo decernit iterandum non eſſe hoc Baptiſma, quia formam Baptiſmi habet, ac proinde *formæ* vocabulo ſubſtantiam ipſam ſacramenti intelligit. Et vero formam ſacramentorum ambo illi Romani præſules eorum virtuti & effectibus opponunt, non autem charactéri. Denique Urbanus hic ſequi ſe Sancti Auguſtini, Sancti Hieronymi, Sancti Gregorii decreta profitetur. At illi dubio procul hæreticorum ut Baptiſma, ſic & Ordinationem admittebant. Ergo.

INSTABIS 2. Auguſtini quidem ſententiam probat Urbanus, ſed quoad Baptiſmum duntaxat, quia nempe aliis ſacramentis prior eſt & magis neceſſarius. Ergo.

DISTINGUO antecedens: quoad Baptiſmum duntaxat ab hæreticis cum fructu ſuſcipiendum; concedo: quoad Baptiſmum ſimpliciter; nego. Quærebatur nempe an liceret aliquando ſacramenta ab hæreticis ſuſcipere, & an cum fructu ſuſcipiantur. Id nunquam fieri licere contendebat Cyprianus; quia nempe nec characterem unquam inſculpunt, nec gratiam unquam largiri poſſunt, quam non habent. Contra Auguſtinus Baptiſmi characterem ab hæreticis inſigi in Baptiſmate

ſicut

ſicut & in aliis ejuſdem generis ſacramentis pronunciat : imo in caſu neceſſitatis gratiam Baptiſmi ab ipſis dari , ut cum parvuli aut adulti in mortis articulo ab ipſis baptizantur. Ergo Auguſtinus Cypriano adverſatur, & quoad characterem, & quoad gratiam : de gratia autem ſola Urbanus loquitur, quia de fructu ſacramentorum quæſtio erat. Et revera ſolus ex omnibus ſacramentis Baptiſmus cum fructu ab hæreticis ſuſcipi poteſt, nempe cum urget neceſſitas.

INSTABIS 3. Urbanus ait ſolum Baptiſma eſſe ratum apud hæreticos. Ergo.

DISTINGUO antecedens: ratum, id eſt fructuoſum, ſalutiferum, & uſurpandum; concedo: id eſt verum ac ſolidum; nego. Varia eſt vocis illius *ratum* ſignificatio, quod jam notavimus.

INSTABIS 4. Summus ille pontifex Cypriani opinionem videtur amplecti quoad alia ſacramenta. Atqui Cyprianus ea eſſe apud hæreticos plane nulla arbitrabatur.

DISTINGUO : Cypriani opinionem ex parte, in eo nimirum quod pertinet ad fructum extra caſum neceſſitatis, in quo conſentientes omnes habuit ; concedo, omni ex parte, hoc eſt, etiam in eo quod pertinet ad characterem, aut in caſu neceſſitatis ad fructum; nego.

OBJICIES ultimo. Græci recentiores hæreticorum Ordinationes pro nullis habent, eaſque iterandas eſſe definiunt.

Primo enim Anonymus quidam Conſtantinopoleos patriarcha reſpondens Martyrio Antiocheno præſuli *lib.*4. *juris Orientalis*, *pag.* 290. imperat, ut qui ab hæreticis ſunt conſecrati, cum ad Eccleſiam redeunt, " Tanquam egregii laici ad eum gradum ordinentur in quo prius apud „ ſuos erant.

Secundo Balzamon, idem jubet *ibid. lib.* 5. *pag.* 379. interrogatus „ An ſacerdos vel diaconus hæreticus dignus habitus divino, & ſancto „ Baptiſmate, vel per ſanctum chriſma ſanctificatus, poſſit ſacra fa„ cere cum priore Ordinatione ſua ; an vero ſi ſacra miniſtrare velit, „ iterabitur ejus Ordinatio : " ſic reſpondet : " Qui, inquit, cum „ eſſet profanus ſacerdos, orthodoxam fidem amplexus eſt, ſi ad ſe„ veritatem canonicæ diſciplinæ ex actu ipſius vita innocens apparuerit, „ ita ut dignus cenſeatur non modo ſacerdotalis dignitatis, ſed etiam „ epiſcopalis, priore ſacerdotio pro ſacrilegio habito, & pro non facto, „ omnino per conſuetos gradus ad doctoriam (ideſt epiſcopalem) ſubli„ mitatem aſcendet.

Tertio cum multæ ſint in Eccleſia Græca admittendorum hæreticorum formulæ, nulla tamen eſt, quæ eos cum Ordinibus admittendos eſſe ſanciat. De quo conſule Morinum *exercit.* 5. *cap.* 11. *num.* 4. *&* 5.

Quarto denique Græci eo uſque progreſſi ſunt ut & Latinos rurſus ordinarent, teſte Cabaſila *lib.* 5. *juris Orientalis*. " Hic conſuetudo „ eſt,

„ est, inquit, ut in extraneam regionem azimitæ sacerdotes a no-
„ stratibus episcopis ordinentur.

Respondeo 1. recentiorum Græcorum non magnam esse auctoritatem, ex quo schismate ab Ecclesia catholica divulsi sunt.

Respondeo 2. si de Ordinatione ita senserunt, ut objicitur, eos hoc in capite non a nobis tantum diffidere, sed etiam a majoribus suis defecisse.

Respondeo 3. ipsos revera ab antiqua majorum disciplina in admittendis hæreticis descivisse. Primis enim temporibus duo duntaxat hæreticorum ordines constituebantur: ac 1. quidem eorum qui per Baptismatis iterationem; alter autem eorum, qui per solam unctionem admittebantur, ut constat ex Concilio Constantinopolitano I. *can.* 7. Tertius exinde accessit, eorum videlicet qui per solam fidei catholicæ professionem recipiebantur: quod ex S. Gregorio *lib.9. epist.* 61. synodo Trullana *canon.* 95. Joanne Moscho, Theodoro Studita, Timotheo presbytero, Aristæno, antiquis Euchologiis, aliisque veteribus Ecclesiæ Græcæ monimentis ostendit Morinus *lib.9. de pœnitentia, cap. 9. & 13. & de sacris Ordinationibus par. 3. exercitatione 5. cap. 7. num. 4. & cap. 11. num. 4. & 5.* Eorum porro duntaxat Ordinationes iterabantur, quorum rejiciebatur Baptismus, si tamen illi ad Ordinum suorum usum admitterentur: cæterorum non ita. Nunc hæreticos recipiendos, in duas tantum classes tribuunt, quorum alios iterum baptizant, alios ungunt; quos autem ungunt, eos nunc vulgo iterum esse consecrandos decernunt, antequam suis officiis reddantur. Itaque illi a majorum suorum usu ac disciplina longe deflexerunt: quo uno jam nullam apud nos fidem merentur.

Respondeo 4. Anonymum illum, qui opponitur nobis, incertæ esse ætatis, & explicari posse de Ordinatione non sacramentali.

Respondeo 5. Balzamonem, utpote schismaticum, levis esse ponderis, & eadem forte ratione exponi posse.

Respondeo 6. formulas Græcorum loqui duntaxat de reconciliatione, quatenus communis erat omnibus qui ad Ecclesiam redirent, atque adeo mirum non esse quod de restitutione clericorum in his mentio non fiat, cum ne clericos quidem commemorent.

Respondeo 7. Cabasilam quidem testari a nonnullis iteratas esse Ordinationes Latinorum; verum id nec ab ipso probari, nec a Joanne Citri quem super eo consulebat: de quo Morinus *par. 1. cap. 2. num.* 4.

Atque hæc de gravi illa controversia dicta sufficiant, quæ etsi nondum ullo Ecclesiæ decreto fixa sunt, ita tamen firma, & inconcussa haberi debent, propter Traditionis auctoritatem, & omnium jam theologorum consensionem, ut qui eis refragaretur, erroris nota, judice Hallerio, affici posset.

QUE-

QUÆSTIO QUINTA.

De Ministro sacramenti Ordinis.

TRia sunt quæ de Ordinis Ministro disputantur : Primum, quis sit hujusce sacramenti minister ordinarius : Secundum, quis extraordinarius : Tertium, quis legitimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De ordinario hujus sacramenti Ministro.

ASSERTIO.

SOlus episcopus est minister ordinarius hujus Sacramenti.

PROBATIONES.

Ex Scripturis.

PROBATUR 1. ex Scripturis quæ nullum alium assignant : sic enim Apostoli *Act.* 6. 7. Diaconos ordinarunt : sic *Act.* 14. 22. per singulas ecclesias presbyteros ipsi constituerunt : sic Paulus Timotheo episcopo manus imposuisse dicitur 1. *Timoth. cap.* 4. *v.* 14. & 2. *Timoth. cap.* 1. *vers.* 6. Quod autem Apostoli soli fecerant, id solis deinceps episcopis commendarunt, ut Paulus eidem Timotheo *cap.* 5. *v.* 22. & Tito *cap.* 1. *v.* 5.

Ex Traditione.

PROBATUR 2. Traditionis auctoritate, quæ id luculenter astruit.

Primo enim Auctor Constitutionum apostolicarum *lib.* 3. *cap.* 11. " Potestatem non damus, inquit, nomine Apostolorum, presbyteris ordinandi diaconos . . . . . vel lectores vel ministros ; . . . . sed solis Episcopis.

Secundo Canon apostolicus I. " Episcopus, inquit, a duobus aut tribus episcopis ordinetur : Presbyter ab uno episcopo : item diaconus, & reliqui clerici.

Tertio Concilium Alexandrinum ex Ægypto, Lybia, Thebaide & Pentapoli coactum, cum purgare vellet Athanasium qui in crimen adduce-

ducebatur, quasi Macarius ab illo missus Ischyram quemdam presbyterum sacra facientem male multasset, & sacrum fregisset calicem; 1. id factum esse negat, dein Ischyram istum nunquam presbyterum fuisse sic ostendit: " Hic est ille, inquit synodus in epistola ad omnes epi-
" scopos *tom.* 2. *Conc. pag.* 547. E, & apud Athanasium *tom.* 1. *pag.*
" 570. toties rumoribus jactatus Ischyras, qui neque ab Ecclesia or-
" dinatus est presbyter, neque, cum a Meletio constitutos presbyte-
" ros Alexander in Ecclesiam recipiebat, in eorum numero unquam
" habitus fuit. Itane illinc quidem constitutus est? Unde ergo pres-
" byter est Ischyras? aut a quonam ordinatus? Utrum a Collutho?
" hoc enim restat. Atqui Colluthum in presbyteratu mortuum esse,
" & omnem ab illo factam manuum impositionem irritam, omnesque
" quos in schismate ordinaverat ille, ad laicorum gradum redactos,
" & inter laicos in Ecclesia congregari notum est, nec ulli omnino
" dubium. Quinam ergo privatus homo & privatam domunculam in-
" colens mysticum credatur habere poculum? " Ischyram ergo ideo non esse presbyterum demonstrat, quia nempe ab alio presbytero consecratus fuerat, qui ordinandi facultatem non haberet, utpote qui episcopus non esset.

Quarto Clerici Mareotæ de eodem argumento disputantes apud Athanasium *ibidem*, *pagina* 616. aiunt Ischyram, qui se presbyterum, si quidem ordinatus est a Colluto presbytero, qui sibi imaginarium vindicabat episcopatum, & postea in generali synodo ab Ozio, & cæteris cum eo collectis episcopis jussus erat pro presbytero se habere, & ex consequenti omnes qui a Collutho erant ordinati ad eundem locum redacti sunt, in quo antea censebantur: quemadmodum & Ischyras ipse inter laicos relatus est. Ita illi: quibus verbis, ut manifestum est, indicant id quasi certum ac constans apud omnes tum extitisse, presbyterum videlicet, qui episcopus reipsa non foret, ordinandi potestate omnino carere.

Quinto Epiphanius *hæresi* 75. Adversus Aerium pugnans, qui nullum admittebat episcopos inter & presbyteros discrimen, contra ambos illos Ordines multum discrepare asserit. " Hic enim (Episcopo-
" rum,) inquit, vim gignendorum patrum habet: nam patres Ec-
" clesiæ generat; at ille (Presbyterorum) cum patres generare ne-
" queat, per regenerationis lavacrum filios gignit Ecclesiæ, non pa-
" tres aut doctores. Et vero qui tandem Presbyteros constituat qui ad
" ordinandum manuum impositionem non habet? " Quo nihil disertius esse potest.

Sexto Hieronymus *epist.* 85. ad Evagrium, " Quid enim, inquit,
" facit excepta Ordinatione Episcopus, quod Presbyter non faciat? "
Ergo id eximium tribuitur Episcopo, quod in Presbyteros nullatenus competat.

Septimo Sanctus Chrysostomus *homil.* 11. *in Timoth. pag.* 289. de Epi-

Episcopis loquens. " Sola, inquit, manuum impositione Presbyte-
„ ris superiores sunt, & hoc uno ipsis antecellunt. " Sed de hoc etiam alibi.

Octavo Wiclefus cum inter alia dicere ausus esset: " Confirmatio juvenum, clericorum Ordinatio, locorum consecratio reservantur Papæ, & Episcopis propter cupiditatem lucri temporalis: " non solum ut hæreticus audiit, sed etiam a synodo Constantiensi *sess.* 8. idcirco damnatus est.

Nono Eugenius IV. *in decreto pro Armenis*, de Ordinis sacramento scribens, " Ordinarius minister, inquit, hujus sacramenti est epi-
„ scopus.

Decimo Synodus Tridentina *sess.* 23. *cap.* 4. " Sacro-sancta synodus,
„ inquit, declarat .... Episcopos .... sacramentum Confirmatio-
„ nis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque pera-
„ gere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris
„ Ordinis nullam habent. " *Canone* autem 7. " Si quis dixerit Episco-
„ pos, inquit..... non habere potestatem confirmandi & ordinandi,
„ vel eam, quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, ...
„ anathema sit.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Apostolus 1. Tim. 4. 14. sic ait: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii*. Ergo hoc ævo presbyteri manus Episcopis imponebant, eosque ordinabant.

Distinguo antecedens: presbyterii, id est consessus seniorum, qui episcopi erant; concedo: id est simplicium, ut nunc sunt, presbyterorum; nego. *Presbyteri* nomen Episcopis tunc commune erat; imo & ab Apostolis aliquando usurpabatur: *Presbyterii* autem vocabulum Ecclesiæ senatum significabat, qui quidem vel ex Episcopis solis aliquando constabat, ut nonnulli autumant, vel ex Episcopis simul & Presbyteris, ut alii sentiunt. Quidquid vero sit, ex eo nihil colligi potest. Aut enim Presbyteri manus non imponebant, sed Episcopi soli: aut si cum Episcopis imponebant, quod etiamnum in Ecclesia Romana servatur inter ordinandos presbyteros, hæc manuum impositio ad vim ipsam Ordinationis nihil faciebat.

Objicies 2. Concilium Nicænum *in epist. synodica*, apud Theodoretum, *lib.* 1. *cap.* 9. Socratem *lib.* 1. *cap.* 19. & apud Gelasium Cyzicenum postquam iis, qui a Meletio consecrati fuerant, presbyteris facultatem ademit in schismatis pœnam, quemquam in clero deinceps promovendi vel designandi προχειρίζεσθαι " Hi autem, inquit, qui Dei gratia ..... ad nullum schi-
„ sma defecisse comperti sunt, & se intra catholicam Ecclesiam impol-
„ lutos continuerunt, jus habeant & ordinandi προχειρίζεσθαι, & eos

„ qui digni clero fuerint nominandi. “ Ergo presbyteri tunc temporis ordinandi potestate gaudebant.

Respondeo hanc interpretationem non esse accuratam: verbum enim Græcum designationem & promotionem tantum sonat, hinc etiam προχειρίζεσθαι & ὀνόματα ὑποβάλλειν, id est, promovere & nomina eorum suggerere, qui Ordinatione digni judicantur, tanquam synonyma & idem omnino significantia vocabula conjunguntur. In pœnam ergo schismatis, suffragii jure in electionibus privantur Meletiani, & illud idem aliis relinquitur.

Instabis. Hæc ipsa vox paulo ante dicitur de iis, qui ab Alexandro præsule Alexandrino consecrati fuerant: ita & in synodo VII. *can.* 14. & alibi usurpatur. Ergo Ordinationem significat.

Respondeo voce illa promotionem duntaxat indicari: duplici autem ratione aliquis promovetur ad aliquam dignitatem ecclesiasticam: ac 1. quidem per electionem; 2. per consecrationem: 1. fiebat olim a presbyteris & plebe; 2. a solis episcopis. Promovere itaque & presbyteris & episcopis convenit; sed diverso modo. Itaque mirum non est, quod de iis dicatur qui ab Alexandro ordinati fuerant. Licet enim vox ista generatim Ordinationem non significet, potest tamen ad illam, ut sibi subjectam, applicari.

Objicies 3. Synodus Ancyrana *can.* 13. in codice Dionysii Exigui apud Justellum, “ Chorepiscopis, inquit, non licet presbyteros aut dia- „ conos ordinare, sed nec Presbyteris civitatis, sine præcepto episcopi „ vel litteris, in unaquaque parochia. “ Ergo Presbyteris civitatum licebat Presbyteros alios & diaconos cum bona Episcoporum venia ordinare.

Nego consequentiam. Præterquam quod enim hæc versio non satis fida est, mendosus etiam forte est canon, & hoc modo supplendus. “ Sed nec Presbyteris civitatis sine litteris episcopi in unaqua- „ que parochia aliquid agere. “ De quo vide interpretationem quæ extat apud eundem Justellum, *tom.* 1. *pag.* 37. Sed de hoc Canone alibi fusius.

Objicies 4. S. Leo *epist.* 2. ad Rusticum Narbonensem de presbytero vel diacono loquens qui se episcopos esse mentiti erant, & de his quos ipsi clericos ordinarant, “ Nulla, inquit, ratio sinit, ut „ inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi, nec a „ plebibus sunt expetiti, nec a provincialibus episcopis cum Metropo- „ litani judicio consecrati: unde cum sæpe quæstio de male accepto „ honore nascatur, quis ambigat nequaquam istis esse tribuendum, „ quod non docetur fuisse collatum. Si qui autem clerici ab istis pseu- „ doepiscopis in eis ecclesiis ordinati sunt, qui ad proprios episcopos „ pertinebant, & Ordinatio eorum consensu & judicio præsidentium „ facta est, potest rata haberi; ita ut in ipsis ecclesiis perseverent: „ aliter vana habenda est creatio, quæ nec loco fundata est nec au-

„ cto-

„ ctore munita . " Sermonem igitur habet S. Leo de quodam presbyte„ ro, & diacono, qui episcopi non erant, & tamen nonnullos consecraverant . Atqui Ordinatio ejusmodi decernitur a Leone rata haberi posse. Ergo.

Distinguo antecedens: qui episcopi non erant legitimi; concedo: veri ; nego] . Ambo enim illi consecrationem episcopalem susceperant ; sed quia nec a Clericis erant electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio consecrati, ideo juxta Ecclesiæ regulas inter Episcopos non numerabantur . Verum id non impedit quominus characterem Episcopalem vere suscepissent . De quo consule notas, quæ in postrema editione ad hunc locum scriptæ sunt . Ex his enim manifestum est non paucos fuisse tunc Episcopos, qui cum nec rite electi, nec juxta Ecclesiæ normam consecrati fuissent , pro pseudoepiscopis habebantur.

ARTICULUS II.

De extraordinario hujusce sacramenti Ministro.

Quæ hactenus de Episcopis disseruimus , ea' apud omnes Catholicos receptissima sunt & indubitata : sed apud theologos non levis quæstio est , an non præter episcopum alius esse possit extraordinarius hujus sacramenti minister ex summi Pontificis vel Ecclesiæ concessione.

Quo autem excelsiores sunt gradus , eo major est difficultas : quapropter hanc controversiam in plura capita distribuemus.

Ac primo quidem inquiremus quis sit minorum Ordinum minister extraordinarius ; Secundo quis subdiaconatus ; Tertio quis diaconatus ; Quarto denique quis presbyteratus.

SECTIO PRIMA.

De extraordinario Ministro Ordinum minorum.

ASSERTIO.

Simplex Presbyter extra ordinem potest minores Ecclesiæ gradus conferre.

PROBATIONES.

Probatur 1. auctoritate plurium synodorum quæ jus illud omnibus Chorepiscopis tribuerunt, ut infra videbimus. Jam vero non omnes Chorepiscopi, episcopi erant. Ergo.

M 2. Pro-

PROBATUR 2. auctoritate Gelasii papæ, qui id presbyteris concedi posse a summo Pontifice significat. Is enim *epist. 9. cap. 6. tom. 4. Conc. pag.* 1190. de Presbyteris loquens, " Nec sibi meminerint, inquit, ulla ratione concedi sine summo Pontifice subdiaconum aut acolythum jus habere faciendi. " Ergo cum bona summi Pontificis venia id poterant Presbyteri: alias inania forent & omni prorsus sensu vacua Gelasii verba.

PROBATUR 3. decreto synodi VII. quæ anno 787. habita, lectorum creandorum Abbatibus potestatem fecit, modo in presbyteros essent inaugurati. *Canone* enim 14. *tom.* 7. *Conc. pag.* 607. " Lectoris autem, inquit, manus impositionem licentia est unicuique Abbati in proprio monasterio solummodo faciendi, ... dum constet illum esse presbyterum.

PROBATUR 4. verbis ipsis Eugenii Quarti a nobis *supra* prolatis. Eo enim ipso quod pronunciat episcopum esse ministrum ordinarium, satis innuit aliquem esse posse extraordinarium, saltem pro Minoribus.

PROBATUR 5. sanctione Concilii Tridentini. *Sessione* enim 23. *cap.* 10. " Abbatibus, inquit, ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores Ordines conferre. " Cum enim hæc potestas ad subditos regulares restringatur, consequens est eandem circa istos relinqui.

PROBATUR 6. variis exemplis de quibus *infra* commodior occurret ad differendum locus, nempe ubi de majoribus Ordinibus.

PROBATUR 7. omnium theologorum consensione, si paucos admodum excipias: de quo vide Morinum *exercit.* 4. *cap.* 3. & Vasquesium *in* 3. *part. disput.* 243. *cap.* 3.

QUÆRES an non Diaconus possit etiam Minores conferre.

RESPONDEO 1. Nicænam synodum postulare, ut presbyter sit qui Minores confert.

RESPONDEO 2. multos esse canonum peritos, qui arbitrantur ab unoquoque posse conferri eum Ordinem quem habet. Glossa scilicet *in can.* Manus quoque impositionis, de consecrat. *dist.* 5. " Ex demandatione Papæ, inquit, quilibet conferre potest, quod habet. Unde ordinatus Ordinem quem habes, conferre posset, & confirmatus Confirmationem.

Innocentius IV. *in cap.* Quanto de consuetudine, eandem opinionem sequitur, eamque tribuit Sylvestro :: " Sylvester dixit quod ex delegatione . . . . Papæ . . . . quilibet clericus potest, quidquid habet ipse, conferre: quod vero non habet, minime.

Hugo apud Baconem *in* 4. *sent. dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 4. " Credit posse Papam concedere simplicibus Presbyteris ut conferant omnes Or-

„ Ordines præter episcop lem. Nam Ordinem quem non habet, nul-
„ lus potest conferre .... Similiter credit quod possit Diacono concedere
„ quod conferat diaconatum & minores Ordines.

Summa Astensis *lib.6. tit.3.art.1.* idem habet.

RESPONDEO 3. si minores Ordines, & ex Ecclesiæ institutione proficiscantur, (quod aliquando expendemus) penes ipsam esse ut etiam Diacono Minorum conferendorum provincia demandetur: rationi tamen esse consentaneum, ut non nisi Presbyteris credatur.

SECTIO II.

De extraordinario subdiaconatus Ministro.

ASSERTIO.

POTEST a Presbytero, si Ecclesia velit, subdiaconatus conferri.

PROBATUR 1. iisdem ex parte momentis quæ jam allegata sunt.

1. enim Subdiaconos constituendi facultas Chorepiscopis concessa est.

2. Gelasius Papa subdiaconos perinde ac acolytos nominat, *supra*.

PROBATUR 2. pluribus exemplis:

Primum est abbatum Benedictinorum quibus id a summis Pontificibus indultum fuisse testatur Franciscus Victoria *in summa*, *num.* 235.

Secundum est abbatis Cisterciensis ex peculiari privilegio, cujus meminit Pius V. in ea bulla qua hoc ipsum jus abbati Præmonstratensi denegat.

Tertium est aliorum ex eodem instituto, qui eodem jure gaudent per bullam quam vidisse se testatur Franciscus Victoria, *supra*.

Quartum alterius cujusdam ex eadem familia abbatis in Germania, cui eadem potestas facta est simili diplomate, quod ante concilium Tridentinum confirmatum est, ut asserit Navarrus *Consiliorum lib.* 5. de privilegiis, *consilio* 14.

PROBATUR 3. auctoritate plurium theologorum. Ut enim vetustiores jam sileamus, de quibus *infra*, ita sentiunt e recentioribus Vasques *in 3. parte disput.* 243. *cap.* 4. Gamachæus noster *de sacramento Ordinis*, *cap.* 7. Isambertus item noster *disput.* 6. de Ordine, *cap.* 1. Meratius *disputat.* 8. de Ordine; Hallerius *de sacris electionibus parte* 2. & alii.

PROBATUR 4. ratione. Nihil enim obstat quominus a sacerdote subdiaconatus conferri possit. Quid enim obstaret? an quod sit Sacramentum? Sed primo dubium est an sit reipsa Sacramentum: deinde vero si Sacramentum est, eodem quoque jure minores Ordines totidem erunt

Sacramenta : neque tamen id impedit quominus omnes vulgo theologi existiment minores a Presbytero conferri posse : ergo. An quod acolythatu sit excellentior? Sed si ita est, cum acolythatus ipse sit majoris, quam reliqui tres sibi subjecti, dignitatis, eadem de causa eximendus erit ex eorum numero & Episcopo servandus? An quod sit major Ordo? Atqui in majorum Ordinum classem relatus non est, nisi post X. sæculum : ac proinde antea administrari poterat ab eo qui Episcopus non foret. Si autem ita conferri potuit olim, nihil est cur etiamnum conferri eodem modo non possit. Quid enim? an quod respiciat ad Eucharistiam conficiendam aut distribuendam? Atqui id falsum est. Presbyterorum enim est eam conficere : eorum autem ac Diaconorum duntaxat distribuere populo.

Sunt tamen, ut quod res est fateamur, non pauci nec infimæ notæ theologi, qui aliter arbitrentur; nec sine aliqua specie veri : sed longe probabilior visa est & veterum placitis magis consentanea altera opinio, quam amplectimur.

SECTIO III.

De extraordinario diaconatus Ministro.

ASSERTIO.

NON videtur simplex Presbyter diaconatum posse conferre.

PROBATUR 1. argumentis ex antiquitate ductis. Nempe diaconatus, juxta communem scholarum doctrinam, est Sacramentum. Jam vero Sacramenta a Christo instituta sunt : atque adeo illa non ad infirmæ mentis nostræ arbitrium exigi possunt, quippe quæ ex sola auctoris sui voluntate pendeant. Unde autem, quæ fuerit Christi voluntas, hauriemus? ex antiqua sane Ecclesia & Traditione.

Porro Traditio & vetus Ecclesia satis significant diaconatum a solis Episcopis dari posse.

1. enim Apostoli diaconos primos constituerunt, neque aliis quam Episcopis diaconorum creandorum officium commisisse memorantur.

2. Cum frequentissimi fuerint olim Chorepiscopi & necessitas persæpe urgeret ut ruri certis in ecclesiis Diaconi collocarentur, horum tamen initiandorum potestatem nunquam Chorepiscopis Ecclesia fecit, quamvis alios Ordines inferiores eis permitteret.

3. Gelasius pronunciat quidem aliquos Ordines posse a Presbyteris dari cum Episcoporum licentia ; sed intra subdiaconatum hæret, nec altius assurgit. Quid ita? nisi ut tacite indicet superiores Ordines, ne quidem ex Episcoporum concessione ab iis conferri posse.

4. Nullum est in contrariam partem ad nostræ usque theologiæ incunabula apud veteres exemplum. Quis autem in animum suum inducat

cat

cat id nunquam futurum fuisse, si fieri potuisset? An enim nulla unquam per duodecim sæcula, ut id presbyteris concederetur, aut necessitas aut Ecclesiæ utilitas impulit? An nemini id in mentem venit? Unde tam constans in supprimendo hoc presbyterorum jure omnium Episcoporum consensio? Cur tam altum vel in ipsis presbyteris, qui de sacris Ordinibus scripserunt, hac de re silentium? Et unde recentiores exsculpserunt quod majoribus ignotum fuit?

PROBATUR 2. suffragiis præstantissimorum quorumque theologorum. Scilicet S. Thomas *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 3.* " Ex Papæ commissione aliquis Sacerdos simpliciter potest conferre minores Ordines, & confirmare; .... non autem aliquis non sacerdos. Nec iterum sacerdos majores Ordines qui habent immediatam relationem ad corpus Christi. " Ricardus de Media Villa *ibidem, distinct. 26. artic. 1. quæst. 1.* quærit " Utrum presbyter non episcopus possit ordinare. Respondet autem minores Ordines conferri posse quandoque a non Episcopis: non vero majores. " Et cum sibi opposuisset: " Magis excellit presbyter diaconum quam episcopus episcopum, ac proinde cum episcopus possit alium consecrare, presbyter potest diaconum ordinare: respondet quod " Quamvis presbyter magis excellat diaconum in Ordine, quam Episcopus Episcopum consecrandum: tamen in dignitate est e contrario. " Adde Capreolum *in 4. dist. 7. quæst. 2. art. 3.* Durandum *in 4. dist. 25. quæst. 1. num. 5.* Sylvestrum verbo *Ordo*; Majorem *in 4 distinct. 7. quæst. unica*; Sotum *distinct. 25. qu. 1. art. 1.* Bellarminum *de sacramento Ordinis cap. 11.* Hallerium *de sacris electionibus parte 2. sect. 5. p. 571.*

PROBATUR 3. ratione. Nimirum diaconatus ad hierarchiam pertinet: ejus autem solius esse videtur ad hierarchiam admittere, qui illi præest. Atqui solus episcopus hierarchiæ præest. Ergo.

Hæc tamen non ita inconcussa sunt ut aliter sentire non liceat. Revera enim multi sunt, iique graves Theologi, quibus visum est diaconos a presbyteris ex Ecclesiæ consensione consecrari posse: v. gr. Vasques, Gamachæus, Isambertus, & Meratius *supra*.

NEQUE vero est quod opponas privilegium Abbatibus Cisterciensibus ab Innocentio VIII. concessum anno 1489. v. idus Aprilis, quod memoratur quidem a Majore *in 4. dist. 7. quæst. unica*, & Navarro *Consiliorum lib. 5. num. 13.* legitur autem apud Vasquesium *supra*, & in collectione privilegiorum Ordinis Cisterciensis *num. 118.* & cujus hæc verba sunt: " Ac ne monachi, inquit Innocentius, dicti Ordinis pro suscipiendis subdiaconatus & diaconatus Ordinibus extra claustrum discurrere cogantur, tibi & successoribus tuis, ut quibuscunque dicti Ordinis monachis, aliis vero quatuor Abbatibus præfatis " (Abbatiarum videlicet præpositis quæ vulgo monasterii Cisterciensis quatuor filiæ nominantur) " ac eorum successoribus, ut suorum monasteriorum prædictorum religiosis, quos ad id idoneos repereritis, subdiaconatus

„ & diaconatus Ordines .... rite conferre .... possitis, ... auctoritate „ apostolica, & ex certa scientia, tenore præsentium, de speciali do- „ no gratiæ indulgemus. " Hoc privilegium in bibliotheca Complutensi asservari, ex eaque se illud legisse testatur Vasquez loco mox a nobis laudato. Eo autem privilegio usi esse dicuntur hoc sæculo Abbates Cistercienses cum in Galliis tum Romæ, Episcopis ac summo Pontifice non reclamantibus.

Respondemus enim hancce constitutionem exigui esse roboris, quia non constat 1. an vera sit, 2. an legitima, 3. an eo qui obtenditur sensu explicanda.

1. enim eam ut supposititiam habent Sylvius ubi de hoc argumento, & Hallerius de Ministro Ordinationis *artic. 2. sect. 3.*

Et vero fidem hujus sanctionis plura minuunt: 1. quod nullum ejus authenticum exemplar hactenus prolatum sit: 2. quod, qui eam laudant, secum invicem pugnent: Franciscus enim Victoria se quidem eam vidisse profitetur, sed in ea solum subdiaconatum memorari: Vasquez autem non tantum subdiaconatus, sed etiam diaconatus mentionem in ea fieri asserit. 3. quod Pius V. in ea bulla qua Præmonstratensibus subdiaconatus conferendi facultatem denegat, non ultra eundem subdiaconatum extendat Cisterciensium jura. 4. addunt alii, solœcismos nempe in ea bulla reperiri, quo uno nulla efficitur.

2. Alii, ut Navarrus *Consiliorum lib. 5.* de privilegiis, *Consilio 14.* privilegium illud appellat *exorbitans*, quod contra regulas concessum foret, atque adeo tanquam abusivum, ut loquuntur, haberi oporteret. Itaque Innocentium VIII. id quidem forte concessisse, sed re non ex professo expensa. Cum enim abbates Cistercienses hoc ab apostolica sede postulassent, asserentes id in summi Pontificis arbitrio positum esse, & multos theologos ac canonum peritos ita opinari, Innocentium statim annuisse, secutumque esse hanc partem quæ, ut favorabilior, ita & probabilior ipsi forte videbatur. Dedit autem quod potuit: nec ideo tamen erroris insimulari potest, utpote qui controversiam hanc non definierit. Cæterum illud privilegium, si quondam reipsa fuit, a concilio Tridentino revocatum & abrogatum est.

3. denique Rutilius Benzonius in suo *de anno jubilæo* opere, *lib. 2. cap. 23.* affirmat bullam istam, quæ videtur abbatibus Cisterciensibus concedere ut subdiaconos & diaconos ordinent, non id tamen ipsis largiri, sed tantum ut litteras dimissorias monachis sui dare possint ad quemlibet catholicum antistitem, non habita provinciarum aut diœceseon ratione, hocque fuisse a sacra congregatione concilii Tridentini interprete anno 1592. & a Clemente VIII. declaratum.

Henriquez *in summa*, *in additionibus ad lib. 10. de Ordine*, asserit simile privilegium indultum esse præsulibus Franciscanis in India: sed cum hujus privilegii verba non referantur, a nobis expendi non possunt.

S E-

SECTIO IV.

De extraordinario Ministro presbyteratus.

ASSERTIO.

NON potest presbyter alterum presbyterum ordinare.

PROBATIONES.

PROBATUR 1. iis omnibus fere momentis quæ *sectione* 1. attulimus.

1. enim synodus Alexandrina non tantum probat Ischyram presbyterum non esse, sed nec esse posse, quia nempe a Colluthо presbytero consecratus fuerat. Certe synodus illa tres ordinatorum classes distinguit, 1. eorum qui in Ecclesia catholica initiati erant; 2. eorum qui in schismate a Meletio fuerant consecrati; 3. aliorum quos inaugurare visus fuerat Colluthus presbyter: priores autem presbyteros esse ait, non item postremos. At qui in schismate fuerant ordinati, ii presbyteri erant duntaxat quoad characterem. Ergo postremi ne quidem quoad characterem presbyteri fuisse censendi sunt.

2. Epiphanius hoc quasi proprium ascribit & vindicat Episcopis, quod nempe presbyteros & Ecclesiæ patres ordinare possint.

3. Illi plerique Patres, qui *supra* a nobis indicati sunt & *infra* plenius adducentur, quique sanciunt una ordinandi facultate episcopos presbyteris esse superiores, ad ipsam Christi institutionem jusque divinum videntur respexisse. Si enim spectassent Ecclesiæ consuetudinem, multa alia fuissent inter utrosque assignanda discrimina. Ergo jure divino & ex Christi instituto hæc facultas Episcopis ita propria est ac peculiaris, ut Presbyteris competere non possit.

Et vero notandum est confirmandi jus dici quoque potuisse Episcopis proprium: solis enim episcopis convenit, ut confirment neophytos. Cur ergo sola Ordinatione distingui Episcopos Presbyteris affirmant Patres? cur unam Ordinationem excipiunt, nec adjungunt Confirmationem? Id profecto aliunde non proficiscitur, quam quod Confirmatio non ita propria sit Episcopis quin extra ordinem & ex delegatione possit etiam presbyteris esse communis. Ergo Ordinatio contra debet esse Episcopis ita peculiaris, ut ne extra ordinem quidem & ex Ecclesiæ concessione Presbyteris attribui queat: alias nullum esset Confirmationem inter & Ordinationem in hoc capite discrimen, sed æqua esset utriusque conditio: ac proinde aut nulla aut duplici ex parte secernerentur a presbyteris episcopi. Atqui unam antiqui Ordinatio-

nem

nem excipiunt. Ergo talis esse debet ipsius natura, ut in presbyterum nullatenus cadere possit. Uno verbo cum veteres pronunciant unam esse Ordinationem quæ episcopis propria sit, vel id de ordinario jure intelligunt non autem de extraordinario, vel de utroque: si de ordinario tantum; falluntur illi: falsum enim est solam esse Ordinationem quæ ordinario jure unis Episcopis competat; quandoquidem præter Ordinationem est etiam Confirmatio, quæ eodem jure ordinario solis Episcopis conveniat: si de utroque; ergo nec de extraordinario jure Ordinatio ad Presbyteros potest pertinere.

4. Chorepiscopi, ut *infra* videbimus, aliquando presbyteros & diaconos ordinare tentaverunt. Atqui hujus modi Ordinationes non tantum improbatæ sunt, sed etiam iterari jussæ. Ergo quantalibet potestate polleant presbyteri, nullas Ordinationes peragere possunt: ergo ex Christi instituto; alias enim validæ saltem fuissent penes characterem ejus generis Ordinationes, nec iterari potuissent.

PROBATUR 2. ex eo quod apud Victorem Uticensem *lib.* 2. *de persecutionibus Vandalorum*, & apud Surium *in vita S. Fulgentii* die 1. Januarii, legimus, cum Episcopi catholici in exilium pellerentur, mirum in modum commotos fuisse omnes catholicos fideles, ea maxime de causa, quod nulli jam futuri essent, qui sacris Ordinibus alios initiare possent. Atqui tantopere commoveri non debuerunt, si presbyteri apud se superstites alios creare poterant. Ergo constans erat tum apud cunctos fides, presbyterum non posse nisi ab episcopo consecrari, quantacunque necessitas urgeret.

PROBATUR 3. omnium fere theologorum consensione: ita enim docet S. Thomas *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3. Bonaventura *ibidem art.* 1. *quest.* 1, Richardus *art.* 1. *quest.* 1. Paludanus *art.* 2. Sotus *quæst.* 1. *art.* 1. *concl.* 1. & alii passim. Hæc autem tam consentiens scholarum doctrina magni in ejusmodi rebus ponderis esse debet.

PROBATUR 4. iis quæ ex adversa opinione consequuntur incommodis. 1. est, quod statuendum a nobis presbyteros inter & episcopos discrimen nimium labefactet, & incaute suppeditet arma Calvinianis, qui adversus Episcoporum excellentiam pugnant. Vide Petavium in suis *de ecclesiastica disciplina* dissertationibus, 2. quod catholicæ Ecclesiæ causam debilitet, cum agitur de successione Pastorum: eo enim præsertim illos oppugnamus quod Pastorum seriem ostendere non possint. At facilius sese tuebuntur, si presbyteri alios sibi substituere queant. 3. denique quod episcoporum tollat necessitatem.

PROBATUR 5. multiplici ratione.

Prima est, quod in iis quæ divinæ sunt originis & ex una Dei voluntate suspensa sunt, nulla tutior aut etiam rationi magis consentanea regula sit, quam ut illud omnino necessarium esse existimemus, quod semper & quolibet in casu factum esse comperimus: alioqui nihil jam firmum erit & stabile in religione christiana, nullus erit licentiæ opinandi

nandi aut fingendi modus. Atqui Ordinationes nunquam ab aliis, quam ab episcopis factas esse audivimus. Ergo episcopos ad Ordinationem ita necessarios esse statuamus, ut eam cum presbyteris non communicemus.

Secunda est, quod, si fieri posset, multa sane exempla in eo genere haberemus. Quis enim putet nunquam extitisse ejusmodi occasionem aut necessitatem, cum episcopi olim sæpe laterent in antris, aut quærerentur ad necem, aut undequaque fugarentur? Quis sibi persuadeat divinam providentiam, quæ religioni invigilat, per tot hactenus sæcula ne uno quidem exemplo hoc dogma, si verum esset, fuisse firmaturam? Profecto quidquid de sacramentis nos scire voluit Deus, illud aut Scripturis consignavit, aut Traditionis via ad nos usque transmisit. Atqui quod presbyteri presbyteros creare possint, id nec in Scripturis nec in Traditione expressit. Ergo id a theologis doceri non oportuit.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Concilium Hispalense II. anno *619. cap.* 5. abjiciendos esse e gradibus suis duos clericos pronunciat, presbyterum unum, diaconum alterum, qui episcopo manum imponente & presbytero orationem recitante ordinati fuerant. At qui deponuntur, ii Ordines habuerint necesse est. Ergo non tantum ab episcopis, sed etiam a presbyteris consecrari possunt presbyteri ac diaconi.

Respondeo 1. aliquando deponendos eos dici, licet improprie, qui nullam, etiam penes characterem, Ordinationem susceperint, ut Hallerius ostendit *supra*. 2. Aliud esse abjici, aliud deponi: etiamsi enim concedatur non deponi nisi qui vere ordinati fuerint, certe possunt abjici quicunque etiam citra veram Ordinationem in dignitates Ecclesiæ sese temere intruserint. 3. Id justo plus probare: ex hoc enim consequeretur ab uno ministro unam Ordinationis partem, & alteram ab altero confici posse, quod nemo dixerit: imo inde consequens esset, jussu cujuslibet episcopi presbyteros posse alios presbyteros consecrare, quod nullus pariter admiserit.

Objicies 2. Chorepiscopi quondam presbyteros ordinarunt. Ergo.

Distinguo antecedens: chorepiscopi qui ut episcopi consecrati fuerant; concedo: alii; nego. Sed de his suo loco.

Objicies 3. Presbyteri etiamnum manus imponunt cum episcopis, quando celebratur Ordinatio. Ergo.

Distinguo antecedens: in argumentum consensus & societatis; concedo: ad characterem imprimendum; nego. 1. enim nullam ipsi orationem adhibent, nullaque pronunciant verba, quibus tamen posita est forma & vis positiva Ordinationis. 2. Hinc sequeretur presbyteros esse ministros ordinarios hujus sacramenti; nulla enim apud nos Ordinatio sine tali ritu peragitur.

Objicies 4. Tam possunt ex delegatione presbyteri alios consecrare, quam Confirmationem baptizatis dare. Atqui juxta communem theologorum sententiam presbyteri possunt Confirmationis sacramentum extra ordinem administrare. Ergo.

Nego majorem & paritatem : 1. enim Ordinatio excelsioris est quam Confirmatio dignitatis : atque adeo qui unam dare potest, non continuo conferre potest & alteram. 2. In iis quæ ex voluntate instituentis pendent, Traditione, non comparatione, utendum est : potuit enim unum velle, nolle alterum. Quid autem in eo, de quo agimus, casu contigerit, manifestum videtur : divina enim providentia multa nobis exempla reliquit Confirmationis a presbyteris collatæ, nullum autem Ordinationis. Cur autem potestatem concessisset, quæ otiosa & iners semper futura fuisset? 3. Nedum ex eo quod presbyteri Confirmationem administrare queant, colligi possit eos etiam ordinare posse; contra inde potius sequitur eos ordinare non posse : debet enim esse aliquid eximium &, ut ita loquar, essentiale quo episcopatus presbyteratu superior sit & ab eo distinguatur; sicut est aliquid quo presbyteratus diaconatui antecellit. Atqui est aliquid ejusmodi in presbyteratu, nempe facultas conficiendi corporis Christi, quod nullatenus conficere possunt diaconi. Ergo pariter &c.

Objicies 5. Plerique juris canonici consulti, auctor Glossæ *in caput* Manus quoque, de consecratione, *dist.* 5. & *in caput* Pervenit, *dist.* 95. Innocentius IV. *in caput* Quanto, de consuetudine; Sylvester *ibid.* Angelus de Clavasio *in summa*, verbo *Ordo;* Hugo apud Baconem *in* 4. *dist.* 7. *quæst.* 1. *art.* 4. Hugolinus *ad dist.* 66. *cap.* Porro, apud Joannem de Friburgo summæ Confessorum *lib.* 3. *tit.* 22. *quæst.* 27. Guillelmus, antiquus Raymundi Glossator *ad titulum* de ætate ordinandorum, *lib.* 3. *sect.* 6. verbo *Porro*; Bernardus, vetustissimus decretalium commentator in summa Astensis *lib.* 6. *tit.* 3. *art.* 1. Panormitanus *ad caput*, Quanto, de consuetudine, *num.* 9. & alii tradunt presbyteratus Ordinem a simplici presbytero conferri posse. Ergo.

Distinguo antecedens : plerique juris canonici interpretes in eo non audiendi, illudque ex minime probandis principiis elicientes; concedo : secus; nego. Itaque observandum est, 1. juris canonici interpretes præ theologis, in eo quod ad doctrinam attinet negotio, neutiquam esse audiendos.

2. Etsi plerique ita olim arbitrati fuerint, non tamen omnes in eandem sententiam abiisse, ut ex Covarruvia & Vasquesio constat.

3. Illos, qui ita senserunt, id ex principiis variis minime probandis collegisse.

Primum est, Quod presbyteri & episcopi sint quid unum & idem jure divino : sic Guillelmus Raymundi glossator, Glossa, & Panormitanus.

Secundum, quod quilibet clericus possit eum quem habet Ordinem conferre,

ferre, subdiaconus subdiaconatum, diaconus diaconatum, & presbyter presbyteratum. Ita Glossa, Sylvester, Innocentius IV. Angelus de Clavasio, Hugo, Bernardus.

Tertium, quod hæc facultas dandi quod habeas, extendatur etiam ad laicos ipsamque Confirmationem, ita ut quivis e plebe confirmatus Confirmationem dare possit. Ita Glossa *ad caput* Pervenit.

Quartum, quod presbyteri tantam habeant in Ordines potestatem, ut etiam, si necesse sit, episcopos creare & ordinare possint. Ita Hugolinus, Guillelmus, Panormitanus.

Atqui hæc nemo jam defendit. Ergo nec ullus est, qui horum juris canonici interpretum auctoritate sese tueri debeat.

Objicies 6. Sunt & theologi, qui in eadem opinione versantur, v. g. Guillelmus Altissiodorensis summæ *lib.* 4. *tract.* 8. *quæst.* 1. " Si „ non essent in mundo, inquit, nisi tantum tres simplices sacerdotes, „ oporteret quod aliquis illorum consecraret alium in episcopum, & „ alium in archiepiscopum. " Aureolus *in* 4. *dist.* 24. " Papa, inquit, „ non posset Ordines committere non sacerdoti, ut diacono & laico; „ posset autem committere cuicumque sacerdoti. " Nec eam opinionem improbat Nicolaus de Orbellis *in* 4. *dist.* 7. *quæst.* 1.

Distinguo antecedens: sunt & Theologi pauci, & iisdem fere quibus Canonistæ momentis innixi; concedo: plures numero, & legitimis de causis eo adducti; nego. Certe Aureolus id ex eo colligit, quod " Gradus episcopalis & sacerdotium non sint distinctæ potesta- „ tes " & Nicolaus de Orbellis id probabile existimat, quia " In pri- „ mitiva Ecclesia non erat distinctio sacerdotum & episcoporum.

Instabis cum Aureolo. " Omnis forma ex quo est in actu, po- „ test se communicare in eadem specie. " Ergo.

Distinguo antecedens: omnis forma corporea; esto: spiritualis ac supernaturalis; nego: sic anima rationalis alteram non producit; nec qui confirmatus est, potest alterum confirmare; nec qui gratus est Deo, potest continuo gratiam alteri infundere.

ARTICULUS III.

De legitimo Ordinationis ministro.

Quæres 1. an quilibet episcopus, etiam depositus, schismaticus, aut hæreticus, & præcisus ab Ecclesia, legitimus sit Ordinationis minister.

Respondeo eos qui ab Ecclesia pulsi sunt, valide quidem, sed non licite ordinare, quod ex supradictis constat abunde: idem dicas de depositis.

Quæres 2. an qui ab ejusmodi episcopis essent consecrati, ii ad Ordinum suorum munia admitterentur.

Res-

Respondeo juxta canones ac disciplinam severiorem eos admitti non debuisse, & reipsa tribus prioribus Ecclesiæ sæculis vix ac ne vix quidem esse admissos; sequenti autem ævo propter bonum Ecclesiæ & pacis, benignius multis in locis cum ipsis actum esse, quod ex modo dictis colligitur.

Quæres 3. an quilibet episcopus catholicus possit quem libuerit licite ordinare.

Respondeo neutiquam: a solo enim episcopo proprio licet Ordinationem suscipere: hinc synodus Nicæna *can.* 17. eam Ordinationem irritam esse pronunciat, qua quis sibi non subditum consecrat: " Si quis, inquit, ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare in suam " ecclesiam, cum non habeat consensum episcopi ipsius, a quo recessit " clericus; irrita sit hujusmodi Ordinatio. " Hinc quoque Tridentina *sess.* 23. *cap.* 8. *de reformatione*, " Unusquisque, inquit, a proprio episcopo ordinetur ...... Si secus fiat, ordinans a collatione Ordinum " per annum, & ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Quibus tamen verbis aperte arguit validam esse Ordinationem. Adde synodum Sardicensem *can.* 18. Carthaginensem I. *can.* 5. III. *can.* 21. & 44. Arausicanam I. *can.* 1. &c. apud Hallerium *de sacris election. cap.* 3. *art.* 1. *sect.* 1.

Quæres 4. quis sit proprius episcopus.

Respondeo 1. quondam aliam fuisse laicorum quoad hoc caput, aliam Clericorum conditionem.

Quod enim pertinet ad laicos, poterant illi a quocunque antistite, eo etiam inconsulto in cujus diœcesi nati erant, ordinari: sic Origenes Alexandriæ natus, in Palæstina presbyter factus est; sicut Hieronymus Stridoniensis in Pannonia, a Paulino in presbyterum Antiochiæ inauguratus fuit; sic Paulinus Burdigalensis a Barcinonensi præsule ad eandem dignitatem est evectus; Martinus procul a patria positus, ab Hilario clericus est ordinatus; Augustinus Tagastensis a Valerio Hipponensi episcopo clericus est factus. Et vero canones antiqui cum vetant ne quis sibi non subditum ordinet, de solis clericis loquitur.

Quod autem jam ad clericos spectat, illi ut proprium præsulem deinceps agnoscebant a quo primum fuissent ordinati. Hinc Ecclesia prohibuit tam frequenter ne quis alienum clericum ad se attrahere vel apud se retinere auderet. Synodus Carthaginensis III. *can.* 8. " Ut alienum, inquit, " clericum, nisi concedente ejus episcopo, nemo audeat vel retinere " vel promovere in ecclesia sibi credita. " Adjice Leonem *epist.* 84. alias 12. *cap.* 9. synodum Arausicanam I. quæ sic habet *can.* 8. " Si " quis alibi consistentem clericum ordinandum putaverit, prius definiat " ut cum ipso habitet. Sic quoque non sine consultatione ejus episco" pi, cum quo ante habitavit, eum, qui fortasse sine causa diu ab alio " ordinatus non est, ordinare præsumat.

Ita-

Itaque nullus tum temporis proprius erat laicorum episcopus: clericorum autem is solus proprius episcopus censebatur a quo Ordinem &, ut jam loquimur, beneficium accepisset. Si enim quosdam insolitos & frequentes casus excipias, nullus ordinabatur quin simul cuipiam ecclesiæ ascriberetur.

Respondeo 2. triplicem nunc titulum esse quo aliquis cuipiam episcopo possit subdi, atque adeo ab ipso ordinari: 1. quidem originis, cum aliquis videlicet in alicujus episcopi diœcesi natus aut renatus est: 2. domicilii quod in ejus diœcesi fixerit: 3. beneficii quod in ea obtineat.

Quæres 5. si quis in una diœcesi natus, in altera autem baptizatus sit, a quonam episcopo queat ordinari.

Respondeo hac de re dissentire theologos, & utrumvis adiri posse pro arbitrio: attamen hodiernæ disciplinæ magis esse consentaneum, ut eum adeas in cujus diœcesi natus fueris: de quo lege Bonifacium VIII. *in Sexto*, & acta Cleri Gallicani anni 1657. adjunge Hallerium & alios.

Quæres 6. quid requiratur ad titulum domicilii.

Respondeo 1. requiri ut quis in certa diœcesi fixerit domicilium cum animo ibi perpetuo manendi: 2. a concilio Aquensi anni 1585. decennale tempus figi, ut quis ratione domicilii alicui episcopo subditus dici possit: 3. tamen, si quis apud episcopum ipsum habitet, triennium satis esse.

Quæres 7. an titulus ille sit in Galliis jam in usu.

Respondeo non esse: idque in prædictis comitiis Cleri Gallicani anni 1657. fuisse gravibus de causis sancitum: licere tamen etiamnum apud nos episcopo eum ordinare, qui apud se per triennium commoratus fuerit, juxta quod a synodo Trid. *sess.* 23. *de reform: cap.* 9. præscribitur.

Quæres 8. an valeat hoc tempore beneficii titulus.

Respondeo 1. valere pluribus in ecclesiis in quibus constitutio Bonifacii VIII. nunc viget: suspendi tamen ab executione suorum Ordinum, qui in fraudem & ad declinandum episcopum proprium in aliena diœcesi beneficium aliquod aucupatur.

Respondeo 2. hunc titulum in Galliis mutuo episcoporum consensu jam esse abrogatum, ut ex consuetudine colligitur, & decernitur in supra dictis comitiis anni 1657.

Quæres 9. an qui rescripta a sede apostola obtinuerunt, ut ab alienis episcopis consecrentur, ab iis apud nos ordinentur sine proprii episcopi consensu.

Respondeo non ordinari: qua de re eadem comitia litteras ad summum Pontificem scribendas esse statuunt, & encyclicam insuper epistolam ad omnes Gallicanæ ecclesiæ præsules esse mittendam ut deinceps ab ejusmodi Ordinationibus abstinerent.

Quæ-

QUÆRES 10. an etiamnum Abbates possint minores Ordines conferre.

RESPONDEO posse, juxta Tridentini concilii sanctionem *sess.* 23. *cap.* 10.

QUÆRES 11. an majores Ordines largiri jam queant illi, quibus olim id indultum est.

RESPONDEO juxta Navarri sententiam abrogatum esse hoc, qualecunque olim fuerit, privilegium: 1. quia *sess.* 23. *cap.* 8. jubet synodus Tridentina ut unusquisque a proprio episcopo ordinetur: 2. quia *cap.* 10. ex omnibus Ordinibus, quos impertiri possint abbates, soli minores memorantur. Atque huic parti, utpote tutiori, adhærendum in usu est.

QUERÆS 12. an non liceat aliquando Ordines ab alieno episcopo suscipere.

RESPONDEO posse id fieri, si proprius episcopus per litteras dimissorias consentiat.

QUÆRES 13. quodnam inter litteras quæ olim concedebantur, & eas quæ nunc conceduntur, sit discrimen.

RESPONDEO hoc interesse, quod olim qui ejusmodi litteras clerico dabant, eum veluti manumitterent, & in alterius ecclesiam transcriberent; nunc autem istæ litteræ Ordinationis tantum gratia concedantur, non vero ut aliquam in clericum dimissum jurisdictionem acquirat episcopus eum consecraturus. Hujus autem discriminis origo est quod episcopi quondam Ordines ipsi semper conferrent, & unumquemque statim ab Ordinatione collata cuipiam ecclesiæ affigerent: nunc autem alii sunt mores.

QUÆRES 14. quis ejusmodi litteras dimissorias largiri possit.

RESPONDEO eas tribui posse:

1. Ab episcopo, quod extra dubium est.

2. A vicario generali, modo conceptam hac de re facultatem acceperit ab episcopo, non aliter. De quo vide caput, *Cum nullus*, *de tempore Ordinationum*, *in Sexto*, nisi forte absit episcopus, & a diœcesi sua remotior sit quam ut ei providere queat.

3. Vacante sede a Capitulo, sed post expletum vacationis annum, ut statuitur a synodo Tridentina *sess.* 23. *de reformatione*, *cap.* 10. intra annum tamen a Capitulo dari possunt iis quos *arctatos* vocant, id est, qui titulo beneficii sui intra annum Ordines suscipere tenentur.

QUÆRES 15. utrum litteræ id genus vim habeant etiam post mortem episcopi a quo concessæ sunt.

RESPONDEO vim habere: licet enim mandatum expiret morte mandantis, ut vulgo dicitur, attamen gratia semel concessa tandiu durat, quandiu non est ab eo qui illam concessit aut ejus successore revocata: de quo consule caput, *Si gratiose*, *de rescriptis*, *in Sexto*: " Gra-" tia, inquit Bonifacius, durabit perpetuo, nisi a successore fuerit re-

" vo-

„ vocata. " Certe Clerus Gallicanus in comitiis anni 1657. hortatur episcopos recens promotos ut ejusmodi litteras a decessoribus suis aut Capitulo concessas revocent. Ergo vim habere censebantur, nisi essent revocatæ.

Quæres 16. quid episcopi quoad hoc caput observare debeant.

Respondeo multa esse ab iis observanda: 1. ut quantum fieri potest per semetipsos Ordines conferant, quod monet synodus Tridentina *sess.* 23. *cap.* 3. 2. ut eos quibus litteras largiri coguntur, ipsi probent & examinent, aut probandos & examinandos antea curent; neque id oneris in alienum episcopum rejiciant: 3. ut tempus figant quo litteræ illæ vim habituræ sint, v. gr. sex mensium aut unius anni: quod etiam graviter monet Clerus Gallicanus in comitiis sæpe jam memoratis.

QUÆSTIO SEXTA.

De Subjecto Ordinationis.

Constat apud omnes virum quemlibet per sese sacris Ordinibus esse aptum, & iis initiari posse, nisi quædam ei forsitan ex illis, quæ infra recensebuntur, dispositio defuerit.

Sed dubium est de mulieribus an Ordinationis sint capaces.

ARTICULUS PRIMUS.

Quinam olim mulieres sacris Ordinibus idoneas esse putaverint.

Multi quondam extiterunt hæretici qui feminas sacerdotio insigniverint, iisque sacerdotalia munia demandaverint.

Hinc Tertullianus libro *de præscriptione*, *cap.* 41. de omnibus passim hæreticorum sectis loquens, " Ipsæ, inquit, mulieres hæreticæ quam „ procaces! quæ audeant docere, contendere, exorcismos agere, cura- „ tiones repromittere, forsitan & tingere".

Ac primo quidem Marcus e Gnosticorum grege feminis Eucharistiæ consecrandæ potestatem fecit, teste Irenæo *lib.* 1. *cap.* 9.

Secundo Montanistæ qui & Cataphryges, Pepusiani, Quintiliani, Priscilliani nominati sunt, non tantum diaconissas, sed & sacerdotissas & episcopas creabant, quod videre est apud Ambrosiastrum in illud ad Timotheum 3. *Mulieres similiter pudicas*; Epiphanium *hæresi* 49. & 79. & Augustinum *de hæresibus*, *cap.* 27.

Tertio his etiam primis Ecclesiæ temporibus nonnulli memorantur

Collyridiani dicti, apud quos mulieres quolibet anno ac certa quadam die B. Mariæ virgini sacrificium ac placentas offerre consueverant. Id refert Epiphanius *hæresi 79*.

Quarto Acephali ex Eutychianis oriundi, a Sigeberto *ad annum* 515. & Mariano Scoto *in chronico* incusantur, quod diaconatus Ordinem & officium quibusdam mulierculis concesserint.

ARTICULUS II.

An mulieres sacris Ordinibus reipsa sint idoneæ.

ASSERTIO.

MULIERES non sunt Ordinationis sacræ capaces.

PROBATIONES.

PROBATUR 1. Scripturarum auctoritate.

1. Corint. 14. 34. *Mulieres*, inquit Paulus, *in ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent; turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*, &c.

Ad Ephesios 5. 22. *Mulieres*, inquit, *viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*.

1. Timoth. 2. 11. *Mulier*, inquit, *in silentio discat cum omni subjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio*.

Ista profecto verba satis aperte indicant mulieres sacris Ordinibus aptas non esse, quod & veteres Patres annotarunt, ex hisque collegerunt. 1. enim si Apostolus mulieres in Ecclesia ne quidem loqui velit, quanto magis easdem a sacro ministerio arcere putandus est? 2. Sacri Ordines aliquam in populum auctoritatem habent annexam: Paulus autem jubet mulieres viris subditas esse, neque ipsis permittit dominari in virum. 3. denique, si Ordinum sint capaces feminæ; diaconæ, presbyteræ, episcopæ poterunt esse. Quod si ita est jam omnis ille rerum ordo, quem non solum ex Spiritus-sancti instinctu, sed ex naturæ ipsius ductu constituit Paulus, omnino pervertetur: jam enim mulieres docendi munus gerent; jam caput erit viri mulier; jam in illum dominabitur; denique jam omnia evenient quæ tantopere aversatur Apostolus.

PROBATUR 2. eo qui semper in vera religione obtinuit, usu. Sive enim naturæ legem spectes, sive Mosaicam, sive etiam Evangelicam, nul-

nulla unquam mulier occurret quæ sacerdotio functa fuerit. Hæc autem omnium temporum ab ipsa religionis institutione consensio, veluti tacita quædam naturæ, rationis, ipsiusque Dei vox habenda est.

Et vero, ut observant Patres, si mulieres sacerdotio insigniri possent, eo certe exornata fuisset B. Maria virgo: quæ enim mulier sanctior unquam fuit? quæ dignior? quæ venerabilior? Quod ergo sacerdotium illa non habuerit, id evidenti argumento est nullam aliam ad hanc dignitatem evehi posse. Et sane in historiis sacris legimus mulieres quasdam extitisse quæ non solum imperaverint, sed etiam exercitibus præfuerint; alias, quæ prophetiæ dono fuerint illustres; nullam quæ ad sacerdotium promota sit. Quid ita? nisi quod ostendere voluerit Deus aliorum quidem omnium munium capaces eas esse, neutiquam vero sacræ hujus & augustæ dignitatis.

PROBATUR 3. Ecclesiæ judicio, quæ tanquam hæreticos semper habuit eos qui sacerdotium mulieribus conferebant.

PROBATUR 4. veterum testimoniis.

Auctor apostolicarum Constitutionum *lib. 3. cap. 9.* " An autem, inquit, baptizare ad mulieres pertineat? (ex officio videlicet.) Notum vobis facimus, non mediocri in periculo versari eas, quæ hoc præsumunt .... Periculosa quippe res est, imo vero illicita & impia. Nam si vir est caput mulieris, & iste fuerit electus ad sacerdotium, nefas fuerit consilium creatoris intervertere, & relicto principatu ad extremum corpus venire ..... Quod si in præcedentibus non permisimus feminis docere, quo pacto quispiam præter naturam eis fungi sacerdotio concedet? Nam deabus feminis sacerdotissas creare, gentilis impietatis erratum est, non autem Christi institutum. Quod si oportuisset a mulieribus Baptismum administrari, profecto Deus a matre sua fuisset baptizatus, & non a Joanne, aut quando nos ad baptizandum misit, una quoque misisset & mulieres ad idem ministerium. Jam vero nihil tale usquam injunxit, neque scripto tradidit, quippe qui & naturæ ordinem & rei decentiam probe nosset, ut & naturæ conditor & constitutionis legislator. " Atque adeo juxta hunc antiquissimum scriptorem id non solum divino, sed etiam naturali jure prohibitum est.

Tertullianus *de velandis virginibus, cap. 9.* " Non permittitur, inquit, mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii, sortem sibi vindicare. Quæramus an aliquid horum virgini liceat. Si virgini non licet, sed in omnibus eadem conditione subjicitur, & necessitas humilitatis cum muliere censetur, unde illi unum hoc licebit, quod omni feminæ non licet? quid prærogativæ meretur adversus conditionem suam? " Ergo non disciplinæ tantum ecclesiasticæ institutis, sed ipsa etiam conditione sua ac natura, mulier quævis a sacerdotio arcetur. Adde quæ in hæreticos super ea re disputat *de præscriptione, cap. 4.*

Epiphanius *in hæresi Cataphrygum Amidico-Marianitarum*, & *Collyridianorum*, sacerdotissas eorum ridet & insectatur : tumque variis Scripturæ locis probat id omnino fieri non oportere, nec fas esse.

Ambrosiaster *in* 1. *Timoth.* 3. 11. declamans in hanc ridiculam Cataphrygum consuetudinem, " Sed Cataphrygæ, inquit, erroris occasionem captantes, propter quod post diaconos mulieres alloquitur, etiam ipsas diaconas ordinari debere vana præsumptione defendunt, cum sciant Apostolos septem diaconos elegisse. Nunquid nulla mulier tunc idonea inventa est, cum inter undecim Apostolos sanctas mulieres fuisse legamus? Sed ut hæretici animum suum verbis, non sensu legis astruere videantur, Apostoli verbis contra sensum innituntur Apostoli, ut cum ille mulierem in Ecclesia in silentio esse debere præcipiat, illi e contra etiam auctoritatem in Ecclesia vindicent ministerii.

Augustinus *de hæresibus*, *cap.* 27. id etiam spectat apud hæreticos ut insolens quiddam & contra regulas factum quod Ecclesia refugiat & ferre non possit.

Alios recentiores, ut in re facili ac clara testes non necessarios, omittimus.

OBJECTIONES.

Objicies 1. In veteri Ecclesia frequentes extiterunt diaconissæ, cum apud Græcos tum etiam apud Latinos: eæ porro ordinabantur 1. enim auctor constitutionum apostolicarum *lib.* 8. *cap.* 19. episcopo imperat, ut consecrandæ diaconissæ *imponat manus* : *capite* autem 2. orationem præscribit *in ipsius Ordinatione* fundendam. 2. Tertullianus *lib.* 1. *ad uxorem*, *cap.* 7. " Viduam, inquit, adlegi in Ordinationem, nisi univiram non concedit " (Apostolus:) *lib. de exhortatione castitatis*, Quantæ igitur, inquit, & quæ in ecclesiis? ordinari in Ecclesia solent, quæ Deo nubere maluerunt. " 3. Concilium Chalcedonense *can.* 15. " Diaconissam, inquit, mulierem ante quadragesimum annum non (oportet) ordinari ..... Si vero accepta manuum impositione " &c. 4. Fortunatus *in vita Radegundis*, " Manu superposita, inquit, consecravit diaconam " (Medardus.) 5. Synodus Trullana *can.* 14. " Nec diaconus, inquit, ante viginti quinque annos, nec diaconissa ante quadraginta annos ordinetur. " 6. Concilium Wormaciense *can.* 73. " Diaconissam, inquit, non ordinandam ante annum quadragesimum; si vero suscipiens manus impositionem " &c. Adjunge Euchologia Græca quæ diaconissarum Ordinationis singulos ritus describunt, & eosdem fere qui ad consecrandum diaconum adhibentur. Vide & ordinem Romanum in bibliotheca Patrum, ubi benedictionis istius formula exhibetur. Jam vero hasce diaconissas intra ecclesiasticum ordinem concludit Epiphanius *hæresi* 79. & plures alii Patres. Deinde eas in dignita-

te

te ecclesiastica collocatas esse agnoscit synodus Trullana *can.* 48. Hinc etiam Gregorius Nazianzenus *epist.* 95. de sancta Theosebia, Gregorii Nysseni quondam uxore, tunc autem diaconissa, loquens, illam appellat *vere sanctam & dignam sacerdote conjugem & honore parem ὁμότιμον, magnis mysteriis dignam*. Denique ejusmodi mulierem, si fornicata fuerit, deponendam esse pronunciat Basilius *epist. ad Amphilochium*, *cap.* 44. Ergo vera & legitima Ordinatione initiatæ erant.

Distinguo antecedens; diaconissæ ordinabantur, sumpto latius hoc nomine; concedo: proprie; nego. Itaque non diffitemur plures olim in Orientali præsertim Ecclesia diaconissas extitisse: neque vero negabimus eas impositione manuum aliisque ritibus consecrari solitas, hancque manuum impositionem *Ordinationis* nomine non semel fuisse donatam. Concedemus imo ultro alia, quæ jam memorata sunt, dignitatis insignia: sed inquirendum semper restat, qua mente id fieret ab Ecclesia: an ad Ordinationem proprie dictam eis conferendam, an ad simplex & nudum ministerium: an e laicarum numero sic eximerentur, an in eo nihilominus remanerent: an venirent in partem sacerdotalis muneris, an contra nullo Ordinis ecclesiastici charactere insignitæ censerentur.

Jam vero non fuisse hanc proprie dictam Ordinationem multa arguunt.

Primo enim Auctor constitutionum apostolicarum *lib.* 3. *cap.* 15. eas ad nudum & simplex ministerium eligi consuevisse indicat: "Elige, „ inquit, diaconissam fidelem & sanctam ad mulierum ministeria ..... „ Diaconissa si quidem femina ad multos indigemus usus, ac imprimis „ quidem cum baptizantur mulieres" &c.

Secundo Concilium Nicænum *can.* 19. postquam hæreticos Paulianistas rebaptizandos esse decrevit, & qui apud eos ordinati erant, si sacerdotio digni forent, rursus esse ordinandos; addit eandem agendi rationem erga diaconissas esse servandam. Verum ne quis inde colligeret diaconissas vera, & legitima Ordinatione esse initiatas, subdit eas ita a se excipi, quod nempe in eodem catalogo cum clericis, & eodem numero haberentur; cæterum illas inter laicas omnino reputari, quod ordinatoriam ac proprie dictam manuum impositionem non suscepissent. Hæc sane mens est vexatissimi hujus canonis, quem in hunc modum expressit latinus codex canonum ecclesiasticorum apud Justellum *pag.* 34. "Diaconissarum autem meminimus, inquit, quæ „ in habitu quidem esse censentur: quia vero nullam manus impositionem habent, ut omnino inter laicos deputentur." Alter autem vetus interpres *ibid. pag.* 286. "Meminimus autem de diaconissis, inquit, quod in schismate sint constitutæ: quoniam neque per manus „ impositionem sunt ordinatæ, omnino inter laicas oportet dinumera- „ ri." Monet ergo synodus diaconissas in laicarum ordine esse collocandas, eo quod manuum impositionem non suscepissent; non quod ali-

aliqua manuum impositione non donarentur (contrarium enim ex infinitis Ecclesiæ antiquæ monimentis, & ex iis, quæ mox allegata sunt, Patrum & Synodorum testimoniis constat :) sed quod veram illam ac proprie dictam manuum impositionem non suscepissent qua diaconatus ejusque character confertur, & per quam diaconi a plebe secernuntur.

Tertio Sanctus Epiphanius *hæresi 79.* quæ est Collyridianorum *nu.3.* " Diaconissarum quidem, inquit, ordo est in Ecclesia, sed non ut " sacerdotio fungantur, aut tale quidpiam aggredi permittantur : verum reverentiæ mulieris gratia, aut propter tempus Baptismi, ... " & quando nudatum fuerit corpus mulieris, ut ne a viris sacrum " facientibus aspiciatur, sed a ministrante muliere. " *In compendio* autem totius operis, " Diaconissæ, inquit, constituuntur ad solum mulie" rum ministerium, reverentiæ causa, si necessitas postulaverit, ad Ba" ptismum &c.

Quarto Ambrosiaster *supra* Cataphryges, qui mulieres ad verum diaconatus Ordinem evehere tentabant, erroris & vanæ præsumptionis accusat. Absit enim ut illos eo duntaxat insectetur quod diaconissis uterentur (iis quippe etiam utebatur Ecclesia, aut aliquando usa erat, quod omnes norunt :) sed dubio procul id ipsis vitio vertit, quod eas veræ Ordinationis capaces existimarent. Ergo quolibet tandem ritu illæ consecrarentur, non ideo vere ordinari putabantur.

Quinto hoc ipsum significat insuper synodus Arausicana I. *cap. 26.* ubi, " Diaconissæ, inquit, omnimode non ordinandæ : si quæ jam " sunt, benedictioni, quæ populo impeditur, capita submittant. " Patres quidem optant ac decernunt ut nullæ deinceps in ea provincia diaconissæ ordinentur, sed simul tamen subdunt, eas etiam quæ jam ordinatæ erant, debere benedictioni quæ populo impenditur, una cum ipsis laicis, capita submittere. Ergo verum Ordinem non susceperant: si enim suscepissent, non ita cum populo capita submittere cogerentur, nec haberentur ejusdem cum ipso conditionis. Adde quod teste Augustino ordinatis etiam in hæresi, cum ad Ecclesiam reversi sunt, inter laicos manus non imponerentur.

Objicies 2. Apud veteres sæpe occurrunt presbyteræ & episcopæ. Ergo mulieribus presbyteratus & episcopatus demandabantur.

Nego consequentiam: presbyteræ enim & episcopæ dicebantur presbyterorum & episcoporum ante Ordinationem uxores.

Objicies 3. Mulieres tam sunt Ordinationis quam jurisdictionis ecclesiasticæ capaces. Atqui mulieribus jurisdictio ecclesiastica aliquando concessa est sic Honorius III. *cap. Dilecta*, de majoritate & obedientia, abbatissæ cuidam potestatem esse factam indicat, ut Clericos subjectos ab officio & beneficio suspenderet. Ergo.

Respondeo : esto major : longa enim est Ordinationem inter, & jurif-

jurifdictionem difparitas. Diftinguo minorem: poteftatem effe factam ut fufpenderet improprie; concedo: proprie; nego. Sufpenfio proprie dicta ea eft quæ violata inducit irregularitatem: talis autem non erat lata ab hac abbatiffa fufpenfio: unde Honorius fimul mandat cuidam abbati ut eofdem Clericos compellat cenfuris ecclefiafticis ad obedientiam debitam huic abbatiffæ præftandam.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Difpofitionibus ad facram Ordinationem requifitis.

SACRAMENTUM Ordinis tam excelfæ dignitatis eft, tantique in Ecclefia momenti, ut non nifi maxima cautione collatum olim fuerit aut conferri debeat.

Itaque diligentem ac maturam in eos, qui ad facram Ordinationem accedunt, inquifitionem fieri jubent varia Concilia: Nicænum I. *can.* 9. Carthaginenfe III. *can.* 22. Bracarenfe II. *can.* 13. Wormacienfe *can.* 56. Aquifgranenfe fub Carolomagno *can.* 2. necnon & plurimi Pontifices: Siricius *epiftola* ad omnes Orthodoxos *cap.* 1. Zozimus *epiftola prima*, *cap.* 1. Hormifdas ad Epifcopos Hifpaniæ *cap.* 1. Adrianus I. *epiftolam ad Egilam*. Accedunt Patres, qui ut id ferio fiat graviter monent, imprimis autem Chryfoftomus *lib.* 2. *de facerdotio*, *cap.* 2.

Atque hæc quidem probatio tantæ neceffitatis habita eft, ut qui citra illam temere admiffi fuiffent, e fuis gradibus dejicerentur. Sic enim decernunt fynodus Nicæna *fupra*, Concilium Sueffionenfe II. *fub finem*, nec non & Martinus Bracarenfis, *cap.* 24. Nec ab hac lege minores Ordines, ipfaque adeo tonfura, eximuntur, ut videre eft apud Martinum Bracarenfem *ibidem*, & pluribus in fynodis, Lingonenfi anno 1404. quam refert Bochellus *lib.* 3. *tit.* 2. *cap.* 60. Colonienfi anno 1536. *part.* 1. *cap.* 27. & Tridentina *feff.* 23. *de reform.* *cap.* 5. 7. 11. 12. 13. 14.

Ne quis vero ab hac fanctione fe immunem putet, magiftros ipfos eo decreto complectitur fynodus Colonienfis *ibidem*, *cap.* 15. ut regulares ac monachos, quos etiam diferte appellant Leo in Concilio Lateranenfi conftitutione *Dudum*, & fynodus Tridentina, *cap.* 12.

Quæ cum ita fint, non abs re fuerit paucis, quæ ad facros Ordines fufcipiendos difpofitiones neceffariæ fint, hic defcribere: quæ quidem ex contrariis vitiis ac defectibus fatis intelliguntur.

Ii porro defectus esse possunt 1. natalium, 2. corporis, 3. animi, 4. ætatis, 5. conditionis. 6. doctrinæ, 7. morum, 8. sacramentorum, 9. vocationis.

ARTICULUS PRIMUS.

De vitiis aut defectibus natalium, corporis & animi.

QUÆRES 1. quis sit natalium defectus.

RESPONDEO esse, si quis ex illegitima copula oriundus sit: is enim a sacris Ordinibus arcetur.

Concilium Meldense anno 845. *can.* 64. " Filii, inquit, ex hu-
" jusmodi vituperabili conjunctione ante conjugium etiam minus lau-
" dabili procreati, ad ecclesiasticam dignitatem nullo modo prove-
" hantur, nec de tali conjugio generati Ecclesiasticis Ordinibus appli-
" centur; nisi forte eos vel maxima Ecclesiæ utilitas, aut necessitas
" postulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet.

Eosdem submovet Urbanus II. in concilio Claromontano: quam tamen maculam professione religiosa elui posse definit.

De filiis presbyterorum vide jus canonicum, Antonium Augustinum *in epitome pontificii juris*, & vitam B. Adalberonis Metensis Episcopi *apud Labbæum tom.* 2. *novæ Bibliothecæ*.

QUÆRES 2. an qui corpore vitiati sunt, ii sacris Ordinibus admoveantur.

RESPONDEO diversam fuisse pro temporum varietate disciplinam.

Primis etiam temporibus non tanta habebatur hujusce defectus ratio, modo tamen tale non esset corporis vitium ut functiones Ecclesiasticas impediret. Hinc canones apostolici 76. & 77. " Si quis, inquiunt,
" vel oculo orbatus vel femore oblæsus, episcopatu autem dignus sit,
" fiat: non enim corporis damnum eum polluit, sed animæ inquina-
" tio. Qui vero surdus est & cæcus, ne sit episcopus; non quasi pollutus
" sed ne impediantur ecclesiastica. " Origenes certe cum se ipse exsecuis-
" set, ad sacerdotium nihilominus postea evectus est.

Quarto autem sæculo Concilium Nicænum hac in parte distinctionem adhibuit. *Canone* enim 1. Si quis, inquit, a medicis propter
" languorem desectus est, aut a barbaris excisus, hic in clero per-
" maneat: si quis autem seipsum sanus abscidit, hunc & in Clero
" constitutum abstinere convenit, & deinceps nullum debere talium
" promoveri. " Quo respiciens Innocentius I. *epist.* 4. " Qui partem,
" inquit, cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum
" Canones non admittunt: cui vero casu aliquo contigit, dum aut
" operi rustico operam impendit, aut aliquid faciens, se non sponte
" percussit, hos canones præcipiunt & clericos fieri, & si in Clero

" fue-

„ fuerint reperti, non abjici. " Eandem regulam firmat Concilium Triburiense *can.* 33. Eadem de causa Ammonius monachus vitæ sanctimonia insignis, cum ad episcopatum traheretur, fuga dilapsus dextram sibi aurem amputavit, ut corporis mutilatione Ordinationis honorem declinaret; quod testantur Socrates *histor. lib.* 4. *cap.* 23. Sozomenus *lib.* 6. *cap.* 30. & Palladius i *Lausiaca cap.* 12.

At consecutis ætatibus omnes vulgo corpore vitiati nullo expresso discrimine repulsi sunt. Inde Gelasius *epist.* 9. " Nonnulla, inquit, „ parte corporis imminutos sine ullo respectu ad ecclesiasticum didici- „ mus venire servitium: quod simul antiqua traditio, & apostolicæ „ sedis vetus forma non recipit: quia . . . . . vitiosum nihil prorsus „ Deo offerre legalia præcepta sanxerunt. " Quam formam ascivere postmodum synodus Toletana IV. *can.* 19. Gregorius Magnus *epist.* 25. ad Joannem episcopum *lib.* 2. *Registri*, & Egbertus Eboracensis *in dial. de ecclesiastica institutione*.

Ex his tamen corporis vitiis alia canonibus fixa sunt, alia Episcoporum prudentiæ servantur, ut de notabili deformitate judicium ferat.

QUÆRES 3. an, quod ad animum spectat, qui rationis usum non habet, is Ordinationis capax sit, sive id fiat propter infantiam, sive propter amentiam.

Ut quod ad infantes pertinet prius expediatur:

RESPONDEO 1. illicitam fore ejusmodi Ordinationem.

1. enim id vetant Concilia, Moguntinum anno 813. *cap.* 23. *tom.* 7. *Conc. pag.* 1248. & Tridentinum *sess.* 23. *de reformat.*

2. Ita sentiunt omnes theologi: de quo lege imprimis S. Thomam *in* 4. *dist.* 25. *&* *in supplemento qu.* 39.

3. Hoc ipsum satis arguit Ordinis institutio, ac natura: nulla enim Ordinatio est, quæ certa munia annexa non habeat. Horum autem obeundorum capaces non sunt qui rationis usu nondum fruuntur: hoc itaque sacramento perperam abuteretur qui illud infanti contra ipsius finem conferret.

RESPONDEO 2. validam tamen futuram esse hanc Ordinationem.

1. enim ita passim definiunt omnes Theologi *in* 4. *dist.* 25. S. Thomas, Bonaventura, Paludanus, Sylvester verbo *Ordo*, Henriquez *lib.* 10. *cap.* 14. Scotus & alii, imo & juris canonici interpretes, Archidiaconus, Præpositus, & cæteri.

Durandus quidem aliter sentit: sed quid ille unus adversus omnes?

2. Olim reipsa minores Ordines infantibus plerumque concessi sunt, ut *infra* declarabimus.

3. Innocentius III. cap. *unico*, de clerico per saltum promoto, respondens episcopo Bononiensi, qui ipsum consuluerat super aliquo presbytero, qui cum ante annos discretionis minoribus, & subdiaconatu fuisset insignitus, postea adulta ætate ad sacerdotium, omisso diaconatu,

tu, pervenerat, solum diaconatum supplendum esse decernit : ac proinde cæteros omnes Ordines validos esse agnoscebat.

4. Ordinatio characterem imprimit. Jam vero character rationis usum non postulat. Hinc Baptismus & Confirmatio infantibus conferri queunt. Ergo & Ordinatio ex ea saltem parte: quod enim spectat ad functiones ipsas aut jurisdictionem nulla est difficultas.

Neque vero episcopatum ipsum excipimus. Quamvis enim de eo aliter statuant Thomas, Bonaventura, Sylvester & Henriquez; attamen cum eadem ipsius esse videatur ratio quæ cæterorum, quoad characterem, nihil est cur ab iis hac in parte secernatur: & ita communiter opinantur Theologi.

Equidem nonnulla sunt quæ opponuntur:

Primum est, in eo qui sacramentum suscepit intentionem esse necessariam, si unum excipias Baptisma, cujus discrepans a reliquis conditio est : cum enim ad delendum originis peccatum, quod ex aliena voluntate contractum est, institutus Baptismus fuerit, mirum sane esse non debet quod ei quoque aliena intentio sufficiat. At de aliis non videtur idem judicium ferri posse. Ergo cum infantes hujusce intentionis per se sint incapaces, censeri quoque debent incapaces Ordinationis.

Secundum est quod episcopatus sit aliquod veluti matrimonium quo Ecclesiæ præsul conjungitur. At infans matrimonio haud dubie idoneus non est. Ergo nec episcopatui; adeo ut, quemadmodum conjugium nullum foret, ita & nulla esse debeat Ordinatio.

Sed hæc nullo negotio diluuntur:

Ac 1. quidem : falsum enim omnino est omnia præter Baptismum sacramenta propriam, in eo qui illa suscipit, intentionem exigere, ut valida sint aut effectum suum sortiantur. Quid enim? an non Confirmationis sacramento donabantur olim infantes? an non & Eucharistia? Ergo id dici nequit de omnibus ac præcipue iis quæ characterem insigunt. Sunt quidem nonnulla sacramenta quæ ejusmodi intentionem ac voluntatem necessario postulent, v. g. pœnitentia, & matrimonium. Verum hoc ideo fit quod matrimonium sine consensu, pœnitentia vero sine actibus pœnitentis constare non possit. Ex sacramentis itaque alia proprium suscipientis actum requirunt: alia non item.

Ex quo jam elucet ad 2. caput responsio, nimirum quare matrimonium non nisi ab adulto iniri possit; episcopatus autem conferri possit infanti. Matrimonium enim ex mutuo conjugum consensu coalescit; episcopatus autem in consecratione positus est. Porro consensus elicitur ab eo cujus est: consecratio autem ab alio imprimitur. Episcopatus itaque non ejusdem est naturæ cujus matrimonium, licet episcopus sponsus Ecclesiæ nominetur. Quanquam & dici potest matrimonium tum demum iniri Ecclesiam inter, & Episcopum, cum in ipsam jurisdi-

ctionem accipit : eam autem non accipit nisi adultus , nec accipere potest : quapropter ea ratione inter utrumque matrimonium conveniret.

Quæres 4. an qui sic Ordinis sacramento initiatus foret , is continentiæ lege, postquam adolevisset, teneretur.

Respondeo tenendum non fore: quia nempe continentia non est per sese necessaria appendix Ordinum etiam sacrorum ; sed res est præcepti ecclesiastici aut spontanei voti: neutrius autem capaces sunt infantes, & parvuli.

Quæres 5. an qui infans ita ordinatus esset , is statim post adeptum rationis usum fungi posset officio suo.

Respondeo suspensum fore ad legitimam usque singulis Ordinibus præstitutam , ut patet ex capitibus , *Vel non ut compos* , de temporibus Ordination. & *Ex ratione* , de ætate , & qualitate præficiend.

Atque hæc de infantibus : quæ eodem modo proportione servata de amentibus intelligenda sunt.

ARTICULUS II.

De defectibus ætatis & conditionis.

Quæres 1. an ætas quædam legitima sit ac definita ad Ordines suscipiendos.

Respondeo ita esse. S. enim Leo *epist.* 1. " Quid est , inquit (quod „ prohibet Apostolus) cito manus imponere, nisi ante ætatem maturita- „ tis .... sacerdotalem honorem tribuere non probatis.

Quæres 2. quandonam tonsura suscipi queat.

Respondeo 1. tonsuram olim infantibus etiam recens natis esse datam : quod ex *infra* dicendis apertum erit . Euthymius sane Abbas infans adhuc in Clericum attonsus est ab Otreio Melitinensi Episcopo , ut narratur in ejus vita ; sic & Eugenius I. Papa *Clericus a cunabulis* fuisse dicitur ab eo qui vitam ipsius in pontificali Romano conscripsit.

Respondeo 2. exinde cautum esse ut non ante rationis usum conferatur. Ita pontificale Romanum sub Leone X. editum : " Prima „ tonsura , inquit, ante septimum annum dari non debet . " Synodus „ Narbonensis anno 1551. *can.* 4. " Non sacram , inquit , capillo- „ rum incisionem , quam Clericalem tonsuram dicunt , adipiscantur , „ nisi septimum annum attigerint . " Addit Tridentina *sess.* 23. *de reformatione* , *cap.* 4. " Prima tonsura , inquit , non initientur , qui „ sacramentum Confirmationis non susceperint , & fidei rudimenta „ edocti non fuerint , quique legere & scribere nesciant , & de qui- „ bus probabilis conjectura non sit eos , ... ut fidelem Deo cul- „ tum

„ tum præſtent , hoc vitæ genus elegiſſe . “ Conſonat Mediolanenſis IV. *pag.* 116. Burdigalenſis *de Ordine* , *cap.* 6. majorem adhuc ætatis, & conſilii maturitatem expoſcit . “ Statuimus , inquit , nullum deinceps ad primam tonſuram admitti debere , quin duodecimum ſuæ „ ætatis annum attigerit . “ Synodus denique diœceſana Pariſienſis anni 1697. poſtulat, ut qui ad tonſuram accedit, is prima communione ſacri corporis Chriſti perfunctus ſit, & decimumquartum vitæ annum attigerit. Atque hic eſt Eccleſiæ noſtræ jam uſus.

Quæres 3. quænam ætas ad minores Ordines requiratur.

Respondeo minoribus olim inſigniri ſolitos etiam infantes aut pueros : nunc provectiorem ætatem flagitari ac præſcribi , ut ex iis quæ de tonſura delibavimus ſatis intelligitur , & brevi conſtabit apertius . Concilium certe Narbonenſe *ſupra* jubet duodecimum annum expectari.

Quæres 4. qua ætate majores acciperentur.

Respondeo quondam non ante vigeſimum quintum ætatis annum : nunc alias eſſe leges.

Verum ut de his diſtinctius agamus ſingulosque majores & minores Ordines recenſeamus,

Quæres 5. quandonam poſſit aliquis Oſtiarius fieri.

Respondeo id colligi ex iis , quæ modo de minoribus Ordinibus generatim diſſeruimus , quorum primus , & infimus eſt Oſtiariatus.

Quæres 6. qua ætate lectoratus conferri ſoleret.

Respondeo 1. in tenera admodum ætate conferri olim conſuevisſe . Siricius *epiſt.* 1. *ad Himerium* , “ Quicunque , inquit, ſe Eccleſiæ „ vovit obſequiis a ſua infantia , ante pubertatis annos baptizari , & „ lectorum debet miniſterio ſociari. “ Zozimus *epiſt.* 1. *ad Heſychium Salobitanum*, *cap.* 3. “ Si ab infantia, inquit , eccleſiaſticis miniſteriis nomen „ dederit inter Lectores.

Atque hujus conſuetudinis plura ſunt exempla.

Felix enim Nolanus , teſte Paulino “ Primis lector ſervivit in annis.

Euthymius abbas, ut ejus vita perhibet *Analectorum Græcorum tom.* 1. “ Triennis Eccleſiæ lector factus eſt.

Sic , ut narrat Victor *lib.* 5. *cap.* 9. inter eos qui cum Eugenio epiſcopo in exilium miſſi ſunt clericos , quamplurimi erant lectores infantuli.

Ita quoque Epiphanius, poſtea Ticinenſis epiſcopus , uti refert Ennodius *in ipſius vita* , *apud Bollandum*, *die* 21. *Januarii*, annorum fere octo, lectoris eccleſiaſtici ſuſcepit officium.

Ex quibus manifeſte liquet hunc uſum in utraque Eccleſia tunc obtinuiſſe.

Sed cum id Ordinum ipſorum non ſatis congrueret inſtituto , Juſtinianus

nus imperator *novella* 123. prohibuit ne lectores deinceps ante decimum octavum annum consecrarentur.

RESPONDEO 2. cum annum ipsum non fixerit synodus Tridentina, variam esse hac in parte variis in ecclesiis disciplinam; propriam autem unicuique esse sequendam.

QUÆRES 7. quandonam exorcistatus suscipi possit.

RESPONDEO olim esse susceptum vel ab infantia, ut indicant speciatim canones Hibernici *lib.* 1. *cap.* 9. *Spicilegii tom.* 9. nunc adultæ ætatis tempus exigi, quod ex ætate tonsuræ ac reliquorum qui prævii esse debent Ordinum, & servandorum interstitiorum spatio metiendum est.

QUÆRES 8. quænam ætas ad acolythatum præscripta sit.

RESPONDEO de ipso expositis modo regulis esse judicandum.

QUÆRES 9. quis annus subdiaconatui præstitutus sit.

RESPONDEO 1. priscis Ecclesiæ sæculis illud fuisse episcoporum prudentiæ permissum: exinde vero fixam quidem esse ætatem, sed non una eademque semper aut ubique ratione.

Viginti annos poscunt in Occidente Siricius *epist. ad Himerium cap.*9. & Zozimus *ad Hesychium cap.*3.

Viginti quinque definit Justinianus imperator *novella* 123. sed viginti duntaxat, quæ consecuta est Justinianum, synodus Quini-sexta: *canone* enim 15. " Subdiaconus, inquit, non minor viginti annis ordinetur.

Viginti pariter assignat Toletana II. *can.* 1. ut & Rothomagensis anno 1704. *can.* 5.

Atque hæc ætas diu apud utramque Ecclesiam obtinuit: sed progressu temporis imminuta est:

Namque hoc ipso ævo quo Rothomagense concilium habitum est, Melphense anno 1089. celebratum, quatuordecim duntaxat aut quindecim annos postulat: quod ad Hugonem usque Victorinum perstitisse patet ex ipsius libro 2. *de sacramentis*, *parte* 3. *cap.* 21. sic Ordericus Vitalis *ad historiæ suæ finem* se anno ætatis decimo sexto factum esse subdiaconum refert.

Verum cum interim in majorum Ordinum numerum relatus tum esset subdiaconatus, vetitum exinde est ne ante annum duodevigesimum concederetur. Hinc Clemens V. in concilio Viennensi de ætate & qualitate præficiendorum, *libro* 1. *tit.* 6. capite, *Generalem*, sic habet: " Generalem, inquit, Ecclesiæ observantiam volentes antiquis juribus in " hac parte præferri, decernimus ut ..... possit quis libere in decimo " octavo anno ad subdiaconatus .... Ordinem promoveri. " Idem adhuc sub Leone X. vigebat, ut compertum est ex pontificali Romano tum temporis edito: nec aliam ætatem postulat synodus Narbonensis anno 1551. *cap.* 4.

At Tridentina tandem vigesimum secundum annum (inchoatum videli-

delicet) constituit *sess.* 23. *de reformatione cap.* 12. " Nullus, inquit, in
" posterum ad subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum .....
" ætatis suæ annum promoveatur.

QUÆRES 1. quænam saltem ætas ad diaconatum necessaria esse censeatur.

RESPONDEO 1. antiquas leges ac consuetudines non secum omnino consentire.

Triginta enim annos Romæ necessarios fuisse satis ostendit Siricius Pontifex *ad Himerium cap.* 9. " Usque ad trigesimum, inquit, ætatis
" annum ..... subdiaconus esse debebit, post quæ ad diaconi gradum
" accedat. " Idem fere ait Zozimus *ad Hesychium*: ita quoque Cæsarius Arelatensis, quemadmodum narrat Cyprianus *in ejus vita*, " Nun-
" quam in Ecclesia sua diaconum ante trigesimum ætatis suæ annum
" ordinavit.

At eodem tempore alii mores alibi invaluerunt.

Viginti quinque enim solummodo requirit synodus III. Carthaginensis.

Atque hæc a concilio Carthaginensi sancita disciplina, passim exinde apud omnes obtinuit.

Ac 1. quidem in Oriente, ut constat ex Justiniano *novella* 123. cui concinit synodus Trullana *can.* 14. ubi, " Diaconus, inquit, ante vi-
" ginti quinque annos .... non ordinetur.

2. In Occidente, uti patet ex concilio Agathensi *can.* 17. Arelatensi IV. *can.* 1. Toletano II. *can.* 1. Toletano IV. *can.* 20. Zacharia Pontifice *epist.* 12. *ad Bonifacium Germanorum apostolum*; vita Bennonis Misnensis Episcopi *apud Surium, die* 16. *Junii*; Bernardo *in vita Malachiæ*; Hugone Victorino *supra*, & aliis non paucis horum temporum monimentis.

Hanc porro legem ac consuetudinem ex veteri sanctione profectam esse indicat Gregorius-magnus *lib.* 2. *dialog. cap.* 2. qua nimirum levitæ a viginti quinque annis & supra ministrare jubebantur.

RESPONDEO 2. leges istas quandoque nihilominus ob grande Ecclesiæ bonum fuisse laxatas. Sic Theodorus Siceota *apud Bollandum, die* 22. *Aprilis*, longe antea diaconus ordinatus esse legitur: sic Beda anno 19. vitæ ad hunc honorem evectus est, *ex ipsius historiæ lib.* 5. *cap.* 25. sic denique Epiphanius Ticinensis anno 20. ut ipsius vita perhibet.

RESPONDEO 3. generalem exinde constitutionem de anno vigesimo esse factam. Sic enim Clemens V. *supra*, " In vigesimo, inquit, ad
" diaconatus Ordinem promoveatur. " Atque hanc regulam consectati sunt auctores Pontificalis Romani sub Leone X. & synodus Narbonensis anno 1551.

RESPONDEO 4. non ante vigesimum tertium (inchoatum nempe) jam licere ad hunc Ordinem admoveri: ita enim concilium Tri-

den-

dentinum *seß.* 23. *cap.* 12. " Nullus, inquit, in posterum ad .... Or-
„ dinem ...... diaconatus ante vigesimum tertium ætatis suæ annum
„ promoveatur.

QUÆRES II. quanam ætate esse oporteat ad presbyteratum.

RESPONDEO I. in Romana Ecclesia quondam, & aliquando etiam in Græca non ante trigesimum quintum ætatis annum sacerdotii dignitatem cuiquam esse concessam. Siricius *supra*, " Ad trigesimum, in-
„ quit, ætatis annum .... subdiaconus esse debebit : post quæ ad dia-
„ conii gradum ...... accedat ; ubi si ultra quinque annos laudabiliter
„ ministrarit, congrue presbyterium consequatur. " Siricii vestigiis in-
„ sistit Zozimus : idem sancit Justinianus *novella* 123. presbyterum enim minorem annis triginta quinque fieri non permittit.

RESPONDEO 2. passim tamen intra triginta annos hæsisse Ecclesias tam Orientales quam Occidentales.

Concilium Neocæsariense *can.* 11. " Presbyter, inquit, nec triginta
„ annos non ordinetur, etiamsi fuerit homo valde dignus.

Concilium Agathense *can.* 17. " Presbyterum, inquit, ... ante tri-
„ ginta annos, id est, antequam ad viri perfecti ætatem perveniat ..
„ nullus Metropolitanorum ordinare præsumat.

Synodus Trullana *can.* 14. " Sanctorum divinorumque Patrum no-
„ strorum, inquit, canon his quoque valeat, ut presbyter ante tri-
„ ginta annos non ordinetur, etsi sit homo valde dignus .... Do-
„ minus enim noster Jesus-Christus trigesimo anno baptizatus est &
„ cœpit docere.

Adde Concilium Arelatense IV. *can.* 1. Toletanum IV. *can.* 20. Martinum Bracarensem *cap.* 20. Bonifacium apud Gratianum *dist.* 78. *cap.* 1. Zachariam Pontificem ad eundem ; Canones Hibernicos *lib.* 9. *Spicilegii pag.* 4. in quibus trigesimus, aut quadragesimus annus præscribitur ; Egbertum *cap.* 95. Hippolytum Thebanum in notis Cotelerii *ad Const. apost. lib.* 2. *cap.* 1. Wanslebium de Ecclesia Alexandrina idem asseverantem ; & exempla Bennonis Episcopi Misnensis & Orderici Vitalis.

RESPONDEO 3. si necessitas urgeret, potuisse presbyteros vigesimo quinto vitæ anno consecrari. Sic enim Zacharias apud Gratianum *dist.* 78. *cap.* 5. " Si, inquit, triginta annorum non reperiuntur, & necessitas exposcit, a viginti quinque annis & supra .... sacerdotes ordinentur. " Sic Malachias, cujus vitam Bernardus conscripsit, annos natus viginti quinque, presbyter inauguratus est : sic Epiphanius Ticinensis anno vigesimo octavo ad sacerdotium promotus fuit.

Quod tamen non obstat quominus alii interdum nonnulli vitæ & sanctimoniæ insignioris, citius adhuc in sacerdotes assumpti fuerint. Ita Theodorus Siceota, annos natus duntaxat decem & octo, presbyter est factus.

RESPONDEO 4. hanc, quæ extra ordinem primo concessa fuerat, in-

indulgentiam, poſtmodum in ordinariam regulam evaſiſſe, ita ut vigeſimus quintus annus deinceps ad presbyteratum ſatis fuerit.

Nempe in Concilio Viennenſi Clemens V. *ſupra*, " Generalem, in-
„ quit, Eccleſiæ obſervantiam volentes antiquis juribus in hac parte
„ præferri, decernimus ut .... poſſit quis libere ... in vigeſimo quin-
„ to ætatis ſuæ anno ad presbyteratus Ordinem promoveri.

Id ipſum edicit Pontificale Romanum ſub Leone X. idem ſynodus Narbonenſis anno 1551.

Atque hoc ſtatuit etiam ſynodus Tridentina *ſupra*, *cap.* 12. " Nul-
„ lus, inquit, in poſterum ad .... Ordinem .... presbyteratus ante vi-
„ geſimum quintum ætatis ſuæ annum promoveatur. " cui decreto om-
„ nes obſecuti ſunt.

Quæres 12. quænam eſſet circa epiſcopatum hac in parte Eccleſiæ diſciplina.

Respondeo 1. vetuſtiſſimis Eccleſiæ temporibus id eſſe permiſſum prudentiæ ac conſilio Epiſcoporum. Ut enim Chriſtus Joannem & Paulum ætate florentes ad apoſtolatum elegerat; ſic Paulus Timotheum Epiſcopum conſtituit, cum juvenis ille eſſet; quippe quem ſic moneat epiſt. 1. cap. 4. 12. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*. Sic & Ignatius ad Magneſios ſcribens eos hortatur ne propter juventutem Epiſcopum ſuum ſpernerent. Hinc Chryſoſtomus, " De epiſcopis, inquit, præcepta
„ dans (Apoſtolus) nullibi annorum numerum ſtatuit.

Respondeo 2. deinceps invaluiſſe, imo & lege cautum eſſe ut nonniſi poſt quinquageſimum ætatis annum ad ſupremum hoc honoris faſtigium extollerentur.

Auctor conſtitutionum apoſtolicarum *lib.* 2. *cap.* 1. " De Epiſcopis,
„ inquit, ex Domino noſtro audivimus eum qui ... Epiſcopus in ali-
„ qua Eccleſia .... ſit conſtitutus, oportere eſſe ſine crimine .... nec
„ minorem annis quinquaginta.

Gregorius-magnus *dialog. lib.* 2. *cap.* 2. " Per Moſen, inquit, ...
„ præcipitur ut levitæ a viginti quinque annis & ſupra miniſtrare de-
„ beant : ab anno vero quinquageſimo cuſtodes vaſorum fiant .... Li-
„ quet quod in juventute carnis tentatio ferveat, ab anno autem quin-
„ quageſimo calor corporis frigeſcat : vaſa autem ſacra ſunt fidelium
„ mentes. Electi ergo cum adhuc in tentatione ſunt, ſubeſſe eos ac
„ ſervire neceſſe eſt; .... cum vero jam mentis ætate tranquilla calor
„ receſſerit tentationis, cuſtodes vaſorum ſunt, quia doctores anima-
„ rum fiunt.

Canones Hibernici cum vulgarem regulam figunt, " Quadrageſimo,
„ inquiunt, anno presbyter, quinquageſimo Epiſcopus ſtet.

Bonifacius Moguntinus, cum eum Willibrordus facere vellet Epiſcopum, hanc dignitatem diu multumque recuſavit, ut refertur in ejus vita, quoniam quinquageſimi anni juxta canonicæ rectitudinis normam necdum plene reciperet ætatem.

At-

Atque inde procul dubio est quod etiamnum Jacobitæ, teste Vanslebio, episcopum ante annum quinquagesimum non assumant.

RESPONDEO 3. in Ecclesia Romana, IV. sæculo exeunte, non nihil fuisse de hac severitate remissum. Siricius enim *epistola jam sæpius laudata* postquam annum trigesimum quintum presbyteratui assignavit, " Exinde, inquit, post decennium Episcopalem cathedram poterit adi„ pisci. " Ex quo consequens est anno quadragesimo quinto Episco„ pum fieri tunc ibi potuisse.

RESPONDEO 4. assignatos esse quadraginta annos ab iis, qui modo appellati sunt, canonibus Hibernicis in gratiam eorum qui ab infantia sacro ministerio mancipati fuissent.

RESPONDEO 5. triginta duntaxat esse præstitutos a concilio Arelatensi IV. *can.* 1. " Episcopatus, inquit, ... honorem nullus .... ante „ triginta annos ætatis accipiat. " Totidem satis esse posse definiunt iidem Hibernici canones.

Hæc autem decreta deinceps in Ecclesia Latina obtinuerunt, adeo ut nemo ante trigesimum ætatis annum Episcopus consecrari debeat. Capite *Cum in cunctis*, de electione & electi potestate, ex concilio Lateranensi sub Alexandro III.

Gallis tamen, concordatorum lege *tit.* 5. conceditur ut episcopus esse queat qui vigesimum septimum ætatis annum attigerit.

QUÆRES 13. quænam sit illius pœna qui ante legitimam ætatem ad sacros Ordines irrepserit.

RESPONDEO eum esse suspensum non tantum quoad ætas accesserit, sed etiam sine ulla temporis circumscriptione: atque adeo, si in eo statu officio Ordinis sui functus fuerit, irregularem fieri. Ita enim decrevit Pius II. in bulla, *Cum ex sacrorum;* cui adjungenda est synodus III. Mediolanensis.

QUÆRES 14. quænam sint vitiosæ conditiones.

RESPONDEO tres potissimum a majoribus esse notatas, servilem, curialem, & militarem.

Primo itaque servi a sacerdotio arcebantur.

S. Leo *epist.* 3. *ad episcopos Campaniæ*, pravam, quæ inoleverat, consuetudinem arguens, " Admittuntur, inquit, passim ad Ordinem sa„ crum, quibus nulla .... natalium dignitas suffragatur: & qui a do„ minis suis libertatem consequi minime potuerunt, ad fastigium sa„ cerdotii, tanquam servilis vilitas hunc honorem capiat, ... prove„ huntur. Duplex itaque in hac parte reatus est, quod & sacrum mi„ nisterium talis consortii vilitate polluitur, & dominorum, quantum „ ad illicitæ usurpationis temeritatem pertinet, jura solvuntur. " Adde Gelasium *epist.* 9. *ad episcopos Lucaniæ*, Gregorium-magnum *epist.* 25. ad Joannem Episcopum *lib.* 1. *registri*, concilium Aurelianense I. *can.* 10. & V. *can.* 5. Arvernense II. *can.* 6. Toletanum IV. *can.* 19. & Egbertum Eboracensem in dialogo *de ecclesiastica institutione*.

Secundo non admittebantur curiales, id est curiæ addicti publicisque administrationibus aut rationibus impliciti. Synodus enim Illyricana apud Theodoretum *lib.* 4. *cap.* 9. "Presbyteri & diaconi, inquit, ut ex „ clero assumantur, non autem ex curia, ... ut sint undecunque ir- „ reprehensibiles.

Innocentius I. hos etiam diserte repellit *epist.* 2. *can.* 11.

Gelasius *epist.* 9. *ad episcopos Lucaniæ*, " Si quis, inquit, ... ad cle- „ ricale onus accedit, imprimis .... inquiratur ..... si curiæ jam „ probatur nexibus absolutus. Concilium Toletanum IV. *cap.* 19. " „ Deinceps non promoveantur, ... qui servili conditioni ob- „ noxii sunt, ... qui sæculari militiæ dediti sunt, qui curiæ nexi- „ bus obligati sunt.

Gregorius-magnus *supra*, " Ne unquam, inquit, illicitas Ordinatio- „ nes facias ... nec ... curiæ vel cuilibet conditioni obnoxium ad „ sacros Ordines permittas accedere. " Idem *lib.* 2. *epist.* 62. Mauritio, quam super ea re sanctionem ediderat, gratulatur : " Dominorum, „ inquit, pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit „ implicatus, ei ad ecclesiasticum officium venire non liceat: quod val- „ de laudavi, evidentissime sciens, quia qui sæcularem habitum dese- „ rens, ad ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, „ non relinquere.

Egbertus Eboracensis Gelasium exscribit.

Tertio qui militiam erant professi, eo ipso sacris Ordinibus indigni censebantur, etiamsi nullas in bello cædes admisissent.

Synodus Illyricana *supra*, " Presbyteri & diaconi ex clero, non ex „ curia aut ex militari officio, ut sint undecunque irreprehensibiles.

Siricius *epist.* 4. " Si quis, inquit, post remissionem cingulum mili- „ tiæ sæcularis habuerit, ad clericatum admitti omnino non debet.

Concilium Toletanum I. *can.* 8. " Si quis, inquit, post Baptismum „ militaverit, & chlamydem sumpserit aut cingulum, ad necandos fi- „ deles, etiamsi gravia non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, „ diaconi non accipiat dignitatem.

ARTICULUS III.

De defectibus morum & doctrinæ.

QUÆRES 1. an scientia ei necessaria sit qui ad sacros Ordines accedit.

RESPONDEO esse.

Nimirum Deus, cum significare vellet olim sacerdotibus, quid ab iis potissimum efflagitaret, rationale confici & eorum pectori apprimi jussit, in quo præcipua doctrinæ commendatio foret.

Exodi 28. v. 30. *Pones in rationali judicii*, inquit, *doctrinam & veritatem*.

Le-

Levitici 8. 8. *In quo*, inquit Moses, *erat doctrina & veritas*.

Deuteron. 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, ... venies ..... ad sacerdotes levitici generis*.

Osee 4. 6. *Quia tu*, inquit Deus, *scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi*.

Malachiæ 2. 7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est*.

Matthæi 15. 14. *Cæcus si cæco ducatum præstet*, inquit Christus, *ambo in foveam cadunt*.

Matthæi 23. 16. *Væ vobis duces cæci*.

Paulus epist. ad Titum 1. 7. *Oportet*, inquit, *Episcopum sine crimine esse ...... amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*.

Origenes *hom. 6. in Leviticum*, " Hæc, inquit, duo sunt pontificis " opera, ut aut a Deo discat, legendo Scripturas divinas, & sæpius me- " ditando, aut populum doceat, quæ ipse a Deo didicerit, non ex " proprio corde vel humano sensu, sed quæ Spiritus-sanctus docet.

Hieronymus *in caput 2. Aggæi*, " Si sacerdos est, inquit, sciat le- " gem Domini: si ignorat legem, ipse se arguit non esse Domini sa- " cerdotem. Sacerdotis enim est scire legem, & ad interrogationem " respondere de lege.

Idem *in caput 2. Malachiæ*, " Idcirco, inquit, in sacerdotis pecto- " re rationale est, & in rationali doctrina & veritas ponitur, ut disca- " mus sacerdotem doctum esse debere, & præconem dominicæ veritatis.

Idem *epist. 128. ad Fabiolam*, " Tanta, inquit, debet esse scientia " & eruditio pontificis Dei, ut gressus ejus, & motus, & universa " vocalia sint.

S. Leo *epist. 22*. " Si, inquit, vix in laicis tolerabilis videtur insci- " tia, quanto magis in iis qui præsunt, nec excusatione digna est, nec " venia?

Gelasius apud Gratianum *distinct. 36. cap. 1*. " Nemo, inquit, illi- " teratos ad clericatus Ordinem promovere præsumat, quia litteris ca- " rens, sacris non potest aptus esse officiis.

Cæsarius Arelatensis, teste Cypriano *in ipsius vita lib. 1. cap. 18.* nunquam in ecclesia sua diaconum ordinabat ante trigesimum ætatis annum: verum etiam hoc addidit, ut nec in qualibet majore ætate unquam ordinaretur, nisi quatuor vicibus in ordine libros veteris testamenti legerit & quatuor novi.

Gregorius magnus non solum doctrinam in presbytero postulabat, sed & ut omnes psalmos memoriter teneret: *lib. 4. epist. 45. ad Andream scholasticum*: " Sed nec, inquit, Joannem presbyterum psalmo- " rum nescium, præsumpsimus ordinare; hæc enim res minus sui pro- " fectus habere studium demonstrat. " Vide & *lib. 12. epist. 6*.

Gennadius hoc idem usurpabat, uti refert Theodorus lector *lib.* 1.

Synodus Toletana IV. *can.* 25. " Cum, inquit, ignorantia sit ma-
" ter cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus vitanda est, qui
" docendi officium in populis susceperunt ... Sciant igitur sacerdotes
" Scripturas & canones, ut omne opus eorum in prædicatione & do-
" ctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam
" operum disciplina.

Toletana V. " Sciant, inquit, sacerdotes Scripturas sanctas, & canones meditentur.

Toletana VIII. *cap.* 8. " Nullus, inquit, ad sacra Dei mysteria ve-
" niat indoctus, aut ignorantiæ tenebris cæcutiens; sed solus is acce-
" dat, quem morum innocentia & litterarum splendor reddunt illu-
" strem : aliter ordinaturis & ordinandis imminet in posterum Dei &
" ejus Ecclesiæ vindicta.

Isidorus Hispalensis *lib.* 3. *sententiarum cap.* 36. " Tam doctrina, in-
" quit, quam vita clarere debet ecclesiasticus doctor : nam doctrina si-
" ne vita arrogantem reddit; vita sine doctrina inutilem facit.

Quam sententiam repetit synodus Aquisgranensis *cap.* 20.

Turonensis III. *can.* 2. " Sanctum evangelium, inquit, & epistolas
" B. Pauli apostoli non solum crebro lectitent, sed etiam, quantum
" possunt, memoriæ studeant commendare.

Cabillonensis II. " Decernimus, inquit, juxta sanctarum Scriptura-
" rum doctrinam, ut episcopi, & similiter alii Ordines ecclesiastici, assi-
" dui sint in lectione, & scrutentur mysteria verborum Dei, quibus in
" Ecclesia doctrinæ fulgore splendeant, & verborum Dei alimentis ani-
" mas sibi subditas satiare non cessent.

Synodus Coyacensis anno 1050. *can.* 5. " Archidiaconi, inquit, ta-
" les clericos constitutis quatuor temporibus ad Ordines ducant, qui
" perfecte totum psalterium, hymnos & cantica, epistolas & evange-
" lia & orationes sciant.

Quæres 2. quibusnam præsertim in rebus studium suum collocare debeant, qui ad sacros Ordines aspirant.

Respondeo 1. Scripturas sacras iis esse imprimis legendas & evolvendas : hinc Paulus 2. Tim. 3. 14. *Tu*, inquit, *permane in iis quæ didicisti .... Quia ab infantia sacras litteras nosti quæ te possunt instruere ad salutem .... Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Vide quæ de hoc Scripturarum studio Origenes, Hieronymus, Cæsarius, Gregorius-magnus, & synodi Toletana, Turonensis, Cabillonensis & Coyacensis aut senserint aut etiam sanxerint.

Respondeo 2. e Traditione, Patribus ac theologis adjungendum esse, cum in iis quæ ad mysteria, tum in aliis quæ ad mores pertinent, quantum necesse est, ut ex utroque fonte summa quædam totius

nostræ

nostræ religionis conficiatur, qua alios de re omni nata edocere possint. " Hi sint, inquit synodus Tridentina de presbyteris *sess.* 23. *cap.*
„ 14. qui . . . . ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessa-
„ rium est ad salutem . . . . diligenti examine præcedente idonei com-
„ probentur. " S. Carolus in concilio Mediolanensi V. *parte* 3. expendi jubet an doctrinam teneant, qua verbum Dei recte tractare possint, atque de omni re ad salutem necessaria populum instruere.

Respondeo 3. non omittendam insuper esse canonum scientiam, quod etiam monent *supra* concilia Toletana. Unde synodus Aurelianensis IV. *can.* 6. " Parochiani clerici, inquit, necessaria sibi statuta
„ canonum legenda percipiant, ne se ipsi vel populi, quæ pro eorum
„ salute decreta sunt, excusent postmodum ignorasse. " Cabillonensis sub Leone III. *can.* 37. " Cum, inquit, omnia concilia canonum, quæ
„ recipiuntur, sint a sacerdotibus legenda atque intelligenda, & per ea
„ sit eis vivendum & prædicandum; necessarium duximus, ut ea quæ
„ ad fidem pertinent, & ubi de extirpandis vitiis & plantandis virtu-
„ tibus scribitur, hoc ab eis crebro legatur &c.

Atque hæc quidem omnia egregie complectitur synodus Aquisgranensis sub Ludovico pio habita *cap.* 2. cujus septem ea de re decreta prætermittere piaculum fuerit. Sic itaque habet.

Primo " Visum est in omnibus, inquit, unumquemque pontificem
„ scire oportere fidem, id est qualiter illum fidem . . . . credere con-
„ veniat; ac cæteros perfecte instruere, qualiter & ipsi credendo salvi
„ fieri possint.

Secundo " Summos itaque sacerdotes inexcusabiliter nosse oportet,
„ ut ex veteris novique testamenti scriptis quæ vera sunt salutique
„ omnium proficua, proferre docte sciant.

Tertio " Nec minus medicinam spiritualem, consiliumque salubre a-
„ nimarum pastores populi scire oportet, uti medicos spirituales, asse-
„ rente sanctissimo pontifice Gregorio atque dicente: Quia artium ars
„ est regimen animarum.

Quarto " Convenit insuper sacerdotali ministerio scire formam evan-
„ gelicam, documenta apostolica, canonum instituta, normam regulæ
„ pastoralis a sanctissimo pontifice Gregorio editæ, ne . . . . . pastorale
„ magisterium aliqua temeritate usurpetur aut vilescat.

Quinto " Sed & hoc scire convenit, quantum rector sacræ legis me-
„ ditationibus debeat esse intentus.

Sexto " Sic . . . . . ignorari non licet, quanta debeat esse diversitas
„ atque discretio in arte prædicationis . . . . Ut enim . . . . Nazianze-
„ nus edocuit, non una eademque cunctis exhortatio congruit : . . sæ-
„ pe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt : ideoque rector scire
„ debet discretiones personarum.

Octavo " Similiter scire convenit præsulibus res ecclesiasticas, non
„ ut proprias, sed a Domino sibi pro aliorum necessitate commissas,

„ atque juxta Profperi documentum, nihil aliud effe res Ecclefiæ „ quam vota fidelium, pretium peccatorum, & patrimonia pauperum.

Quæres 3. an ejufmodi præcepta ad eos etiam fpectent quibus animarum cura non incumbit.

Respondeo hæc ad paftores quidem præcipuo jure pertinere, fed tamen etiam in omnes presbyteros cadere: univerfos enim plerique canones indifcriminatim appellant. Deinde vero nullus eft presbyter, qui talis effe non debeat, ut fi Ecclefia poftulet, fefe plebi regendæ ac docendæ non præbeat.

Quæres 4. an eundem effe oporteat in fingulis doctrinæ gradum.

Respondeo 1. non oportere: fatis enim effe fi quis doctrinam habeat Ordini ac ftatui competentem.

Queræs 5. an legibus iftis aftringantur etiam inferiores Ordines.

Respondeo aftringi pro gradu ac modo fuo. Vide concilium Cabillonenfe II. *fupra*. Synodus certe Tridentina *feff.* 23. *cap.* 11. de minoribus Ordinibus loquens, " Cumque hinc, inquit, ad altiores gradus „ & facratiffima myfteria fit ingreffus, nemo iis initietur, quem non „ fcientiæ fpes majoribus Ordinibus dignum oftendat.

Quæres 6. an non folum præfentis, fed etiam omnis anteactæ vitæ innocentia ad facros Ordines requiratur.

Respondeo olim ab iis longe effe femotos quicunque grave quoddam crimen unquam admififfent.

Paulus ad Timoth. 1. cap. 3. 2. *Oportet*, inquit, *epifcopum irreprebenfibilem effe*. Ad Titum 1. 6. *Si quis*, inquit, *fine crimine eft*.

Canon apoftolicus 60. " Si, inquit, adverfus fidelem aliqua accufa„ tio intendatur vel fornicationis vel alicujus alterius prohibitæ actio„ nis, & convictus fuerit; ad clerum ne provehatur.

Synodus Eliberitana *can.* 30. " Subdiaconus, inquit, ordinari non de„ bet qui in adolefcentia fua fuerit mœchatus: ... fi autem aliqui funt „ in præteritum ordinati amoveantur.

Neocæfarienfis *can.* 9. " Si presbyter, inquit, qui corporale peccatum „ admiferit, promotus fuerit, & confeffus quod ante Ordinationem pec„ caverit; non offerat &c.

Nicæna *can.* 9. " Si qui presbyteri, inquit, fine examine funt prove„ cti, vel, cum difcuterentur, peccata fua confeffi funt; .... tales re„ gula non admittit.

Auguftinus explicans verba Pauli ad Titum, " Paulus, inquit, quan„ do eligit ordinandos, vel presbyteros, vel diaconos, vel quicunque „ ordinandus eft ad præpofituram Ecclefiæ, non ait: *Si quis fine peccato* „ *eft*, hoc enim fi diceret, omnis homo reprobaretur, nullus ordinare„ tur; fed ait: *Si quis fine crimine eft*, ficut eft homicidium, adulte„ rium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, facrilegium, & „ cætera hujufmodi.

Gela-

Gelasius *supra*, " Inquiratur, inquit, si nullo gravi facinore probatur infectus.

Isidorus Hispalensis *lib.* 2. *de officiis ecclesiasticis cap.* 5. " Si is, inquit,
" qui in episcopatu mortale aliquod peccatum admiserit, non debet of-
" ferre panes Domino; quanto magis ante Ordinationem peccator in-
" ventus, repudiari debet ut non ordinetur? Quapropter quia lex pecca-
" tores a sacerdotio removet, consideret se unusquisque, sciens quia po-
" tentes potenter patientur tormenta, retrahat se ab hoc non tam ho-
" nore quam onere, & aliorum locum qui digni sunt, non ambiat oc-
" cupare. Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutem popu-
" lis præerit, necesse est ut in omnibus sanctus sit & irreprehensibilis.
" Qui enim alium de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus.
" Nam qua fronte subjectos arguere poterit? cum illi statim possit cor-
" reptus ingerere: Ante doce te quæ recta sunt. " Qua in parte notandum est crimina publica ab occultis non distingui.

Et vero olim qui ad sacros Ordines electi erant, ii, antequam consecrarentur, de præcipuis criminibus interrogabantur, ut si ea admisissent, ab iis repellerentur, quod in antiquis ritualibus videre est. Consule historiam concilii Toletani X. in quo Potamius Bracarensis episcopus, cum occultum crimen sponte confessus esset & secreto, a sacerdotio amotus est. Certe amovebantur a sacris Ordinibus quicumque inquinati essent iis flagitiis, quæ pœnitentiæ publicæ obnoxia erant: at ei subdebantur etiam occulta. Denique etiamnum ea est Ecclesiæ Græcæ disciplina, ut qui scelere aliquo contaminatus est, is a sacerdotio arceatur, quantumlibet arcanum sit facinus. Inde est quod sacerdotes Græci non ita frequenter confessionis sacramentum adeant, ut alibi observatur.

Quæres 7. an, si quis ea crimina juxta Ecclesiæ leges pœnitentia publica eluisset, is etiam postea sacris Ordinibus indignus haberetur.

Respondeo ita esse.

Origenes *lib.* 3. *contra Celsum*, lapsos quidem ad pœnitentiam a Christianis recipi docet, " Ea tamen conditione, inquit, ut, quoniam la-
" psi sunt, excludantur in posterum ab omnibus dignitatibus & magistra-
" tibus ecclesiasticis.

Concilium Carthaginense IV. *can.* 68. " Ex pœnitentibus, inquit,
" quamvis sit bonus, clericus non ordinetur.

Siricius *epist.* 1. *cap.* 14. " Sicut penitentiam agere cuiquam non con-
" ceditur clericorum, ita & post pœnitudinem ac reconciliationem nul-
" li unquam laico liceat clericatus honorem adipisci; quia quamvis
" sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent
" gerendorum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fue-
" rint vasa vitiorum.

Innocentius I. *epist.* 22. *supra*, " Ubi inquit, Pœnitentiæ remedium

O 4 neces-

„ necessarium est, illic Ordinationis honor locum habere non potest.

Adjunge Zozimum *epist.* 1. *cap.* 3. Gelasium *epist.* 9. Hilarium *epist.* 2. *cap.* 4. Hormisdam *epist.* 4. Gregorium-magnum *lib.* 2. *epist.* 25. Gregorium II. *epist.* 3. Zachariam *epist.* 4. Concilium Toletanum IV. *can.* 19. Arelatense II. *can.* 25. Arelatense III. *can.* 3. Epaonense *cap.* 4. Aurelianense III. *can.* 6. Egbertum, & alios.

Aliquando tamen pœnitentibus minores Ordines credebantur.

Ita enim edicit synodus Toletana I. *can.* 2. " Placuit ut pœnitentes, „ inquit, non admittantur ad clerum, nisi tantum si necessitas aut usus „ exegerit, & inter ostiarios deputentur, vel inter lectores, ita ut E- „ vangelia aut Apostolum non legant. Si qui autem ante ordinati sunt „ diacones, inter subdiacones habeantur, ita ut manum non imponant, „ nec sacra contingant.

Si quis autem pœnitentiam in extremis positus ex sola pietate sponte suscepisset, nec crimina fuisset confessus (ut aliquando contingebat) is a sacerdotio non ideo arcebatur. Concilium Toletanum IV. *can.* 54. Hi, inquit, qui in discrimine constituti pœnitentiam accipiunt, nulla manifesta scelera confitentes, sed tantum peccatores se prædicantes; hujusmodi, si revaluerint, possunt etiam pro morum probitate ad gradus ecclesiasticos pervenire: qui vero ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum perpetrasse publice fateantur; ad clerum vel ad honores ecclesiasticos pervenire nullatenus poterunt, quia se propria confessione notaverunt.

Quæres 8. quænam fuerit Ecclesiæ quoad hoc caput disciplina, ex quo pro peccatis occultis pœnitentiam publicam indici mos amplius non fuit.

Respondeo 1. exclusos exinde duntaxat fuisse juxta leges, quorum peccata publica extitissent.

Anselmus *lib.* 1. *epist.* 56. istius consuetudinis causam explicans, " „ Nec apud Deum, inquit, reprobatur officium alicujus propter cul- „ pam quam ipse ignoscit, nec apud homines decoloratur sacri Ordinis „ dignitas propter personam cujus ipsi peccatum non cognoscunt.

Gratianus *dist.* 1. " Quorum, inquit, crimina manifesta sunt ante „ vel post Ordinationem, a sacris Ordinibus dejiciendi sunt; quorum „ autem peccata occulta sunt, & satisfactione secreta secundum sacer- „ dotis edictum purgata, in propriis Ordinibus remanere possunt.

Respondeo 2. Ecclesiam semper optasse & etiamnum optare, ordinisque ecclesiastici dignitatem ac sanctitatem postulare, ut non ita facile accedant, qui gravibus se criminibus infectos fuisse sentiunt.

Respondeo 3. necesse saltem esse ut illa scelera, longa jam pœnitentia purgata fuerint.

Bernardus *epist. ad Brunonem electum Coloniensem episcopum*, " Hor- „ reo, inquit, considerans, unde, quo vocaris: præsertim cum „ nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod utcunque huju-

„ sce-

„ cemodi periculosissimus transitus fiat. Et quidem rectus ordo requi-
„ rit, ut prius propriam, deinde alienas studeas curare conscientias:
„ primus quippe pietatis gradus est, de quo scriptum est: *Miserere*
„ *animæ tuæ placens Deo*. Ex hoc autem ad miserandum proximo, re-
„ cto jam tramite charitas ordinata procedit: quippe quem ad sui quis-
„ que mensuram amare præcipitur . . . . Aliud est celerem adipisci ve-
„ niam peccatorum: & aliud de ipsis sceleribus ad infulas mox provehi
„ dignitatum.

ARTICULUS IV.

De defectibus Sacramentorum.

QUÆRES 1. an necesse omnino sit, ut qui ordinatus, is baptizatus sit.

RESPONDEO ita esse, adeo ut nulla alioqui futura sit Ordinatio.

Primo enim concilium Nicænum *canon.* 19. cum Paulianistas ad Ecclesiam reduces rursus baptizari jussisset, utpote non rite baptizatos, eosdem quoque iterum ordinandos esse monet: eo aperte indicans irritam esse eorum Ordinationem; quorum nullus fuerit Baptismus.

Secundo Concilium Compendiacum *Decretalium lib.* 3. *tit.* 43. de presbytero non baptizato, *cap.* 1. " Si quis presbyter, inquit, ordi-
„ natus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum
„ ordinetur.

Tertio Innocentius III. *ibid.* hoc idem sancit.

Quarto Eugenius IV. *in decreto*, " Primum, inquit, omnium sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis
„ janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur
„ Ecclesiæ.

Quinto ita sentiunt omnes theologi.

Sexto suffragatur ratio. Ut enim loquitur Innocentius III. *supra*, Baptismus est fundamentum omnium sacramentorum: ubi autem fundamentum non est, superædificari non potest. Deinde, ut ratiocinatur S. Thomas, per Baptismum spiritaliter nascimur; per Ordinis autem sacramentum ad Ecclesiastica munia destinamur: prius autem est nasci, quam quidquam operari. Denique juxta mentem Eugenii IV. per Baptismum in Ecclesiam ingredimur: at prius est in eam ingredi quam in eadem munere aliquo defungi. Ergo &c.

QUÆRES 2. an qui recens baptizatus est, ordinari debeat.

RESPONDEO non debere.

Paulus nimirum 1. *Tim.* 3. 6. quem eligi in episcopum oporteat indicans, *Non neophytum*, inquit, *ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli*.

Canon apostolicus 79. idem statuens aliam insuper rationem addit,
" Ini-

" Iniquum est enim, inquit, ut qui sui nondum experientiam ostenderit,
" sit aliorum magister.

Synodus Laodicena *canone* 3. " Non oportet, inquit, eos qui re-
" cens sunt illuminati Baptismate, in Ordinem sacerdotalem promo-
" veri.

Concilium Sardicense *can.* 13. " Conveniens, inquit, non est, nec
" ratio vel disciplina patitur ut temere vel leviter ordinetur . . . . . .
" qui neophytus est; maxime cum beatissimus Apostolus, magister
" gentium ne hoc fieret denunciasse, & prohibuisse videatur; sed hi
" quorum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint
" comprobata.

Quod tamen non impedit quominus extra ordinem neophytus quandoque possit assumi, cum nempe summa viri virtus & Ecclesiæ utilitas manifesta ad id impellant, quod in Cypriano, Ambrosio, eliisque nonnullis feliciter est factum.

Quæres 3. an Clinici, id est in lecto baptizati, ad sacros Ordines admitterentur.

Respondeo non fuisse admissos.

Primo enim Cornelius papa *in epist. ad Fabium Antiochenum*, apud Eusebium *lib. 6. cap.* 43. affirmat omnem urbis clerum & non mediocrem plebis partem, Novatiani in lecto baptizati Ordinationi restitisse,
" Eo quod, inquit, non liceret quemquam ex iis, qui urgente vi mor-
" bi in lectulo perfusi fuissent, in clerum assumi.

Secundo Synodus Neocæsariensis *can.* 12. " Si quis, inquit, in ægri-
" tudine fuerit baptizatus, ad honorem presbyterii non potest pro-
" moveri, quia non ex proposito fides ejus, sed ex necessitate de-
" scendit.

Tertio Concilium Parisiense VI. anno 829. *cap.* 8. " Auctoritas,
" inquit, a nonnullis sæpe violatur canonica, quando scilicet hi qui
" in ægritudine Baptismatis suscipiunt sacramentum, ad gradus eccle-
" siasticos contra fas provehuntur. Is usus quia auctoritati canonicæ re-
" sultat, oportet ut corrigatur, quoniam hujusmodi baptizatos, quos
" vulgaris sermo *Grabatarios* vocat, canonica auctoritas a gradibus eccle-
" siasticis patenter repellit.

Quæres 4. an qui bis essent baptizati, ii sacris Ordinibus insignirentur.

Respondeo non fuisse insignitos, nec insigniendos esse.

Primo enim Augustinus in libro *de unico Baptismate contra Petilianum*, *cap.*12.*nu.*10. diserte testatur ad clericatum eos admitti non debuisse, qui ab hæreticis rebaptizati essent.

Secundo Sanctus Leo *in decretis*, *cap.* 14. iis quidem clericis, qui ab hæresi ad Ecclesiam redeunt, concedit ut in quo inveniuntur Ordine perpetua stabilitate maneant, sed statim addit hanc cautionem: " Si
" tamen, inquit, iterata tinctione non fuerint maculati.

Ter-

Tertio Synodus Toletana IV. *can.*19. enumerans eos, qui a sacris Ordinibus submovendi sunt, iis adjungit, " Qui in hæresi baptizati aut rebaptizati esse noscuntur.

Quarto Gregorius Magnus *epist. ad Joannem* sæpe laudata, " Afros, " inquit, ... nulla ratione suscipias, quia Afri quidem aliqui Manichæi, " aliqui rebaptizati.

Alia vide in corpore juris canonici.

Quæres 5. an Confirmatio necessaria sit ut rite Ordines suscipiantur,

Respondeo 1. necessariam esse. Id enim diserte definit synodus Tridentina *sess.* 23. *cap.* 4. accedit exemplum Novatiani, qui cum in lecto baptizatus nec confirmatus esset, utroque nomine sacris Ordinibus haud aptus esse juxta Ecclesiæ regulas censebatur, teste Cornelio summo pontifice. Denique ipsa ratio favet. Cleri enim status nonnisi perfectos Christianos complecti debet: Confirmationis autem sacramento perfecti Christiani fimus. Graviter ergo peccaret, qui non confirmatus Ordines ipsamque tonsuram susciperet.

Respondeo 2. validam tamen Ordinationem fore: nihil enim est quod irritam illam facere queat. Et vero Novatianus tanquam presbyter diu in Ecclesia habitus est.

Respondeo 3. qui sic ordinatus esset eum in irregularitatem non incurrere, quia nulla lex extat quæ id ferat.

Quæres 6. an inferiores Ordines necessario præire debeant superioribus.

Respondeo 1. illud esse jam necessarium, utpote non solum constanti & universali omnium ecclesiarum usu firmatum, sed etiam conceptis verbis sancitum a synodo Tridentina. *Sessione* enim 23. *cap.*22. " Cum autem, inquit, divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, ... ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum Ordines .... ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. " *Canone* 2. " Si quis dixerit præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios Ordines & majores & minores, per quos velut per gradus in sacerdotium tendatur, anathema sit. " *De reformatione cap.*11. " Minores Ordines, inquit, per temporum interstitia conferantur, ac in unoquoque munere juxta præscriptum episcopi se exerceant ...., atque ita de gradu in gradum ascendant. "*Cap.*3. " Subdiaconi, inquit, & diaconi ordinentur .... in minoribus Ordinibus jam probati &c.

Quod quidem est ita intelligendum ut si quis etiam e minoribus Ordinibus sit prætermissus, sedulo suppleatur. Lanfrancus certe Cantuariensis episcopus *epist.* 21. de quodam diacono loquens, qui omissis minoribus sacrum hunc Ordinem acceperat, jubet ut his minoribus solito more initietur, suspenso interim diaconatu, quem ei postmodum

dum certa ratione restitui decernit. Ita quoque Ivo Carnotensis *epistola* 80. consultus ab archiepiscopo Rothomagensi super quodam subdiacono, qui clericatum nunquam susceperat, respondet primo eum esse juxta canones deponendum, aut Clericatum ei esse conferendum: " Si autem, inquit, honesta vita ejus aut utilitas ecclesiastica ita exigit, poteris ei dispensatorie dato clericatu cum debita satisfactione eam misericordiam impendere, ut cum sacram Ordinationem vos celebrare contigerit, humiliato corde & corpore sacris benedictionibus intersit, non ut reordinetur, sed ut competentibus verbis in acceptis Ordinibus confirmetur.

Respondeo 2. hanc singulorum graduum decurrendorum legem ac regulam esse antiquissimam.

Primo enim est Caii pontificis, si ipsius vitæ credimus.

Secundo Synodus Romana, quæ sub Sylvestro habita esse dicitur, idem decrevit: " Si quis desideraret, inquit, in Ecclesia militare aut proficere, ut esset prius ostiarius, deinde lector, & postea exorcista, ... deinde acolythus, ... subdiaconus, ... diaconus .... presbyter, ... & .... episcopus.

Tertio Cælestinus Papa *epist.* 2. *cap.* 3. " Ordinatos vero quosdam, inquit, episcopos, qui nullis ecclesiasticis Ordinibus ad tantæ dignitatis fastigium fuerint instituti, contra Patrum decreta, ... didicimus: cum ad episcopatum his gradibus, quibus frequentissime cautum est, debeat perveniri, ut minoribus initiati officiis, ad majora firmentur " &c.

Quarto Gregorius Turonensis *lib.6. historiæ*, *cap.*15. Nannetensem episcopum alloquens, " Habemus, inquit, scriptum in canonibus .... non posse quemquam ad episcopatum accedere, nisi prius ecclesiasticos gradus regulariter sortiatur.

Quinto Gregorius magnus *lib.* 7. *epist.* 110. " Ordinate, inquit, ad Ordines ascendendum est; nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia, postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum.

Adjunge synodum VIII. *act.*10. *can.* 5. Concilium Rothomagense anni 1702. Innocentium IV. *in epist. ad apostolicæ sedis legatum in Cypro*; denique pontificale vetus Romanum &c.

Respondeo 3. hanc tamen regulam non fuisse olim semper aut ubique tanta religione servatam.

Quod ut palam fiat & quidem paulo enucleatius

Quæres 7. an minores Ordines aliquando, aut omnino aut saltem ex parte, prætermissi fuerint, aut non necessarii judicati.

Respondeo ita esse.

1. enim quatuor minores prætermissi esse videntur inter ordinandum Austregesilum Bituricensem archiepiscopum: nempe, ut narratur *in ipsius vita* apud Surium 20. Maii, primo clericus, ac deinde statim subdiaconus factus est.

2. Tres

2. Tres ex iisdem Ordinibus non necessarios censuit Gelasius *epist.* 1. *cap.* 6. recensens enim gradus ecclesiasticos quos obire oporteret, ostiariatum & exorcistatum transilit : quod autem pertinet ad lectoratum, eum notariatu aut defensoris munere suppleri posse satis significat : " Si assecutus est litteras, inquit, . . . continuo lector aut no-
„ tarius aut certe defensor effectus, post tres menses existat acoly-
„ thus, ... sexto mense subdiaconus " &c. sic & Zozimus *epistola ad Hesychium*, unum e minoribus satis esse posse significat : ostiariatum enim silet : ex lectoratu autem & exorcistatu alterutrum sufficere docet : denique prætermitti posse acolythatum, modo subdiaconatus accipiatur. " Si ab infantia, inquit, ecclesiasticis ministeriis nomen
„ dederit, inter lectores usque ad vicesimum ætatis annum .... perdu-
„ ret : si major jam & grandævus accesserit, sive inter lectores sive
„ inter exorcistas quinquennio teneatur, exinde acolythus . . . . . vel
„ subdiaconus quatuor annis. " Ita quoque Cyprianus, qui passim lectoratum tanquam omnium Ordinum primum commemorat : *epistola* 24. Optatum ex lectore se subdiaconum creasse monet. Eadem ratione solus lectoratus e quatuor minoribus B. Marcello Parisiensi collatus est : teste enim Fortunato *in ipsius vita*, primum lector deinde subdiaconus est ordinatus. Contra e minoribus unum exorcistatum suscepit Bernardus episcopus Hildeseimensis : primum enim exorcista deinde subdiaconus consecratus est, *apud Surium*, *die* 20. *Novembris*. Annectie Sidonium Apollinarem *lib.*4. *epist.* 25.

3. Duos alii omittunt, ac Siricius quidem *epistola ad Himerium*, ostiariatum, & exorcistatum pro iis qui ab infantia sacro ministerio mancipantur, ne commemorat quidem ; canones autem Hibernici acolythatum tacent, & exorcistatus aut lectoratus dant optionem. *Lib.* 1. *cap.* 9. " Puer vero, inquiunt, ab infantia ecclesiasticis ministeriis deditus
„ usque ad vigesimum ætatis suæ annum, lector sive exorcista stet ; ostia-
„ rius & subdiaconus quatuor annis.

4. Unum ostiariatum transmittit Zozimus *epistola* 1. *cap.* 1. Plura autem hujusce rei exempla extant apud Morinum *parte* 3. *exercit.* 11. Hallerium *parte* 2. *artic.* 2. *sect.* 2. nec non & Martenium, *capite* 8. *art.* 3.

Observandum porro est sic hos Ordines fuisse prætermissos ut de iis postea supplendis ne cogitatum quidem esse videatur.

Quæres 8. an subdiaconatus eadem quoque ratione prætermissus, & tanquam non necessarius habitus fuerit.

Respondeo 1. non semel fuisse sine ulla reprehensione sive in decretis, sive in ipsis Ordinationibus prætermissum.

Ac 1. quidem aliquando solus ex omnibus Ordinibus prætermissus fuit : verbi gratia in synodo Sardicensi *can.* 10. juxta vulgatos codices. Sic Chrysostomus ex lectore diaconus factus esse perhibetur; non secus ac Eutychius patriarcha Constantinopolitanus *apud Metaphrasten*, *die*

die 6. Aprilis. Lectoratus autem apud Græcos minorum omnium locum tenet.

2. Una cum nonnullis minoribus alias est omissus. Ita Innocentius I. *epist.* 4. *cap.* 4. gradus ecclesiasticos recensens, ostiariatum, exorcistatum & subdiaconatum silet.

3. Quandoque cum omnibus sibi subjectis Ordinibus uno veluti saltu transmittitur. Synodus I. Bracarensis *cap.* 38. " Placuit ut ex laico „ ad gradum sacerdotii nemo veniat, nisi prius anno integro in offi- „ cio lectorum vel diaconatus disciplinam ecclesiasticam discat. " Optionem nempe permittit diaconatus vel lectoratus: atque adeo juxta hoc decretum poterat aliquis primo ac statim diaconus fieri, omissis omnibus reliquis inferioribus cleri Ordinibus. Sic Epiphanius ex laico diaconus est consecratus *apud Surium*, 12. *Maii*: sic Cæsarius *apud eundem*, 27. *Augusti*, illico primum diaconus, deinde presbyter ordinatus est.

Respondeo 2. memorari quidem aliquando cum aliis subdiaconatum, sed non ut necessarium: ita Zozimus *epist. ad Hesychium*, " Si, „ inquit, grandævus accesserit, ... sive inter lectores, sive inter exor- „ cistas quinquennio teneatur, acolythus vel subdiaconus quatuor an- „ nis. " Ita alterutrum sufficere satis innuit.

Respondeo 3. cum prætermissus olim esset ista ratione subdiaconatus, nunquam ut suppleretur imperatum esse, neque id sic ordinatis fuisse vitio versum.

Respondeo 4. consecutis temporibus, si quando transmissus esset, cautum esse diligenter ut suppleretur, ita tamen ut superior per saltum acceptus maneret illibatus, nec iteraretur. Ita enim monet Alexander II. *dist.* 52. cap. *Sollicitudo*; ubi, Sollicitudo, inquit, dilectionis tuæ „ studuit consulere utrum portator istarum litterarum diaconatus & „ presbyteratus officium idoneus sit peragere necne, cum ad id præ- „ postero cursu, subdiaconatus Ordine postposito, negligentia potius „ quam superbia cognoscatur ascendisse; unde nos consulendo charita- „ ti tuæ, mandamus ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, do- „ nec proximo quatuor temporum jejunio, subdiaconatus ministerium „ sibi recte imponas, & sic deinceps ad majora officia eum redire „ concedas.

Quæres 9. an eadem de diaconatu statuenda sint.

Respondeo ita videri.

1. enim diaconatus una cum minoribus aut omnibus aut nonnullis non semel olim omissus fuit. Ita Cyprianus, teste Pontio, presbyterium & sacerdotium statim accepit: Paulinus pariter videtur statim presbyter esse consecratus: ita quoque Augustinus, uti ex Possidio *cap.* 4. colligitur: eodem fere modo Basilius ex lectore factus est presbyter, quod in ipsius laudatione notat Gregorius Nazianzenus. Sic Martinus postquam exorcista extitisset tantum, ad eandem sacerdotii dignitatem eve-

evectus est, ut legitur *in ipsius vita apud Severum*. Hinc S. Thomas *in supplemento*, *quæst.* 35. *art.* 5. *in corpore*. " In primitiva Ecclesia, „ inquit, aliqui ordinabantur in presbyteros, qui prius inferiores Or- „ dines non susceperant, & tamen poterant omnia quæ inferiores Or- „ dines possunt: quia inferior potestas comprehenditur in superiori „ virtute, sicut sensus in intellectu: ...... sed postea per constitutio- „ nem Ecclesiæ determinatum est, quod ad majores se non ingerat, qui „ prius in minoribus officiis se non humiliaverit.

2. Non tantum aliquando prætermissus est diaconatus, sed etiam omitti posse indicat, ut videtur, synodus Bracarensis *supra*: optionem enim lectoratus aut diaconatus facit.

3. Qui illum transmiserant, ii nihilominus pro sanctis habiti sunt in Ecclesia.

4. Postea tamen summa religione decretum est, ut qui diaconatum transiliissent, ii sacrum hunc Ordinem reciperent, antequam sacerdotii muniis fungerentur.

Innocentius enim III. cap. *Unico*, de clerico per saltum promoto: " „ Mandamus, inquit, quatenus condignam pœnitentiam pro hujusmo- „ di negligentia injungas eidem, qua peracta ..... ipsum in diaconum „ ordinare procures, & sic de misericordia eundem ministrare permit- „ tas in Ordine sacerdotis. " Hinc Halduinus cum ab Ebbone deposito præter Ecclesiæ regulas in diaconum ordinatus fuisset, & postea a Lupo Catalaunensi in presbyterum consecratus, quod saltu sine gradu diaconii ad sacerdotium prosiliisset, in degradationem debitam jussus est resilire a synodo Suessionensi II.

Inde denique est quod Hildebertus Cenomanensis *epist.* 14. cum super aliquo sacerdote fuisset consultus, qui diaconus per simoniam factus fuerat, & postea ad sacerdotium fuerat promotus, " A sacerdotio, inquit, „ canonica eum suspendit auctoritas, quo vel nondum vel male factus „ diaconus evolavit " &c.

Ex quibus colligere quis potest illicitam quidem esse hujusmodi per saltum Ordinationem, non tamen irritam & invalidam pronunciari.

QUÆRES 10. an contra presbyteratus ita necessario prævius esse debeat episcopatui, ut hic sine illo nullus futurus sit.

RESPONDEO ita esse:

Primo enim id indicant dicta sanctorum Patrum.

Præsules enim Sardicenses apud Theodoretum *lib.* 2. *cap.* 8. cum Ischyras, qui presbyter non erat, postmodum ab Arianis, in præmium calumniæ Athanasio factæ, episcopus creatus esset, ipsum non esse verum episcopum contendunt, eoque solo nomine irritam esse ejusmodi Ordinationem, quod nempe presbyter antea non extitisset.

Synodus Hierosolymitana apud Athanasium *apologia* 2. contra eundum Ischy-

Ischyram disputans, " Eum, inquit, qui presbyter non esset contra an-
„ tiquam traditionem episcopum nominare conati sunt.

Episcopi pariter Ægyptii & clerus Alexandrinus *in litteris pro concilio Chalcedonensi*, *parte* 3. Timothei Æluri Ordinationem eo maxime nullam esse affirmant, quod episcopus sine manus impositione extiterit, sed neque priorem habens presbyteratus Ordinem, Baptisma solemne ut episcopus fecerit.

Secundo idem probat constans ac generalis omnium ecclesiarum usus: nullus enim unquam in episcopum inauguratus est, quin prius Ordinem presbyteralem suscepisset.

Tertio accedit ratio multiplex.

PRIMÀ est, quod episcopus non sit aliud, ut vulgo loquuntur veteres, quam summus sacerdos. Episcopatus itaque fastigium & apicem sacerdotii obtinet, presbyteratus autem est illius veluti fundamentum: at fastigium sine fundamento consistere non potest.

SECUNDA est, quod presbyteratus conferat potestatem conficiendi corporis Christi: at absurdum esset aliquem episcopum cogitare, qui hujusce potestatis expers esset quam ipse daret.

TERTIA est, quod potestas in corpus Christi mysticum videatur necessario supponere potestatem in corpus Christi naturale, eo nempe modo quo ipsum corpus Christi mysticum, Ecclesia scilicet, supponit corpus Christi naturale, seu Christum. Ut ergo Ecclesia nulla est sine Christo; ita nulla esse potest jurisdictio in Ecclesiam, sine ea conficiendi corporis Christi facultate, ac proinde nullus esse potest episcopus quin antea presbyter sit consecratus.

OBJICIES. Photius id olim exprobrabat Ecclesiæ Romanæ quod nimirum apud ipsam diaconi non suscepto presbyteratu in episcopos consecrarentur, ut refert Nicolaus I. *epist.* 70. *ad episcopos Gallos*, *tom.* 8. *Concil.* " Quin & reprehendere satagunt (Græci) inquit,
„ quod diaconus non sucepto presbyteratus officio apud nos episco-
„ pus ordinatur. " de quo insuper consuli potest Flodoardus *lib.* 3. *cap.* 17. Ergo &c.

DISTINGUO antecedens: Photius id exprobravit Ecclesiæ Romanæ, hac in parte hallucinatus aut ei imponens; concedo: secus; nego. Quod enim mera hæc calumnia esset, id aperte colligitur ex Ratramno Corbejensi *in responsione ad objecta Græcorum*. Cum enim horum criminationes Nicolaus I. ad Gallos misisset, eos hortans ut Romanæ Ecclesiæ suppetias ferrent, has inter alios diluendas suscepit Ratramus Corbejensis. Istam vero nominatim excutiens *lib.* 4. *cap.* 8. " Sed,
„ inquit, criminantur istud falso, quod arguunt levitas episcopos fieri,
„ presbyterii gradu non prius accepto, non reputantes quod in cæteris
„ sibi demant auctoritatem fidei, quandoquidem in istis tam evidenter
„ mentiuntur. " Patens ergo ac manifestum erat illud mendacium,

te-

teste Ratramno, qui rem illam ut sibi perspectam tradit & affirmat. Neque vero mirum est in eo aut falsum esse aut Romanis imposuisse Photium, quandoquidem & non pauca alia a veritate aliena ipsis objecit; v. g. quod " Chrisma ex aqua fluminis conficerent; quodque „ agnum in Pascha more Judæorum super altare pariter cum dominico corpore benedicerent & offerrent. " Quidni ergo & in alio capite erraverit aut calumniatus fuerit?

Cæterum hac ipsa Photii criminatione & Ratramni responsione mirum in modum confirmatur nostra assertio: inde enim liquet juxta Græcos & Latinos episcopatum prætermisso presbyteratu conferri non potuisse.

Instabis 1. Æneas, Parisiensis antistes, qui eodem quo Ratramnus tempore Græcis respondit, factum non diffitetur. In ipsa enim præfatione recensens quid objicerent, " Opponunt ...... inquit, quare diaconus, „ nondum suscepto presbyteratus officio, in episcopum ordinatur, ut „ mos est aliquando. " In ipso autem decursu disputationis *objectione* „ 7. De hoc autem, inquit, quod quæritur quare apud Romam ple- „ rumque diaconus quodam saltu, non percepta presbyterali benedi- „ ctione, in Episcopum subito consecretur " &c. Ergo non imponebat Photius.

Distinguo antecedens: Æneas dubitanter, ac de re sibi non comperta loquens; concedo: secus; nego. Itaque longe potior habenda est Ratramno fides quam Æneæ Parisiensi: 1. enim hic altero quidem dignitate superior erat; sed non eruditione ac doctrina: 2. Æneas dubitanter loquitur, remque illam sibi non fuisse exploratam confitetur: " „ Dicendum, inquit, simplicitatis affectu, quia deperit rationalis res- „ ponsio; ..... cum illa quæ ignorat, depromere sermo veridicus „ pudice refugiat. .... Vultu tamen suppresso ...... credendum „ quod forte illi, qui istiusce Ordinationi consentiunt, hoc intelligi „ velint, quia qui benedictione pontificali perfungitur, reliquarum „ benedictionum honore decoretur ..... Forsitan autem illi .... as- „ sertioni B. Hieronymi ..... ex parte concredere videntur, qui of- „ ficium presbyteri in aliquo comparticipari affirmat ministerio episco- „ pali. " Atque adeo rem istam non exploraverat Æneas, & dubitanter admodum ille differit. At alia ex parte Ratramnus hac de re, ut sibi omnino comperta & explorata, disputat. Itaque dubium esse non potest quin major hujus quam alterius apud omnes debeat esse auctoritas.

Instabis 2. Romanæ Ecclesiæ leges e diaconis aut presbyteris episcopos fieri concedebant: sic enim Leo *epist.* 88. definit: sic & Urbanus II. in synodo Placentina *dist.* 6. cap. *Nullus*, " Nullus, inquit, in epis- „ copum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inven- „ tus: sacros autem Ordines dicimus diaconatum & presbyteratum " &c. Ergo presbyteratus Ordo aliquando prætermittebatur.

Distinguo antecedens: e diaconis episcopos fieri, id est, eligi; con-

concedo : id eſt, conſecrari ; ſubdiſtinguo : mediate ; concedo : immediate & prætermiſſo presbyteratus Ordine ; nego. Quapropter hæc loquendi ratio nihil aliud ſignificat quam ſtatum e quo poſſit aſſumi aliquis in epiſcopum : hinc Urbanus II. hanc ipſam *electionis* vocem uſurpat. Id vero non evincit omiſſum fuiſſe presbyteratum. Itaque dicitur aliquis factus e diacono Epiſcopus, quemadmodum multi olim dicti ſunt e laicis facti Epiſcopi : Conſtantinus v. gr. apoſtolicæ ſedis invaſor, Photius Conſtantinopolitanæ, & alii. Vide Gregorium-magnum *epiſt.* 113. *lib.* 7. Nicolaum I. *epiſt.* 70. Atqui illi qui dicuntur ex laicis facti Epiſcopi, non idcirco cunctos putandi ſunt Ordines prætermiſiſſe, ſoloque donati eſſe Epiſcopali: Photius enim v. gr. ut refert Nicetas *in vita Ignatii*, primo die monachus, ſecundo lector, tertio ſubdiaconus, quarto diaconus, quinto presbyter, ſexto epiſcopus conſecratus fuit : idem de Conſtantino antipapa legitur apud Anaſtaſium bibliothecarium & Ciaconium. Ergo pariter diaconi cum in Epiſcopos eligebantur, Ordinem presbyteratus, qui juxta Eccleſiæ leges præire debet epiſcopatui, ſuſcipiebant antequam ſummo ſacerdotio initiarentur.

Instabis 2. In antiquis Romanæ Eccleſiæ ritualibus, eadem exhibetur conſecratio illius qui ex diacono, & illius qui ex presbytero in epiſcopum fuerat electus, ut videre eſt apud Mabillonium *tom.* 2. *Muſei Italici pag.* 85. & in ipſa præfat. *cap.* 16. *pag.* 108. & apud Martenium *pag.* 337.

Distinguo antecedens : eadem exhibetur conſecratio Epiſcopalis ; concedo : ſecus ; nego. Libri itaque iſti rituales eam duntaxat eo loci formulam ac rationem exhibent qua Epiſcopi conſecrabantur : eadem porro ratione Epiſcopi conſecrabantur utrique : conſecratio enim illa quatenus epiſcopalis erat, diverſa non fuit ; ſed ante hanc conſecrationem Epiſcopalem quæ ſola refertur, in gratiam eorum qui diaconi tantum erant, cum eligerentur, celebrabatur Ordinatio presbyteralis ; una enim alteram non excludit, ſed poſtulat potius ac requirit. Quod autem eam non excluderet, multa ſunt quæ perſuadeant.

Primum quod ſi mos iſte aliquando viguerit, is ſane Romæ peculiaris ac proprius foret, ut ex Photio, Ratramno & Ænea Pariſienſi liquet. Atqui ſunt tamen alii rituales quam Romani, qui idem omnino habeant, v. gr. Lugdunenſis & Tharentaſienſis apud Martenium *pag.* 508. eandem enim tradunt conſecrationem tam eorum videlicet qui diaconi, quam aliorum qui presbyteri electi fuiſſent. Ergo cum libri iſti rituales apud alias Eccleſias excludere non cenſeantur presbyteratus Ordinem, ab iis ſuſcipiendum qui ſolummodo diaconi forent, nec eum excludere cenſendi ſunt Romani.

Se-

Secundum est, Quod eadem exhibeatur consecrationis formula, etiam pro iis qui diaconi non essent : poterant enim Episcopi eligi ex aliis etiam Ordinibus, imo & ex laicis, ut colligitur ex Pontificali Romano Venetiis edito anno 1582. & ex ipsomet rituali Romano quod Mabillonius & Martenius exhibent, & ex altero apud Martenium *pag.* 495. Atqui nemo dixerit iis temporibus in episcopos fuisse consecratos eos qui laici forent, aut in minoribus constituti Ordinibus, prætermissis omnibus omnino Ordinibus, nec prius suscepto saltem diaconatu ; id enim inauditum est, & nedum exemplis firmari possit, multa contra afferri queunt. Ergo si rituales illi non excludunt diaconatum aut alios Ordines, profecto nec excludere putandi sunt presbyteratum.

Tertium est, Quod ipsimet rituales aliquando mentionem faciant de hac presbyterali Ordinatione episcopatui præmissa, cum eam nempe usus exigebat : sic v. gr. Pontificale Lugdunense apud eundem Martenium *pag.* 505. " Interroget, inquit, Metropolitanus (electum:) Quo „ honore fungeris? Respondeat electus : Presbyteratus, vel taliter. „ Interroget Metropolitanus : Quot annos habes in presbyteratu? „ Respondeat electus : Decem, vel tot. Si vero forsan ipsa die „ vel infra breve spatium fuerit ab eo in presbyterum ordinatus : „ respondeat : Tu scis, domine " &c. Ergo qui, cum eligerentur, nondum erant presbyteri, ii a Metropolitano aut eadem die aut paulo ante in presbyteros inaugurabantur, antequam episcopali consecratione donarentur.

Quartum est, Quod usus paulo obscuriora ritualium verba explicet, eorumque defectum suppleat. Nam plurima sunt exempla episcoporum, qui e diaconis electi fuerint ad hunc sacerdotii apicem : quamvis autem vulgo scriptores non exponant qua ratione illi in episcopos a summis Pontificibus consecrati fuerint, attamen nonnulli accuratiores hunc usum nos docuerunt : sic v. gr. cum Alphanus diaconus in præsulem Salernitanæ urbis electus fuisset & ad Stephanum Papam IX. accessisset, eum summus Pontifex " In jejuniis Martii primo presbyterum, „ deinde sequenti dominica archiepiscopum consecrans, cum honore „ Salernum remisit, " ut totidem verbis narrat Leo Marsicanus Episcopus Ostiensis *lib.* 2. *cap.* 99. sic Gregorius VII. Hugonem Diensem antistitem ex diacono ordinavit. At qua ratione? indicat Hu„ go Flaviniacensis *lib.* 2. " In quadragesima, inquit, sabbato in „ presbyterum, & sequenti dominica ad missas in Episcopum con„ secratus est. " Ergo diaconi in presbyteros primo, ac deinde in Episcopos consecrabantur. Nemo autem potest dubitare quin summi illi Pontifices Ecclesiæ suæ usum ac libros rituales secuti fuerint : ac proinde is erat mos Ecclesiæ Romanæ, nec aliud præscribere existimandi sunt libri rituales.

INSTABIS 4. Qui diaconi electi fuerant, ii in ipsa proclamatione, quæ fiebat inter consecrationis Episcopalis solemnia, adhuc *diaconi* nominabantur: sic *in Ordine Romano* apud Mabillonium *supra*, & Martenium *pag.* 340. " Clerus, inquit summus Pontifex jam jam electum " consecraturus, & plebs consentiens civitatis N. elegerunt sibi illum " N. diaconum vel presbyterum episcopum consecrari. " Ergo etiam tum erat diaconus, ac proinde ex diacono episcopus immediate consecrabatur.

DISTINGUO antecedens: in proclamatione quæ respicit ad statum in quo electus talis fuerat; concedo: quæ respicit ad statum in quo tum temporis erat inter ipsa consecrationis Episcopalis solemnia; nego. Nempe hæc proclamatio erat decretum ipsum electionis quod tum recitabatur, aut ipsius repetitio: cum ergo in decreto electionis *diaconus* esset nominatus, non mirum quod etiam tunc *diaconus* appelletur. Sed id non arguit hunc electum non fuisse deinceps in presbyterum paulo ante consecratum. Jam vero presbyterum inter ipsa consecrationis solemnia ipsum extitisse, cum ex multis aliis momentis, tum ex eo colligimus, quod in omnibus ritualibus libris, quando Episcopi testantur electum esse episcopatu dignum, quod fiebat inter eadem consecrationis solemnia, eum semper *presbyterum* vocent. Vide Martenium *pag.* 411. 441. *&c.*

INSTABIS 5. Ipsi summi Pontifices aliquando ex diaconis creabantur, quod cum pluribus exemplis probare in promptu est, tum insuper sancitum est in synodo Romana sub Stephano IV. post Constantini antipapæ depositionem, " Ne ullus, inquit *synodus*, unquam laico" rum neque ex alio ordine præsumat, *nisi per distinctos* gradus as" cendens, diaconus aut presbyter factus fuerit cardinalis, ad sacrum " Pontificatus Ordinem possit promoveri. " Ergo poterant ex utroque Ordine Pontifices consecrari.

DISTINGUO antecedens: ex diaconis creabantur, id est, eligebantur; concedo: id est consecrabantur non interposito presbyteratu; nego. Fatemur quidem ex diaconis sæpe creatos esse summos Pontifices: sed eo jam controversia redit, quo tandem pacto deinceps consecrarentur; an nempe presbyteratum omitterent, an contra susciperent. Eo autem initiari solitos esse contendimus, antequam in episcopos ac Pontifices inaugurarentur. Ne vero id gratis asserere aut comminisci videamur, duo instar omnium a nobis exempla proferentur.

PRIMUM est Gregorii VII. qui cum Ecclesiæ Romanæ archidiaconus esset, ad summum pontificatum evectus fuit. Jam vero si consulantur acta ipsius consecrationis apud Baronium *anno* 1073. *num.* 28. statim apparebit eum primo in presbyterum, deinde vero seorsim in episcopum esse consecratum: id enim conceptis verbis affirmat vetustissimus actorum illorum auctor. Hinc etiam Ordericus Vitalis *lib.* 7. *histo-*

floriæ, de ipso loquens, " Per singulos, inquit, gradus ecclesiasticorum " Ordinum usque ad summi pontificatus apicem ascendit : " ergo presbyteratum non neglexit.

ALTERUM est Gelasii II. qui ex diacono electus est : de eo autem loquens Petrus diaconus *Chronici Cassinensis lib.* 4. *cap.* 64. " In quadragesima, inquit, presbyter ordinatus, postea ab episcopis & cardinalibus in papam consecratus est.

Et vero quomodo juxta leges ordinarias illorum temporum ex diaconis duntaxat aut presbyteris cardinalibus pontifices assumebantur ; sic postea permissum est ut etiam e subdiaconis aut laicis crearentur. Subdiaconus enim eligi posse in præsules definit Innocentius III. *cap. A multis*, de ætate & qualitate præficiendorum : de laicis vero ita decernit pontificale Romanum anno 1582. Venetiis editum apud Martenium *pag.* 267. " Si forte, inquit, electus in papam esset merus laicus; nam " & laicus eligi potest, dummodo sit christianus & catholicus. " An vero qui electi erant subdiaconi aut laici, idcirco censebuntur omisisse eos Ordines quibus carebant & solo contenti fuisse episcopatu ? minime sane. Præter quam quod enim de laicis res manifesta est exemplo Constantini invasoris & Benedicti II. idem pontificale de laico sic electo loquens, " Accipiat, inquit, primam tonsuram, . . . minores Ordines " &c. ergo multo minus alii, hoc est diaconi, presbyteratum transiliisse putandi sunt.

INSTABIS 6. Constantinus sedis apostolicæ invasor, post mortem Pauli pontificis presbyteratum non suscepit : Anastasius enim bibliothecarius accurate recensens, quibus Ordinibus initiatus fuerit, clericatum quidem, subdiaconatum, diaconatum & pontificatum appellat, sed presbyteratum omittit. Atqui verisimile est hunc Constantinum, qui subdiaconatum & diaconatum susceperat, presbyteratus Ordinem non fuisse neglecturum, si necessarius ille extitisset. Ergo necessarius non erat.

RESPONDEO 1. nobis curæ non esse quid ille Constantinus sacrilegus fecerit, cum longe plura alia sint in ipso reprehendenda.

RESPONDEO 2. vel Anastasii vel amanuensium vitio *presbyteratus* nomen forte fuisse omissum. Certe Ciaconius, qui vitas Pontificum scripsit, affirmat Constantinum hunc eadem die diaconatu ac presbyteratu fuisse donatum.

QUÆRES 1. an bigami a sacris quoque Ordinibus arcerentur.

RESPONDEO ita esse : eo autem nomine non intelligi solum eos qui ad secundas nuptias transiissent, sed etiam qui viduas aut non bonæ notæ mulieres duxissent in matrimonium.

Paulus Apostolus 1. Tim. 3. 2. *Oportet*, inquit, *episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*.

Canon apostolicus 17. " Qui viduam, inquit, accepit, vel ejectam, " vel meretricem, vel servam, vel mimam, seu scenicam, non potest " esse

„ esse presbyter, vel episcopus, vel diaconus, vel omnino ex numero „ sacerdotali.

Gelasius *supra*, " Inquiratur, inquit, ... si secundam non habuit „ fortassis uxorem, nec a marito relictam.

Concilium Toletanum IV. *capitulo* 19. inter eos qui ordinari non debent, enumerat illos " Qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti „ sunt, ... qui viduam vel a marito relictam duxerunt, aut corru„ ptarum mariti fuerunt.

Gregorius-magnus itidem *supra* : " Nec bigamum, inquit, aut qui „ virginem non est sortitus uxorem ..... audeas promovere.

Idem Egbertus Eboracensis tradit.

ARTICULUS V.

De defectu vocationis.

QUÆRES an vocatio necessaria sit.

RESPONDEO ita esse: illud enim indicant varia Scripturæ loca. Jerem. 23. 21. *Non mittebam prophetas*, inquit Deus, *& ipsi currebant : non loquebar ad eos & ipsi prophetabant.*

Osee 8. 4. *Ipsi*, inquit, *regnaverunt, & non ex me : principes extiterunt, & non cognovi.*

Joannis 10. 1. *Amen, amen dico vobis*, inquit Christus, *qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro .... Ego sum ostium &c.*

Joannis 15. 16. *Non vos*, inquit ad Apostolos Christus, *me elegistis, sed ego elegi vos.*

Ad Hebræos 5. 4. *Nec quisquam*, inquit Paulus, *sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron : sic & Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te; quemadmodum & in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, &c.*

Accedunt innumera Patrum testimonia : de quibus consule, qui ista ex professo pertractant.

QUÆ-

QUÆSTIO OCTAVA.

De ritibus inter ordinandum adhiberi solitis.

TRIA duntaxat hic attingemus, & quidem paucis, locum nempe, ac tempus Ordinationis, nec non & interstitia inter Ordines servanda, quia nempe singulos ritus accuratius describere ad secundam operis nostri partem pertinet, in qua de omnibus speciatim Ordinibus disputabitur.

ARTICULUS PRIMUS.

De loco ac tempore quo sacræ Ordinationes fieri debeant.

QUÆRES 1. an peragi debeant in loco sacro.

RESPONDEO ita esse de majoribus Ordinibus, quippe qui conferri non possint nisi intra missarum solemnia.

RESPONDEO 2. par esse, ut idem erga minores Ordines ac tonsuram servetur : posse tamen extra locum sacrum conferri ; quod usus satis arguit, & docet pontificale Romanum, ajens tonsuram & minores Ordines quocunque loco, ubicunque posse conferri.

QUÆRES 2. an conferri debeant in loco publico, media in ecclesia, & frequenti fidelium conventu.

RESPONDEO id in more semper positum fuisse, & etiamnum esse servandum.

1. Enim Mathias Apostolus ea ratione electus fuisse memoratur *Actorum* 1.

2. Cyprianus *epist.* 68. *Pamel.* " Coram omni synagoga, inquit, jubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit & ostendit Ordinationes sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere.

3. Theophilus Alexandrinus *in Commonitorio cap.* 6. " Pontifex, inquit, ordinet in media ecclesia.

4. Concilium Tridentinum *sess.* 23. *de reformatione*, *cap.* 8. " Ordi-

„ nationes, inquit, in ecclesia cathedrali, vocatis præsentibus ad id ec-
„ clesiæ canonicis, publice celebrentur : si autem in alio diœcesis Lo-
„ co, præsente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia sem-
„ per adeatur.

Quæres 3. qua in parte Ecclesiæ Ordines olim conferrentur.

Respondeo 1. hunc esse constantem Ecclesiæ Græcæ usum, ut majores quidem Ordines, id est episcopatus, presbyteratus & diaconatus intra sanctuarium, alii vero omnes inferiores extra sanctuarium conferantur, uti ex antiquis scriptoribus & euchologiis ostendit non semel Morinus.

Respondeo 2. eandem olim extitisse in Ecclesia Latina consuetudinem. Amalarius enim *lib. 2. de divinis officiis cap. 6.* ubi causam attulit, cur Apostolus de inferioribus Ordinibus mentionem non fecerit; " Unde, inquit, nec Ordinationem ante altare assequuntur, nec my-
„ steriis statuuntur. " Tum adducto ad id probandum quodam Ambrosii loco, " Juxta verba Ambrosii, inquit, intelligimus subjectos Ordi-
„ nes diacono & presbytero, non debere Ordinationem accipere circa
„ altaria.

Quæres 4. an celebrari possint in aliena diœcesi.

Respondeo 1. in Ecclesia Græca non potuisse majores Ordines ita conferri; potuisse tamen lectoratum, ac forte etiam subdiaconatum : de quo consule concilium Antioch. *can. 22.* & Balzam. *ad canonem apostolicum.*

Respondeo 2. nullatenus id licere in Ecclesia Latina, nisi rogatu aut concessione proprii episcopi : id enim omnino canones vetant.

Quæres 5. quæ pœna sit hisce Ordinationibus addicta.

Respondeo 1. juxta canonem apostolicum 35. ordinantem & ordinatum deponi oportuisse : 2. juxta synodum Antiochenam *supra*, irritam esse Ordinationem, & episcopum qui illa functus est, synodi arbitrio esse puniendum : 3. juxta Tridentinam *sessione 6. cap. 5. de reformatione*, Ordinante ab exercitio pontificalium, ordinatum ab executione Ordinum ipso jure esse suspensos. " Nulli E-
„ piscopo, inquit, liceat cu jusvis privilegii prætextu pontificalia in
„ alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licen-
„ tia : ..... si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio ponti-
„ ficalium, & sic ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure
„ suspensi.

Quæres 6. quo tempore celebrandæ sint Ordinationes.

Respondeo 1. non videri certum ullum tempus ab Apostolis fuisse observatum : verisimile autem est eos pro ecclesiarum necessitate aut opportunitate temporis, ut usus postulabat, ubique passim ministros con-

conſtituiſſe. Neque enim has moras aut ſtatos dies ferebant Apoſtolorum non in uno loco diu commorantium conditio, aut prima hæc religionis noſtræ incunabula.

Respondeo 2. ab ipſis aut proximis ſaltem eorum ſucceſſoribus inſtitutum videri, ut Ordinationes non niſi per ſolemnes jejunii dies, ac potiſſimum menſe Decembri, peragerentur.

1. Enim omnes antiqui pontifices Romani ſolo hoc tempore Ordinationes habuiſſe memorantur, ut ex eorum vitis liquet, & animadvertit Amalarius *libro* 2. *de officiis eccleſiaſticis capit.* 1. " Primi apoſtolici, inquit, ſemper in Decembris menſe conſecrationes miniſtrabant uſque ad Simplicium, qui fuit a Beato Petro quadrageſimus nonus. " Cur autem illi tam religioſe huic tempori adhæſerunt, niſi quod ab Apoſtolis eccleſiæ ſuæ conditoribus id accepiſſent?

2. Sanctus Leo *epiſtola* 84. *ad Martianum Auguſtum* arguit Anatolium Conſtantinopolitanum, quod ordinaſſet quoſdam " Sexta ſabbati, traditionis apoſtolicæ aut neſcius aut oblitus: " ac proinde aliquam circa tempus Ordinationis Apoſtolorum traditionem eſſe agnoſcebat.

3. Ivo Carnotenſis *epiſtola* 58. " Apoſtolica inſtitutio, inquit, & paterni canones habent, ut non fiat levitica vel ſacerdotalis Ordinatio niſi jejunio quarti menſis, ſeptimi, aut decimi, aut initio quadrageſimæ, vel ſabbato medianæ quadrageſimæ.

Respondeo 3. ſimul aut potius deinceps invaluiſſe ut quatuor anni cujuslibet temporibus, in jejunio videlicet menſis quarti, ſeptimi & decimi, nec non & ineuntis quadrageſimæ celebrarentur, idque ſabbato ad veſperam, aut die dominica ſummo mane.

Sanctus Leo *epiſt.* 4. *ad Anaſtaſium Theſſalon.* " Cognovimus, inquit, a quibuſdam fratribus ſolos epiſcopos tantum diebus dominicis ordinari, presbyteros vero & diaconos, circa quos par conſecratio fieri debet, paſſim quolibet die . . . . quod contra canones & traditionem Patrum uſurpatio corrigenda committit. " *Epiſt.* 10. " Non paſſim, inquit, ſed die legitimo Ordinatio celebretur, ... ſabbati veſpere quod luceſcit in prima ſabbati, vel ipſo die dominico. Solum enim majores noſtri reſurrectionis dominicæ diem hoc honore dignum judicaverunt. " *Epiſtol.* 11. " Poſt diem ſabbati, inquit, ejus noctis quæ in prima ſabbati luceſcit exordia deligantur, in quibus his qui conſecrandi ſunt jejunis, & a jejunantibus ſacra benedictio conferatur: quod ejuſdem obſervantiæ erit, ſi mane ipſo dominico die, continuato ſabbati jejunio celebretur, a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt . . . . . . His qui conſecrandi ſunt nunquam benedictio niſi

" in

„ in die resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui a vespera sabbati ini-
„ tium constat ascribi.

Gelasius *epist.* 9. *cap.* 11. " Ordinationes, inquit presbyterorum,
„ & diaconorum, nisi certis temporibus, & diebus exerceri non de-
„ bent, id est quarti mensis jejunio, septimi & decimi, sed & etiam
„ quadragesimalis initii, ac mediana quadragesimæ die, sabbati jeju-
„ nio circa vesperam noverint celebrandas.

Idem habet Gregorii *Sacramentarium*, & plerique omnes pontificales libri: de quo Menardus *pagina* 271. & Martenius *pagina* 271.

Adjunge 1. Gregorium II. qui *epist. ad Clerum & populum Thuringiæ* Gelasii verba consectatur: 2. Zachariam *epist.* 12. 3. Concilium Romanum sub eodem, anno 743. *can.* 11. ubi idem sancitur: 4. Paulum diaconum qui de Chrodegango episcopo Metensi loquens, dies sabbatorum & quaterna anni tempora commemorat. 5. scriptorem vitæ Adalberonis, ipsius successoris, qui stata jejuniorum sabbata: 6. Egbertum qui *can.* 97. quatuor temporum sabbata: 7. gesta sanctorum Rothonensium *lib.* 2. *cap.* 3. quæ diem dominicam: 8. Concilium Rothomagense anni 1072. *can.* 8. quod vesperam post diem sabbati vel diem dominicam mane: 9. Urbanum II. qui in Concilio Claromontano quatuor tempora ac vesperam sabbati, vel (quod magis optat) perseverante jejunio dominicam: 10. Ivonem Carnotensem qui mensem quartum, septimum, decimum, quadragesimam ineuntem, & hebdomadam quadragesimæ medianam, atque in his sabbatum: 11. Rupertum, qui *libro de divinis officiis*, *cap.* 8. dominicam diem, vel ineunte post sabbatum nocte, vel sequenti luce summo mane: 12. synodum Dalmatiæ anni 1191. quæ quatuor tempora: 13. Lemovicensem, quæ itidem quatuor tempora ac sabbatum, aut dominicam sacris Ordinationibus assignant.

Ex quibus perspicuum est 1. solam diem dominicam fuisse sacris Ordinationibus olim addictam: 2. cum dominica dies a sabbati vespera inchoaretur, potuisse illas aut nocte ineunte aut sequenti mane celebrari: 3. matutinum tamen tempus vesperæ quondam fuisse antepositum: sabbatum vero, quo sacræ illæ Ordinationes peragebantur, dicebantur, esse duodecim lectionum, quia nimirum ea die ad aliquam Ecclesiam procedebatur, in qua duodecim lectiones recitabantur; de quo Martenius *supra*.

Respondeo 4. his quatuor temporum statis jejuniis adjectam esse mediam quadragesimæ hebdomadam, quæ ante Passionis dominicam occurrit: eam enim conceptis verbis recensent Gelasius *supra*, Pelagius I. *epist. ad Laurentium Centumcell.* Gregorius *supra*, Urbanus II. Ivo, & vita Ludovici-grossi, ubi de Sugerio Abbate Sandionysiano.

Res-

RESPONDEO 5. postremis ætatibus ad hæc Ordinationum tempora sabbati sancti diem accessisse: de quo Alexander III. decretalium *lib.* 1. *tit.* 11. *cap.* 3. de tempore Ordinat.

RESPONDEO 6. easdem nunc vigere leges, quas firmavit Concilium Tridentinum. *Sessione* enim 23. *cap.* 8. " Ordinationes, inquit, sacrorum Ordinum statutis a jure temporibus publice celebrentur.

Verum illud est discriminis quod eæ jam sabbato solo, & quidem matutinis horis, celebrentur; at idem quod olim, sacrum officium est, quod, ut alias, ita nunc anticipatur.

QUÆRES 7. an non a summo Pontifice facultas concedi possit, ut extra tempora Ordinatio celebretur.

RESPONDEO ita esse: quod usu quotidiano comprobatur. Et vero id concessit olim Bonifacio Zacharias papa *epist.* 12.

QUÆRES 8. an episcopatus eadem sit ratio.

RESPONDEO episcopatum posse quolibet tempore conferri, modo id fiat die dominico aut solemni. Hinc Leo *epist.* 4. *supra*, conqueritur quod soli Episcopi die dominica consecrarentur a nonnullis. Egbertus *in excerptionibus can.* 96. *tom.* 5 *Concil.* " Episcoporum, inquit, Ordinationes fieri oportet dominicis diebus, non in agris vel in villulis, sed in urbibus præcipuis, pro tanti nominis dignitate. " Civitatem propriam assignat Concilium Romanum III. sub Bonifacio II. & Aurelianense IV. *can.* 5. Metropolitanam alii, quod in provincia Turonensi non ita pridem adhuc obtinebat. De tempore insuper adi Gratianum *dist.* 75. *cap.* 1.

QUÆRES 9. qua die subdiaconatus conferatur.

RESPONDEO 1. subdiaconatum olim, non secus ac minores quibus accensebatur, potuisse quolibet tempore conferri, modo dies esset dominica aut solemnis. Nam solos majores ac nominatim presbyteratum & diaconatum quatuor anni temporibus ac solemnibus jejuniis attribuunt antiqui.

RESPONDEO 2. subdiaconorum Ordinationem fuisse alligatam statis quatuor anni temporum jejuniis, perinde ac majores Ordines a nongentis, & amplius annis, hoc est, etiam antequam in eorumdem majorum numerum relatus esset. Id enim ex priscis pontificalibus observat Martenius *pag.* 283.

RESPONDEO 3. id multo adhuc accuratius esse servatum ex quo inter majores Ordines est repositus. Synodus Dalmatica *can.* 2. " Prohibemus, inquit, ne aliquis Episcopus, nisi quatuor temporibus, ... aliquem ad sacros Ordines promovere præsumat: solus enim Romanus pontifex dominicis diebus subdiaconos ordinare potest.

Ex quo patet eam, quæ singulis episcopis olim inerat, potestatem con-

conferendi subdiaconatus qualibet dominica die, soli jam Romano pontifici esse servatam: quod etiam ait Alexander III. *lib.1. decretal. tit. 21. cap. 1.* "Subdiaconos, inquit, nulli nisi Romano pontifici liceat diebus do-„ minicis ordinare.

Quæres 10. quid de minoribus existimandum sit.

Respondeo 1. eos posse conferri extra quatuor anni tempora, modo dies dominica, aut solemnis, aut duplex adsit.

Ita quippe Alexander Tertius edicit *ut supra:* ubi enim prohibuit ne ab Episcopis subdiaconi diebus Dominicis ordinentur, " sic addit: Quamvis, inquit, minores Ordines his diebus ha-„ beant licentiam celebrandi. " Accedunt pontificales libri, & usus „ vulgaris.

Respondeo 2. debere eos matutinis horis conferri, nisi alia consuetudo vigeat, ut in Galliis ubi non infrequenter serotinis horis conferuntur pridie solemnis Ordinationis, ut sequenti luce majori cum facilitate, & apparatu superiores Ordines conferantur.

Quæres 11. an eædem sint de tonsura leges.

Respondeo posse eam fieri quolibet anni die & qua hora libuerit: de quo pontificale Romanum &c.

Quæres 12. an idem obtineat apud Græcos usus.

Respondeo non obtinere: quolibet enim tempore, & quavis passim die qua missa celebratur, imo etiam aliquando cum non celebratur, omnes Ordines conferunt, quod nos docent Euchologia.

Quæres 13. qua pœna afficiantur, qui extra fixa tempora sine dispensatione & venia ordinantur.

Respondeo suspensione multari, &, si officiis fungantur suspensi, irregularitate, de quo Alexander III. *supra cap. 2.* Urbanus III. *epist. ad Pisanum archiepiscopum*, Pius II. bulla *Cum ex sacrorum*, Sixtus V. bulla *Sanctum & salutare*.

ARTI-

ARTICULUS II.

De interstitiis inter Ordines servandis.

QUÆRES 1. an aliqua sint interstitia inter Ordines servanda.

RESPONDEO vetustissimas esse hac de re Ecclesiæ sanctiones.

1. enim synodus Sardicensis *cap.* 10. jubet singulos gradus sic decurri, ut uniuscujusque ministerium ordine peragatur, & in unoquoque clerici probentur, antequam ad superiores evehantur.

2. Idem decernunt Siricius *epistola* 1. Zozimus *epistola* 4. Gelasius *epist.* 9.

3. Innocentius I. *epist.* 4. *cap.* 5. " Tempora, inquit, a majori-„ bus constituta serventur; nec cito quilibet lector, cito acoly-„ thus, cito diaconus, cito sacerdos fiat, quia in minoribus of-„ ficiis, si diu perdurent, & vita eorum pariter, & obsequia com-„ probantur.

4. Hoc ipsum definiunt synodus Toletana IV. *canone* 19. VIII. generalis *canone* 5. Bracarensis *canone* 20. Aurelianensis III. *canone* 6. Arelatensis IV. *canone* 2. Gregorius Magnus *libro* 7. *epistola* 111. &c.

5. Qui aliter essent ordinati, eos aut acriter arguunt, aut etiam e gradibus suis dejiciendos esse pronunciant Adrianus Primus *epistola ad Constantinum & Irenem*, Nicolaus Primus *epistola* 1. Goffridus Vindocinensis *libro* 3. *epistola* 11. Hildebertus Cenomanensis *epistola* 9. 12. 13.

6. Denique synodus Tridentina idem sedulo observari præcipit, etiam in minoribus conferendis: Minores Ordines, inquit *sess.* 23. „ *cap.* 11. per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire ma-„ gis videatur, conferantur.

QUÆRES 2. qua de causa præcipites illas Ordinationes tantopere Patres exhorruerint.

RESPONDEO in causa fuisse primo excellentiam ipsam sacerdotii, quæ plane divina est: tum summam pietatem, prudentiam ac doctrinam quam postulat.

S. Ephrem *de sacerdotio* " Obstupesco, inquit, ad quæ soliti sunt „ quidam insipientium audere; qui temere ac impudenter sese conan-„ tur ingerere.

Sanctus Gregorius Nazianzenus, *orat.* 21. Heri, inquit, sacrilegi, „ hodie sacerdotes; heri profani, hodie sacrorum antistites; veteres „ vitio, pietate rudes ac recentes; discipuli simul & magistri pietatis „ creantur.

S. Hie-

S. Hieronymus *epist.* 4. *ad Rusticum*, " Ne miles antequam tyro, inquit, ne prius magister sis quam discipulus, " &c.

Similia vide apud Zozimum *epist.* 1. *cap.* 1. Nicolaum I. *epist.* 1. &c.

Quæres 3. quodnam sit illorum inter singulos Ordines interstitiorum spatium.

Respondeo 1. plures annos ante subdiaconatum exigi a Siricio, & Zozimo, canonibus Hibernicis ac Conciliis: in subdiaconatu autem annos quatuor aut quinque: in diaconatu alios quinque annos: in presbyteratu vero ante episcopatum decem circiter annos. Aliter hæc intervalla alii definiunt.

Respondeo 2. synodum Tridentinam non fixis minorum interstitiis, annum saltem integrum inter singulos majores præscripsisse *sess.* 23. *de reform. cap.* 11. & *seq.*

FINIS PRIMÆ PARTIS.

TRA-



TRACTATUS
DE
SACRAMENTO ORDINIS
PARS SECUNDA.
DE SINGULIS speciatim Ordinibus.



ALTERAM hanc operis nostri partem quinque Quæstionibus complectemur:
Prima erit de Episcopatu,
Secunda de Presbyteratu,
Tertia de Diaconatu,
Quarta de Subdiaconatu,
Quinta de Minoribus & Tonsura.

QUÆSTIO PRIMA.
De Episcopatu.

QUATUOR erunt Quæstionis istius Articuli.
Primus de nomine, essentia & existentia Episcopatus.

Se-

Secundus de ejuſdem proprietatibus, neceſſitate nimirum & excellentia.

Tertius de juriſdictione, officiis ac gradibus Epiſcopatus.

Quartus de miniſtro ac ritibus.

Quibus adnectetur brevis de Chorepiſcopis appendix.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine, eſſentia & exiſtentia Epiſcopatus.

SECTIO PRIMA.

De nomine Episcopi.

TAm acres hac ætate noſtra de Epiſcopatu & presbyteratu Catholicos inter & Calvinianos, concertationes extiterunt, ut ne nominibus quidem ipſis parcitum fuerit.

Itaque operæ pretium erit quid illa ſignificent paulo curioſius indagare.

Utrumque porro vocabulum propter affinitatem, & majoris perſpicuitatis gratia, conjungemus.

Epiſcopi vox origine Græca eſt, & *inſpectorem* ſonat; atque adeo tribuitur iis qui aliis invigilant aut rebus gerendis præficiuntur. Vide Beveregium *ad canon.* 1. *Apoſtol.* & Petavium *lib.* 2. *de hierarc. eccleſ. cap.* 5.

Ac 1. quidem Diis ipſis: Homerus *Iliadis lib.* 10. *v.* 55. Plutarchus *in Camillo*; Herodianus *lib.* 7. 2. ſummo apud Romanos Pontifici, quod Veſtalibus præpoſitus eſſet: Plutarchus *in Numa*: 3. iis apud Athenienſes magiſtratibus, qui cum poteſtate mittebantur in urbes aut provincias, ut rerum ſtatum inſpicerent & ordinarent: de quo Ariſtophanes *in avibus*, & ejus ſcholiaſtes *ibid.* Plutarchus *in Pericle*, Harpocration & Suidas. Hinc Cicero *lib.* 7. *epiſt.* 11. *ad Atticum*: " Ego, „ inquit, negotio præſum non turbulento: vult enim me Pompejus „ eſſe, quem tota Campania & maritima ora habeat *ἐπίσκοπον* ad „ quem delectus & ſumma negotii referatur. " 4. præfectis ludorum publicorum & agonum ſolemnium: Julius Pollux *lib.* 3. *cap.* 3. 5. iis qui pani & rebus cæteris venalibus præſunt: ita enim in jure civili uſurpatur.

Ab his manavit ad Chriſtianos illud vocabulum, ab iiſque attributum eſt

1. Ipſi Chriſto; 1. enim Petri 2. 25. *Epiſcopus animarum noſtrarum* appellatur.

2. Eccleſiæ Rectoribus: *Act.* 20. 28. *Philipp.* 1. 1. *Tim.* 3. 2. *ad Titum* 1. 7.

Quod

Quod quidem ita futurum prædixerant prophetæ juxta Græcos codices : *Isaiæ* enim 60. *versu* 17. ubi jam legimus. *Et ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos justitiam* : olim apud Septuaginta erat : *Constituam episcopos eorum in justitia, & diaconos eorum in fide* : & etiamnum est, *Dabo principes tuos in pace, & episcopos tuos in justitia* : de quo Clemens Romanus *epist.* 1. *num.* 42. Hieronymus *ad Isaiam.* Chrysostomus in sermone, *Quod Christus sit Deus* &c. sic & apud Hebræos olim extabat episcopus levitarum : *Nehemiæ* 11. 22.

Presbyteri nomen Græcum quoque est, & *Seniorem* significat ; atque adeo, si originem spectes ipsius, nomen est ætatis ; si autem usum, etiam dignitatis : cum enim senes multo rerum usu ac prudentia polleant, eo præ cæteris rerum administrationi sunt aptiores. Inde est quod Judæi suos habuerint *Zecanim* seu presbyteros ac seniores populi : *Exodi* 24. 11. *Danielis* 13. 34. *Judith* 6. 20. *Matth.* 21. 23. &c. Græci γερουσίαν suam, & Romani *senatum*, qui reipublicæ præesset. Ita etiam Galli & Itali dominos & principes *seniorum* nomine compellant.

A Judæis in Ecclesiam transiit ea vox ad eos, qui plebi dirigendæ præpositi essent, indicandos, *Act.* 14. 22. 15. 2. 1. *Tim.* 5. 17. *Tit.* 1. 5.

Jam ut propius ad nostrum institutum accedamus, breviter est dispiciendum I. quem sensum hæ duæ voces in Scripturis habeant ; II. qua ratione a primis Ecclesiæ doctoribus acceptæ fuerint ; III. quomodo nunc usurpentur.

Aut potius quia constat *Episcopi* nomen summis sacerdotibus, *presbyteri* vero inferioribus ex antiquissima consuetudine jam adhærere, videndum est duntaxat quis Scripturæ & vetustiorum Patrum usus fuerit.

CAPUT PRIMUM.

Quo sensu EPISCOPI *nomen in Scripturis usurpetur.*

Difficultatem creant sex potissimum Scripturæ loca:

Primum *Act. cap.* 20. 17. ibi enim, ut Lucas narrat, Paulus *A Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ*, τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας, *qui cum venissent ad eum, & simul essent, dixit eis* : ... . *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus-sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei*. Quinam autem erant illi plures ejusdem Ecclesiæ presbyteri qui *Episcopi* nominantur?

Secundum *ad Philippenses* 1. 1. illic quippe Apostolus sic scribit : *Paulus*, inquit, *& Timotheus, servi Jesu Christi, omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconibus*. An enim multi simul erant ejusdem urbis episcopi, an nulli erant presbyteri?

Tertium 1. *Tim.* 3. postquam enim Paulus a commate 2. ad 8. præcepta dedit episcopis, *Oportet ergo episcopum &c.* statim nulla interjecti gradus facta mentione ad diaconos progreditur: *Diaconos*, inquit, *similiter pudicos &c.*

Quartum ibid. cap. 4. 14. *Noli negligere gratiam*, inquit illic Apostolus, *quæ data est tibi .... cum impositione manuum presbyterii.* Quinam vero erant illi presbyteri, qui episcopis ipsis manus imponebant?

Quintum *ad Titum cap.* 1. 5. ubi nimirum dixit Apostolus se Titum reliquisse Cretæ *ut constitueret per civitates presbyteros*, tum quales illi esse deberent, describit: *Si quis* inquit, *sine crimine est*: denique illico sic pergit: *Oportet enim episcopum sine crimine esse.* Ac proinde iidem esse videntur, qui presbyteri simul & episcopi appellantur.

Sextum 1. *Petri cap.* 5. 1. ibi scilicet Apostolus *Seniores*, inquit, πρεσβυτέρους, *qui in vobis sunt obsecro consenior* συμπρεσβύτερος, *& testis Christi passionum... Pascite qui in vobis est, gregem Dei, providentes*, ἐπισκοποῦντες, *non coacte, sed spontanee &c.* Presbyteros enim alloquitur Petrus: eos tamen episcoporum munere fungi significat.

Cum ergo duplex sit Ordo sacerdotum: ac primus quidem eorum, quos *episcopos* nominamus; alter eorum qui jam dicuntur *presbyteri*, dubium esse posset an, ut hoc ævo, ita tunc hæ voces duæ suum quæque peculiarem Ordinem proprie ac distincte significaverint; an contra ambæ utrique Ordini fuerint communes; an saltem alterutra, & quænam, & quo pacto communis extiterit.

Ac de *Presbyteri* quidem nomine, quin commune fuerit utrique Ordini nullus videtur esse posse legitimus dubitandi locus, ut mox ostendemus.

De *Episcopi* autem vocabulo tres sunt veterum ac recentiorum sententiæ.

Prima est Theodoreti, qui putat *Episcopi* vocabulum iis proprium tunc extitisse quos *Presbyteros* nunc appellamus, eos autem quos *Episcoporum* nomine insignimus primi Ordinis antistites, tum temporis non *Episcopos*, sed *Apostolos* fuisse nominatos: sic enim mentem suam aperit *in* 1. *ad Tim. cap.* 3. " Eosdem, inquit, olim vocabant *Presbyteros* & *Episcopos*; eos autem qui nunc vocantur *Episcopi*, *Apostolos* " nominabant: procedente autem tempore *Apostolatus* nomen reliquerunt iis qui vere erant Apostoli; *Episcopatus* autem appellationem, " iis, qui olim dicebantur *Apostoli*, imposuerunt. Ita Philippensium " Apostolus erat Epaphroditus: ... ita Cretensium Titus, & Asianorum Timotheus Apostoli " &c. Ad eam quoque opinionem videtur accedere Beveregius *in can.* 2. *Apost.*

Secunda est Epiphanii qui *hæresi* 75. contra arbitratur *Episcopi* vocem iis esse duntaxat in Scriptura attributam, quos pro episcopis jam habemus, nunquam vero secundi ordinis rectoribus, quos presbyteros nuncupamus: ita ut hujus nominis idem, qui nunc est, semper usus fue-

fuerit. Epiphanii premunt vestigia Petavius *dissertat. Ecclesiast. lib.* 1. *cap.* 2. Beveregius *in vindiciis canonum Apost. lib.* 2. *cap.* 11. & Pearsonius *lib.* 2. *Vindiciarum Ignatianarum cap.* 13. *&c.*

Tertia tandem est Chrysostomi qui aliam prorsus viam iniens, sentit ambo hæc nomina *episcopi* scilicet & *presbyteri*, fuisse utrique ordini sacerdotum temporibus apostolicis communia, adeo ut, quemadmodum primarii antistites Ecclesiæ promiscue appellabantur aut *Episcopi* aut *Presbyteri*, sic etiam hoc utroque nomine donarentur secundarii: nomina enim ista confundi solita, & tam uni quam alteri ordini ex æquo fuisse simul attributa. Ita enim sententiam suam exponit *hom.* 1. *in Epist. ad Philipp.* quam Paulus episcopis ac diaconis inscribit, nulla mentione facta presbyterorum. " Quid hoc est? inquit, an unius civi-„ tatis multi erant episcopi? nequaquam: sed presbyteros isto nomi-„ ne appellavit. Tunc enim nomina adhuc erant communia; atque etiam „ ipse episcopus vocabatur *diaconus*. Idcirco ad Timotheum scribens, „ inquit: ..... *Quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii*; pres-„ byteri enim episcopum non ordinassent. Et rursus ad Titum scri-„ bens, *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates pres-„ byteros ..... Si quis sine crimine est &c.* .... quæ quidem de Episcopis „ dicit: namque hæc cum dixisset, statim addidit, *Oportet enim epis-„ copum sine crimine esse* .... Antiquitus etiam Episcopi .... vocabantur „ *Presbyteri* & *Diaconi* Christi: quocirca hodie multi episcopi scribunt „ ita: *compresbytero & condiacono*. Procedente vero tempore distributum „ est cuique nomen, ut hic quidem *episcopus*, ille vero *presbyter* ap-„ pellaretur. " Ita Chrysostomus, quem e Græcis consectati sunt Maximus martyr, Theophylactus & Oecumenius. Eadem est Ambrosiastri & Hieronymi opinio; cui assensi sunt Primasius, Sedulius, Isidorus Hispalensis, Beda, Lanfrancus, Anselmus, S. Thomas, & alii plures.

ASSERTIO PRIMA.

Presbyteri nomen commune quondam fuit etiam episcopis.

Probatur 1. pluribus Scripturæ testimoniis.

Primo enim Apostolus 1. Tim. 4. 14. *Noli*, inquit, *negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi .... cum impositione manuum presbyterii*. Vix autem ac ne vix quidem alii quam episcopi hoc *presbyterii* nomine intelligi queunt. Ut enim ait Chrysostomus *supra*, presbyteri episcopum non ordinassent.

2. 1. Petri 5. 1. *Seniores*, πρεσβύτερους, inquit, *obsecro consenior* συμπρεσβύτερος. Ibi enim, ut patet, se ipse *presbyterum* vocat Petrus, qui non solum episcopus, sed etiam apostolus erat.

3. Joannes 2. *epist. versu* 10. eodem se nomine appellat, *Senior*, inquit, *Electæ dominæ*, πρεσβύτερος ἐκλεκτῇ κυρίᾳ. Et 3. *versu* itidem 1. *Senior*, ait, *Gajo charissimo*, πρεσβύτερος Γαΐῳ.

Q 2. PRO-

PROBATUR 2. usu consequentium temporum. Ut enim *infra* videbimus, sequentibus etiam sæculis *presbyteri* nomen summis sacerdotibus non semel attributum fuit.

ASSERTIO II.

Non omni specie veri caret sententia Theodoreti ajentis *episcopi* nomen secundi ordinis antistitibus proprium tunc extitisse.

PROBATUR iis quæ eruditus ille & acutus scriptor affert momentis.

Primo enim *Act.* 20. 17. videtur Apostolus solos Ecclesiæ Ephesinæ presbyteros accersivisse : at illi simplices erat presbyteri ; non enim in una & eadem civitate plures Episcopi simul extitissent . Atqui eosdem postea vocat *episcopos* . Ita etiam epistola ad Philippenses inscribitur *episcopis & diaconibus* . At illi Episcopi in secundo ordine consistebant . 1. enim ii proxime conjunguntur diaconis : 2. plures sunt simul in una urbe : 3. in eadem epistola Philippensium summus antistes non *episcopus* , sed *apostolus* appellatur *capite* 2. 25. Ac proinde Episcopi illi Philippensium ab ipsorum præsule distinguebantur : ergo secundi ordinis erant . Ergo , inquit Theodoretus , eo nomine insigniebantur presbyteri , & quidem soli , ac seorsim a primis Ecclesiæ rectoribus.

Secundo, inquit, alii, quos jam *episcopos* dicimus, non *episcopi*, sed *apostoli* nominabantur , quia scilicet Apostolorum locum ac vices implebant . Sic enim *Rom.* 16. 7. Andronicus & Junias dicuntur esse *nobiles in Apostolis* : sic 1. *Cor.* 15. 7. præter undecim Apostolos alii recensentur plures quibus post resurrectionem Christus apparuit : sic Epaphroditus, Philippensium præsul *cap.* 2. 25. a Paulo ipsorum *Apostolus* nominatur : ergo alio prorsus quam *episcopi* nomine principes ecclesiarum tunc appellabantur.

Tertio, inquit, in epistola ad Timotheum , post episcopos illico recensentur diaconi. Ergo hoc vocabulo significantur , qui nullo interjecto gradu seu immediate supra diaconos positi sunt. Illi porro soli sunt simplices presbyteri. Ergo &c.

At tria opponi possunt incommoda.

Primum, quod vero simile non sit omnes deinceps Ecclesias in id conspirasse ut eos solos nominarent *episcopos* , quibus hoc nomen sub Apostolis concessum non fuerat, & eo contra nomine illos exuerent , quibus solis initio erat datum.

Secundum , quod unus ex antiquis ita senserit Theodoretus . Primus enim id excogitavit , nec ullos , inter veteres, asseclas habuit : quod indicio est ipsius opinionem omnibus exinde improbabilem esse visam.

Ter-

Tertium, Quod hæc opinio Theodoretum impulerit ut nobilem Apostoli locum in alienum plane sensum detorqueret. Quod enim Paulus ait Timotheo: *Noli negligere gratiam* ..... *quæ data est tibi* ..... *cum impositione manuum presbyterii*, id ipse non de vera Ordinatione nec de vera gratia, sed de quodam scientiæ dono ipsi a presbyteris extra ordinem ac per miraculum collato, interpretari coactus est, ne scilicet ordinandi facultatem simplicibus presbyteris ascriberet. At certe eo non adigebatur, si attendisset: consequens enim illud non erat. Quidquid nimirum de *episcopi* nomine statuatur, haud dubie *presbyteri* nomen ipsis etiam Apostolis in Scriptura attributum est: atque adeo multo magis attribui poterat veris episcopis.

A S S E R T I O III.

Fundamentis gravibus innititur Epiphanii sententia ajentis *episcopi* nomen primi ordinis semper proprium fuisse.

Primum est, quod cum apud omnes exinde gentes nomen illud primariis Ecclesiæ rectoribus proprium extitisse reperiatur, id ex apostolico usu profectum esse non immerito credi possit.

Secundum, quod cum Episcopi singularem quandam in Ecclesia dignitatem & auctoritatem obtinerent, par fuisse videatur ac consequens, ut peculiari quoque nomine distinguerentur. Quorsum enim in rebus adeo secretis hæc nominum confusio?

Tertium quod veteres reipsa primo ordini attribuerint, quæ ab Apostolo de Episcopis dicuntur, & secundo, quæ de presbyteris: quod argumento est eos non censuisse hisce nominibus easdem personas designari. Sic Irenæus *lib.* 3. *cap.* 14. de presbyteris & Episcopis separatim exponit quæ leguntur *Act.* 20. *vers.* 17. & 28. sic Clemens Alexandrinus *pædagogi lib.* 3. *cap.* 12. Episcopis seorsim applicat quæ de episcopis dicuntur in epistola ad Timotheum, & presbyteris quæ ad Titum: ita quoque Origenes, & alii.

Quartum, quod primus hujus nominum confusionis auctor fuerit Aerius hæreticus qui ob hoc ipsum reprehensus est.

Quintum est quarto connexum, quod nempe hæc confusio apud Catholicos non comparuerit ante IV. sæculi finem. An non autem potior est antiquiorum fides?

Neque vero operosum fuerit ea quæ objici possunt dissolvere. Quod quidem ut perspicuum fiat,

Objicies 1. cum Dallæo *Act.* 20. *v.* 17. & 28. *Episcoporum* nomine secundi gradus præpositi designantur. Ergo.

Negari potest antecedens. Qui enim illic memorantur majores natu Ecclesiæ, ii non tantum presbyteri erant, sed etiam

Episcopi, teste Irenæo *supra*, " In Mileto, inquit, convocatis „ Episcopis & presbyteris, qui erant ab Ephesо & a reliquis pro„ ximis civitatibus. " Non itaque mirum est quod eos exinde *episcopos* appellet Apostolus.

INSTABIS. At inde consequeretur plures in una eademque civitate Episcopos extitisse: quod esse non potest. Ergo.

NEGATUR I. consequentia. Ut enim ex Irenæo mox observabamus, non ex una Ephesina civitate, sed ex aliis etiam urbibus proximis advocati fuerant.

NEGARI 2. potest id non potuisse esse, uti modo explicabimus.

OBJICIES 2. In inscriptione epistolæ ad Philippenses episcopi & diaconi duntaxat memorantur. Ergo.

RESPONDERI I. potest hos episcopos & diaconos forte fuisse cum ipso Paulo qui scribebat, non cum Philippensibus ad quos scribebat; non enim ad clerum unquam scripsit Apostolus: de quo Chrysostomum & Ambrosiastrum vide.

RESPONDERI 2. potest nihil esse absurdi, si ad episcopos & diaconos, tacitis presbyteris, epistolam miserit.

INSTABIS I. At inde consequens foret plures unius ejusdemque civitatis episcopos fuisse.

RESPONDEO I. Philippensium civitatem metropolim extitisse, sub qua plures erant episcopi ad quos scribere potuit Paulus.

RESPONDEO 2. hos episcopos Philippis versari tunc potuisse, etiamsi de istius ecclesiæ gremio non forent; eo quippe ex aliis urbibus negotiorum causa potuisse convenire.

RESPONDEO 3. hujus urbis clerum constare potuisse ex episcopis solis & diaconis, quibus tamen unus præesset, v. gr. ut Theodoretus putat, Epaphroditus, qui *Philippensium Apostolus* nuncupatur, quique tunc cum Apostolo erat, *cap.* 2. 25. His enim temporibus qui presbyteratu aut episcopatu digni videbantur, ii ordinabantur ut præsto semper essent, qui huc illuc pro locorum necessitate mitterentur. Hinc fiebat ut aliquando clerus e solis presbyteris & diaconis, quandoque contra e solis episcopis & diaconis coalesceret. Diaconi enim presbyteris aut episcopis semper adjungebantur. Ita hunc locum interpretatur Epiphanius Aerio respondens, " Apostolus, inquit *hæresi* 75. cum recens adhuc esset chri„ stiani dogmatis propagatio, pro re nata scripsit. Nam ubi jam „ episcopi constituti fuerant, ad episcopos & diaconos scribebat: „ neque enim subinde omnia ab Apostolis ordinari poterant. Qua„ re ubi nondum episcopatu dignus aliquis erat, nullus ei loco præ„ positus est episcopus: at ubi id & necessitas postulabat, nec eo„ rum, qui episcopatu digni erant, copia deerat, ibi episcopi con„ stituti: sed cum nec magna multitudo foret, nec reperiri ulli po-

„ te-

„ terant qui presbyteri crearentur, solo Episcopo contenti fuerunt.
„ Sine diacono autem episcopus esse non potest. ... Itaque cum non-
„ dum Ecclesia suis omnibus functionibus expleri posset, per illud
„ tempus istiusmodi singulorum locorum status extitit; nulla enim res
„ est, quæ ab initio suis omnibus numeris absoluta fuerit: sed proce-
„ dente demum tempore sua opportunitatibus omnibus ad perfectio-
„ nem accessio contigit.

INSTABIS 2. At Ecclesiæ disciplina vetuit plures in una eademque urbe episcopos esse. Ergo.

DISTINGUO antecedens: consecutis ætatibus, cum omnia jam essent constituta; concedo: in ipsis Ecclesiæ exordiis; nego. Vide Epiphanium *hæresi* 27. & 68. Hieronymum *epist. ad Evagrium*, Hammundum, Pearsonium, & alios.

OBJICIES 3. Paulus idem *in epist. ad Tim.* ab episcopis statim transit ad diaconos.

RESPONDERI potest illud eadem de causa esse factum.

OBJICIES 4. Paulus *in epist. ad Titum*, qualis esse debeat presbyter descripturus, *episcopum* appellat ac depingit. Ergo hæc nomina promiscue habuit.

NEGO antecedens. Nam contra 1. presbyterum, deinde episcopum depingere dici potest. Profecto postquam de presbytero dixit, *Si quis sine crimine est*; de episcopo eadem verba repetit, *Oportet enim episcopum sine crimine esse*. An autem idem de uno eodemque frustra iterasset? utrumque sane distinxerunt Clemens Alexandrinus & Origenes *supra*.

INSTABIS. Particula *enim* arguit de uno eodemque sermonem haberi: est enim, ut loquuntur grammatici, particula causalis: Porro si consequentia de episcopo intelligerentur, inepta foret Apostoli ratio: an enim talis esse debet presbyter, quia talis esse debet episcopus? Ergo.

RESPONDEO 1. particulam *enim*, ut omnibus notum est, in Scripturis non esse semper causalem.

RESPONDEO 2. posse hic pro causali sumi. Cum enim, ut ajunt sancti Patres, unus pene sit gradus episcoporum ac presbyterorum, easdem quoque amborum dotes esse oportet.

OBJICIES 5. Petrus apostolus quos *presbyteros* primo vocavit, eosdem illico nominat *episcopos*. Ergo.

DISTINGUO antecedens: quia sub *presbyterorum* nomine veros episcopos alloquebatur; concedo: secus; nego. Episcopis ergo *presbyteratus* nomen tribuebatur; non item *episcopi* presbyteris.

ASSERTIO IV.

Cæteris anteponenda videtur interpretatio Chrysostomi, & aliorum, qui arbitrabantur nomen utrumque utrique ordini fuisse tum commune.

Primo enim illa omnibus quibus aliæ displicent incommodis caret, & nedum ullos habeat nodos, planissima contra est, & apertissima.

Secundo citra vim ullam omnia Scripturæ loca, quæ negotium facessunt, commode exponit.

Tertio in Ecclesia cæteris longe probatior semper fuit: in eam enim post Ambrosiastrum, Hieronymum & Chrysostomum, plerique omnes tum Græci tum Latini interpretes abierunt. Quis autem in judicio tot ac talium virorum lubens non acquiescat?

Quarto non magis mirum esse debet quod *episcopi* vox ambigua tunc ac communis extiterit, quam *apostoli & diaconi*. Atqui *apostoli & diaconi* vocabula non semper uni eidemque ascripta fuerunt ordini. *Apostoli* enim nomen non tantum duodecim Apostolis, sed Paulo, Barnabæ, Andronico, Juniæ, & aliis tribuitur, ut notavimus, imo & ipsi Christo.

Diaconi vero vox non ita tunc tertii ordinis propria erat, quin & ad episcopos transferretur, & ad ipsos Apostolos. 1. *Cor.* 3. 5. de se & Apollo loquens Paulus, *Ministri*, inquit, *sumus ejus cui credidistis.* διάκονοι: 2. Cor. cap. 3. 6. *Idoneos nos fecit ministros novi testamenti*, διακόνους καινῆς διαθήκης: ad Coloss. 4. 7. *Tychicus charissimus frater & fidelis minister*, διάκονος: & v. 17. *Dicite Archippo: Vide ministerium* (διακονίαν) *quod accepisti in Domino &c.* 1. Thess. *cap.* 3. 2. *Misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei in Evangelio*, διάκονον τοῦ Θεοῦ: 1. Timoth. cap. 4. 6. *Bonus eris minister Christi Jesu*, καλὸς ἔσῃ διάκονος: 2. 4. 5. *Ministerium tuum imple*, τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον. Unde Chrysostomus *homilia* 1. *in epistolam ad Philipp.* " Olim, ait, episcopi appellabantur & *presbyteri & diaconi Christi*. " Quid quod ipse Christus *diaconus* seu *minister* nominatur ad Rom. 15. 8. *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis, &c.* Adjunge martyres Lugdunenses *in epistola priori ad Asiæ Phrygiæque Ecclesias*; Clementem Alexandrinum, ubi Gnosticum describit; præsules conciliabuli Sardicensis *in epistola synodica*; Sanctum Hieronymum *in epistolam ad Philemonem*; Ambrosiastrum *in epistolam ad Rom. cap.* 12.

CA-

CAPUT II.

Quo sensu Episcopi *nomen a sanctis Patribus acceptum fuerit.*

Cum jamdiu sit ex quo *Episcopi* ac *Presbyteri* nomina, quæ confusa initio erant, secerni cœperunt, & a longo tempore *Episcopi* vox primo ordini, *Presbyteri* vero secundo affixa sit; superest, ut expendamus quibus gradibus eo deventum fuerit.

Ut autem eodem ordine, quo supra, res procedat, esto

ASSERTIO PRIMA.

Presbyteri vocabulum etiam post Apostolos per aliquod temporis spatium non tantum secundo, sed etiam primo ordini fuit attributum.

Probatur variis exemplis.

Hac enim ratione *presbyteri* vocem usurpant,

Primo Clemens Romanus *epistola* 1. *ad Corinth. num.* 34. 47. 54. *&* 57.

Secundo Polycarpus *in epist. num.* 5. *&* 6.

Tertio Papias *apud Eusebium lib.*3. *cap.*39.

Quarto Irenæus *lib.* 3. *capite* 2. *&* 3. *lib.* 4. *cap.* 43. *&* 44. *lib.* 5. *cap.* 5. *&c.*

Quinto Clemens Alexandrinus *Stromat. lib.* 6. *&* 7.

Sexto Tertullianus *in apologetico cap.*39.

ASSERTIO II.

Episcopi nomen solius contra primi ordinis proprium deinceps fuit.

Probatur opposita prorsus ratione. Nullum enim est hujus confusionis exinde vestigium: & qui huic nominum communioni tantopere student Calviniani, cum maxime quæsierint, & in veterum lectione fuerint versatissimi, nullum hactenus hujus generis exemplum proferre potuerunt.

Objici potest unus Clemens Romanus *supra*, *num.* 42. illic enim videri potest pro utroque ordine *Episcoporum* nomen posuisse.

Sed hunc nodum alibi dissolvemus.

AS-

ASSERTIO III.

Qui tribus primis Ecclesiæ sæculis Patres floruerunt, ii cum gradus ecclesiasticos enumerant, nominum discrimen caste ac constanter observant: ita ut *episcopi* nomen primo ordini, *presbyteri* secundo, *diaconi* tertio semper ascribant, nec unquam aliter loquantur.

PROBATUR 1. testimoniis veterum: ita enim loquuntur

Primo Ignatius *in epistolis suis*.

Secundo Polycarpus *in ipsa epistolæ suæ fronte*.

Tertio Pius papa *in epistola ad Justum Viennensem*.

Quarto Clemens Alexandrinus *supra* &c.

PROBATUR 2. quia nullum contra opponi potest exemplum.

ASSERTIO IV.

Episcopi & *Presbyteri* nomina exinde distincta fuerunt: & primum quidem primo ordini, secundum alteri addictum est.

PROBATUR perpetuo ac constanti omnium qui scripserunt postea auctorum, & omnium, quæ habita sunt, Conciliorum usu.

Notandum tamen *presbyterii* nomen ecclesiastico consessui ac senatui nihilominus fuisse tunc, ut olim, datum; & episcopos in societatis argumentum secundi ordinis sacerdotes *compresbyteros*, & tertii ordinis ministros *condiaconos* appellasse: quod & multis exemplis demonstrari facile posset, & diserte notat Chrysostomus *supra*.

Verum hæc omnia lucem accipient ex dicendis, ubi de Episcoporum superioritate differemus.

SECTIO II.

De Episcopatus essentia.

CAPUT PRIMUM.

An Episcopatus sit distinctus a presbyteratu Ordo, ac peculiare sacramentum.

TRes sunt hac de re Theologorum sententiæ.

Prima asserit Episcopatum esse peculiare sacramentum, & Ordinem a presbyteratu distinctum, ita tamen comparatum, ut presbyteratum necessario prævium habere debeat. Ita statuunt ex antiquis Guillelmus Altissiodorensis *lib.* 4. *tract.* 8. *quæst.* 1. Auctor supplementi Gabrielis *ad dist.* 24. Joannes Major *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 1. Almainus *in* 4. *quæst.unica art.* 2. Cajetanus *tom.* 1. *opusc.* 11. Ex recentioribus

ribus autem Medina *lib.* 1. *de sacrorum hominum continentia*, *cap.* 16. Petrus Soto *lect.* 4. *de sacramento Ordinis*; Navarrus *in summa cap.* 18. Bellarminus *de Ordine lib.*1.*cap.*5. Maldonatus *de Ordinis sacramento*, Estius *in* 4. *distinct.* 24. Sylvius *quæst.*4.*art.* 5. Isambertus noster *disp.* 1. *art.* 3. & omnes passim juris canonici interpretes *in caput* Cleros, *disti.* 21. & *in caput* Perlectis, *distinct.* 25.

Secunda huic penitus adversa contendit contra Episcopatum nec Ordinem esse nec sacramentum, quamvis confiteatur Ordinatione episcopali dignitatem ac potestatem presbyterali majorem conferri, idque ex Christi institutione. Ita rentur inter veteres scholæ principes Hugo a S. Victore *lib.* 2. *de sacramentis*; Lombardus *dist.*24. Alensis *par.*4.*qu.*79. *membro* 8. *art.*13. Bonaventura *in* 4. *dist.*24. *par.*2. *art.* 1. *qu.* 3. quibus adhæsit Dominicus Soto *in* 4. *dist.*24. *quæst.*2. *art.*3. & *lib.*10. *de justitia & jure qu.*1. *art.*2. &c.

Tertia inter utramque media affirmat nec unum eundemque omnino esse Episcopatus & presbyteratus characterem, nec duos; sed Episcopatum esse prioris characteris extensionem. Ita Paludanus *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 7. *art.* 4. Durandus *ibid. quæst.* 2. quos innumeri postmodum secuti sunt. Sed hi postremi non secum invicem omnino concordant: alii enim volunt characterem instar habitus scientiæ extendi; adeo ut, quemadmodum scientia censetur extendi cum in novas conclusiones prius ignotas diffunditur; sic & extendi putetur character presbyteralis, cum ad novas functiones fertur. Alii autem characterem omnem in relatione quadam ac destinatione constituunt, quæ ex Christi voluntate proficiscatur: characterem itaque extendi, quando quis a Christo ad ea destinatur quæ ante nullatenus præstare potuisset.

ASSERTIO.

Episcopatus est verus Ordo ac proprie dictum sacramentum.

Probationes ex Scripturis.

PROBATUR 1. ex Scripturis.

Sacramentum nempe est ritus externus a Christo institutus gratiam conferre efficax. Atqui talis est Episcopatus. Ergo.

1 quippe in Ordinatione episcopali ritus est aliquis sensibilis, & externus, scilicet impositio manuum quæ memoratur 1. Timoth. 4. 14. *Noli negligere gratiam .... quæ data est tibi .... cum impositione manuum presbyterii* 2. 1. v. 6. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*

2. Episcopatus divinæ est institutionis, Act. 20. 28. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.*

3. Con-

3. Confert gratiam 1. *ad Timoth. cap.* 4. *verf.* 14. & 2. 1. *verf.* 6. *fupra*.

Quæ quidem de Epifcopatu proprie intelliguntur : nemo enim ambigit Timotheum ab Apoftolo in Epifcopum fuiffe confecratum, & de hac confecratione mentionem illic fieri. Ex his quondam evicimus Ordinem effe facramentum, & idem ex his locis omnes theologi colligunt. Ergo aut ex Scripturis probari non poteft Ordinis facramentum; aut fi probatur, fimul confequitur Epifcopatum effe facramentum.

Ex Patribus.

PROBATUR 2. veterum Ecclefiæ doctorum teftimoniis, qui in Epifcopatu admittunt quæcunque ad facramentum neceffaria exiftimantur.

Primo enim antiqui definiunt Epifcopatum a Chrifto effe inftitutum : epifcopos enim effe Apoftolorum, qui ab ipfo electi funt, fucceffores paffim fcribunt : deinde vero difertis verbis pronunciant Epifcopatum in mandato ac præcepto Chrifti fundari, quod aliquando fufius declarabimus, ubi Epifcopos effe presbyteris fuperiores, & quidem jure divino oftendemus.

Secundo gratiam epifcopali Ordinatione conferri fanciunt: de ea enim loquuntur Gregorius Nyffenus, Martyrius, Ambrofiafter, Sanctus Hieronymus, Sanctus Chryfoftomus, Sanctus Auguftinus, Gregorius-magnus, & alii, quos laudavimus, ubi Ordinem effe facramentum demonftravimus. Atque adeo aut inde non poteft confici Ordinem generatim effe facramentum, aut eadem ratione Epifcopatus eft facramentum.

Tertio Characterem Epifcopatu imprimi decernunt : de Epifcopatu enim ut folo, aut potiffimum agunt Auguftinus, Gregorius-magnus, Patres Toletanæ fynodi VIII. qui a nobis, eo quo de charactere *fupra* differimus loco, prolati funt.

Quarto Epifcopatum conceptis verbis *facramenti* nomine donant, 1. Tertullianus *de præfcriptione*, *cap.* 40. de fummo pontificatu loquens; 2. Africani præfules *in epiftola ad Marcellinum*; 3. Auguftinus *paffim*; 4. S. Leo *epift.* 11. Ordinationem Pauli ac Barnabæ *benedictionis facramentum* vocans; 5. Gregorius magnus *lib.* 4. *in* 1. *Regum cap.* 5. qui *fupra* allati funt.

Quinto Epifcopatum ut peculiarem Ordinem plurimi veteres affignant. Anacletus enim, feu quifquis eft auctor *epiftolæ* 3. ipfi afcriptæ duplicem ftatuit facerdotum ordinem, 1. epifcoporum, 2. presbyterorum : " „ Sacerdotum, inquit, ... Ordo bipartitus eft " &c.

Optatus *lib.* 1. triplex facerdotium diftinguit : in primo Epifcopos, in fecundo presbyteros, in tertio diaconos collocat.

Syno-

Synodus Carthaginensis IV. non minus Episcopatum inter Ordines enumerat, quam presbyteratum, diaconatum, aut alium quemlibet.

Hieronymus *in caput* 19. *Isaiæ*, Ordines Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum commemorat. Idem seu quisquis est scriptor *epistolæ ad Rusticum de septem Ecclesiæ gradibus*, in sexto presbyteratum, in septimo Episcopatum constituit.

S. Leo *epist.* 84. *ad Anastasium Thessalonicensem*, *cap.* 4. postquam de subdiaconorum continentia locutus est, " Quod si, inquit, in Ordine „ qui quartus .... est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, „ aut secundo, vel tertio servandum est, ... levitico, ... presbyte- „ rali .... aut episcopali?

Gelasius *epist. ad episcopos* per Lucaniam constitutos *dist.* 93. cap. 13. *Diaconos* : cum interdiceret officia presbyterorum, aut episcoporum, " „ Nihil, inquit, eorum suo ministerio penitus applicare, quæ primis „ Ordinibus propria decrevit antiquitas.

Dionysius, vulgo Areopagita, *de ecclesiastica hierarchia cap.* 5. tres Ordines recenset, primum Episcoporum, secundum presbyterorum, tertium diaconorum.

Isidorus Hispalensis, ut presbyteratum, sic & Episcopatum inter Ordines reponit, *lib.* 7. *Originum*, *cap.* 12. in epistola vero ad Ludifredum apud Gratianum *distinct.* 25. *cap.* 1. post adductos Ecclesiæ gradus singulos, & in his Episcopatum, " Hi sunt, inquit, Ordines " &c.

Rabanus Maurus *lib.* 1. *de institutione clericorum cap.* 4. " Sunt autem „ gradus, inquit, ecclesiastici octo, ostiarius, ... presbyter & Epis- „ copus.

Ordo Romanus *apud Menardum*, *pag.* 27. episcopos in primo Ecclesiæ Ordine collocat.

Gabriel Philadelphiensis in suo *de sacramento Ordinis* libello septem Ordines refert, septimum autem esse Episcopatum asserit.

Ex concilio Tridentino.

Huic sententiæ aperte favet synodus Tridentina. Nimirum *sess.* 23. postquam *cap.* 1. *&* 2. de Ordinibus generatim, ac speciatim de minoribus disseruit, deinceps *cap.* 3. *&* 4. ad sacram Ordinationem accedit. *Capite* ergo 3. decernit 1. sacram hanc Ordinationem esse sacramentum : deinde vero *eodem capite*, ut probet Ordinationem illam esse sacramentum, eaque conferri gratiam, hæc affert Apostoli *ad Tim.* verba, *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei quæ in te est per impositionem manuum mearum :* quo loco Episcopum alloquitur Paulus.

Capite autem 4. ad characterem progreditur, quem, ut in Baptismo & Confirmatione, sic & in sacra Ordinatione imprimi definit, quia nempe, qui recte ordinati sunt, iterum laici esse non possunt. Tum *ibidem* pronunciat hac sacra Ordinatione confici hierarchiam ; Episcopos

pos autem qui in Apostolorum locum successerunt, non solum hac hierarchia contineri, sed ad hunc Ordinem praecipue pertinere, & *positos*, sicut idem Apostolus ait, *a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei*, eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiae ordinare, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.

Denique sic rem eandem concludit *can. 6.* " Si quis, inquit, dixerit „ in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex Episcopis, presbyteris, & ministris; anathema sit.

Ex quibus colligimus,

Primo Episcopatum, quatenus a presbyteratu distinguitur, esse a Christo institutum.

Secundo eundem esse, & quidem prae caeteris, Ordinem hierarchicum.

Tertio ipsum esse a reliquis Ordinibus inferioribus distinctum.

Quarto Ordinationem episcopalem sub ea sacra Ordinatione contineri, quam sacramentum esse generatim definit synodus.

Quinto hanc eandem Ordinationem longe potiori jure dicendam esse sacramentum, quam aliam quamlibet: cum enim inde eliciant Patres Ordinationem illam esse sacramentum, quod episcopalis Ordinatio juxta Paulum apostolum conferat gratiam, profecto consequens est hanc ipsam Ordinationem praecipua quadam ratione esse sacramentum.

Sexto eadem Ordinatione characterem peculiarem infigi: est enim ille specialis quaedam & indelebilis potestas, quae ex Christi institutione ita infixa haeret, ut iterari non possit sacramentum. Atqui talis potestas episcopatu confertur, ut qui semel in episcopos consecrati sunt, nunquam eam amittant, aut iterum laici effici queant. Ergo.

Probationes ex ratione.

Ille ritus censeri debet esse sacramentum, cui nihil deest eorum quae ad sacramentum constituendum requiruntur. Atqui haec omnia Ordinationi episcopali insunt, nempe sensibile symbolum, divina institutio, gratia, & character.

Ac 1. quidem extat symbolum sensibile, scilicet impositio manuum.

2. Non deest institutio divina, ut multis ostendimus.

3. Gratia ipsi est annexa: si enim alligata est diaconatui aut presbyteratui, imo, juxta plures Theologos, etiam subdiaconatui caeterisque inferioribus Ordinibus ob functionum praestantiam & difficultatem, quae tale auxilium postulant; quanto magis eam alligari episcopatui par fuit, qui reliquis dignitate superior, & officiorum multitudine operosior est?

Nec character desideratur: non enim magis iterari potest Ordinatio episco-

episcopalis quam presbyteralis : si ergo in presbyteratu character admittitur, quo fit ut iterari nequeat; quidni pariter in episcopatu?

Ergo nullum dubium esse debet quin episcopatus sit veri nominis sacramentum, & quidem peculiare, cum habeat materiam & formam peculiarem, & distinctam a reliquis conferat potestatem.

OBJECTIONES.

Objicies 1. Si episcopatus sit distinctus Ordo ac peculiare quoddam sacramentum, plures erunt quam septem Ordines, plura quam septem sacramenta. Atqui &c. Ergo.

Distinguo majorem : plures erunt Ordines specifici & partiales ; concedo : generici & totales; nego. Idem esto de sacramentis. Itaque cum dicuntur esse septem sacramenta septemve Ordines, generatim id dicitur, non speciatim. Quod enim spectat ad sacramenta, plana res est; quandoquidem ii ipsi, qui negant episcopatum esse sacramentum, id affirmant de diaconatu, imo & de aliis Ordinibus : atque adeo juxta ipsos Ordo quidem generice est unum sacramentum; sed plura sub se sacramenta specialia habet. Si autem id affirmari potest de diaconatu, imo & de aliis inferioribus Ordinibus; quidni pari ratione de Episcopatu? Jam vero si multiplicitas specialium sacramentorum non officit septenario qui ab omnibus statuitur, sacramentorum numero; non video qua ratione obesse possit septenario Ordinum numero duplex sacerdotii species. Tam enim dici potest septem esse duntaxat Ordines, etiamsi sub sacerdotio duo sint Ordines speciales, quam dicamus septem esse tantum sacramenta, etiam si sub Ordinis sacramento duo saltem Ordines ut sacramenta admittantur. Nempe sacerdotium est quoddam genus, cui presbyteratus & Episcopatus tanquam species subjacent : ac proinde sacerdotium generatim spectatum constituit septimum Ordinem, qui quidem septimus Ordo postea in presbyteratum & Episcopatum tribuitur : aut potius sacerdotium est quoddam veluti totum ex multiplici charactere, Ordine, ac sacramento aggregatum & compactum, cujus quidem initium est in presbyteris, perfectio autem in Episcopis. Sacerdotium enim ex sese est Ordo, quo potestas traditur ad ea conficienda aut administranda, quæ ad salutem sunt Christianis necessaria. Christiani autem debent 1. regenerari; 2. pasci ac nutriri; 3. a morbis & vulneribus, si quæ sunt ingruentia, sanari; 4. crescere & augeri; 5. propagari; 6. regi ac gubernari : ac proinde quotuplex est hæc necessitas, totuplex in sacerdotio perfecto & completo potestas esse debet. Jam vero presbyteris confertur potestas baptizandi, ut renascantur; conficiendi corporis Christi & verbi Dei prædicandi, ut pascantur & nutriantur; remittendorum peccatorum, ut ab iis expurgentur; imo & certis sub conditionibus regendæ plebis &c. At Episcopis reservatur potestas Confirmationis, Ordinationis, totiusque & absolutæ jurisdictionis.

nis. Quocirca presbyteri minores sunt & infimi sacerdotes; episcopi autem majores ac summi: seu, quod idem est, presbyteratus fundamentum est & initium sacerdotii; Episcopatus vero est ipsius apex ac complementum: sic enim de Episcopatu ac Episcopis loqui consueverunt Patres.

Instabis. Ordinum diversitas ex vario ad Eucharistiam respectu repetitur. Atqui Episcopi non aliter quam presbyteri circa Eucharistiam se habent: eodem enim illam conficiunt modo. Ergo Episcopatus & presbyteratus non sunt Ordines diversi.

Esto major propositio, quam aut omnino, aut quoad Episcopatum saltem, nonnulli inficiantur.

Nego minorem: eam enim consecrant presbyteri, ipsius autem consecratores ordinant Episcopi, quæ diversa est Eucharistiam attingendi ratio: neque vero minus illa diversa est, quam in aliis quibuscunque Ordinibus.

Objicies 2. Episcopatus, si est Ordo, major esse debet presbyteratu. Atqui nullus Ordo major esse potest presbyteratu: nihil enim excellentius esse potest conficiendi corporis Christi facultate, imo nihil est quod ejusdem sit cum ipsa dignitatis. Ergo.

Respondeo 1. hunc nodum ab omnibus theologis, cujuslibet illi demum sint opinionis, hac in parte esse solvendum; nemo enim est, qui Episcopos presbyteris esse superiores non agnoscat.

Respondeo 2. Distinguo majorem: Episcopatus secundum se totum spectatus debet esse major presbyteratu; concedo: Episcopatus spectatus inadæquate & secundum unam duntaxat sui partem; iterum distinguo: debet esse major, vel penes dignitatem, vel penes causalitatem & extensionem; concedo: penes dignitatem necessario; nego. Itaque Episcopatus spectari potest dupliciter: vel secundum se totum, vel penes unam duntaxat sui partem. Episcopatus secundum se totum sumptus, integrum est sacerdotium, omnemque illius amplitudinem exhaurit, atque adeo presbyteratum etiam includit. Neque enim existimandum est Episcopatum integrum in ea sola, quæ vocatur episcopalis, Ordinatione positum esse: inchoatur enim Episcopatus ab ipsa Ordinatione presbyterali, ex qua ut & ex altera coalescit: prima ipsius fundamentum jacit; secunda fastigium addit. Sic autem spectatus Episcopatus haud dubie major est presbyteratu: habet enim quidquid inest presbyteratui, & præterea quiddam amplius. At vero si spectetur Episcopatus penes postremam sui partem, & potestatem quæ episcopali Ordinatione confertur, & quatenus a presbyteratu distinguitur, non est sane major quoad dignitatem; potestas enim ordinandi aut confirmandi non potest esse dignior facultate consecrandi corporis Christi: sed tamen major est penes causalitatem & extensionem, quia nempe se ipsa & quamlibet aliam Ordinis potestatem communicare & transfundere potest. Quocunque ergo modo Episcopatus accipiatur, Episcopi pos-

sunt

sunt ac debent dici presbyteris majores. Nimirum Episcopi eam omnem habent potestatem quam habent presbyteri, & aliam insuper multiplicem habent cum Ordinis tum jurisdictionis, qua presbyteri carent. Non solum enim fideles baptizatos confirmare queunt Episcopi, quod presbyteris non licet; sed etiam, quod majus est, presbyteros consecrare ac constituere, imo & Episcopos, quod multo minus presbyteris licet. Accedit ad cumulum amplissima jurisdictio, qua vel ipsis presbyteris ut superiores præsunt. Porro cum Episcopus dicitur esse presbytero major ac superior, tunc secundum se totum cum presbytero proprie comparatur: sic ternarius numerus major est secundum se totum binario, quod eum includat & excedat, non quod tertia unitas binarium superet, sed quod ad eum adjungatur, atque adeo secundum se totum & binarium includat & excedat.

Objicies 3. Si Episcopatus distinguitur a presbyteratu, potest sine presbyteratu consistere: quæ enim a sese invicem distinguuntur, ea possunt seorsim esse. Atqui &c. Ergo &c.

Distinguo: quæ distinguuntur adæquate, aut secum invicem connexa non sunt; concedo: quæ distinguuntur tantum inadæquate, aut secum invicem connexa sunt; nego. Itaque Episcopatus aut penes se totum spectatur, aut penes postremam, quam episcopalis Ordinatio confert, potestatem: neutro autem modo sine presbyteratu esse potest. 1. enim si spectetur ut totum, non potest esse sine suis partibus, quarum prima est ipsemet presbyteratus, quem includit, eo fere modo quo ternarius binarium complectitur. Sicut ergo ternarius nec esse nec cogitari potest sine binario; sic nec Episcopatus esse potest sine presbyteratu. 2. autem si Episcopatus sumatur penes postremam sui partem, non potest esse sine presbyteratu, quicum necessario connexus est ex Dei arbitrio & voluntate, quod ex Traditione compertum habemus: Ergo Episcopatus ea ratione spectatus, ita se habet cum presbyteratu, quomodo tertia unitas cum binario, & fastigium domus cum fundamento: ac proinde quemadmodum non potest esse tertia unitas sine duabus prioribus, quæ ipsi præviæ sint, nec fastigium sine fundamento quod ei substernatur; sic nec postrema potestas Episcopis propria sine duabus illis quæ presbyteratui insunt facultatibus, quas ei præire voluit Deus.

Objicies 4. Si episcopatus est Ordo distinctus a presbyteratu, vel est Ordo major vel minor. Neutrum dici potest: 1. enim non est Ordo minor, ut manifestum est: 2. non est Ordo major: Ordines enim majores die sabbati conferuntur; Episcopatus autem die dominica. Ergo.

Nego minorem: & dico Episcopatum unum esse ex majoribus Ordinibus.

Ad id autem quod additur, respondeo distinguendo propositionem: die sabbati conferuntur majores Ordines, qui subsunt episcopatui; con-

 cedo:

cedo : omnes; nego. Nempe id pendet ex Ecclesiæ institutione, quæ pro nutu suo, aut potius pro sapientia sua, Ordines majores Episcopatui subditos diebus solemnis jejunii addixit, non autem Episcopatum, & ab iis Episcopatum sejunxit. Quod ergo aliquis Ordo die dominica conferatur, inde non conficitur eum e numero majorum Ordinum non esse.

Objicies 5. Non magis Episcopatus est Ordo distinctus a presbyteratu, quam Archiepiscopatus ab Episcopatu &c. Atqui &c.

Nego majorem & paritatem. Episcopatus enim habet potestatem alterius omnino speciei & ordinis a presbyteratu; Archiepiscopus autem majorem quidem habet Episcopo potestatem, sed intra eandem prorsus speciem.

CAPUT II.

De materia Episcopatus.

Antequam ad materiam ac formam Episcopatus propius accedamus, variasque de iis theologorum opiniones referamus,

Observandum est, cum episcopalis Ordinatio celebratur a tribus saltem episcopis, ut mos est, quorum unus speciatim dicitur *consecrator*, apud Latinos quidem juxta pontificale Romanum

1. Librum Evangeliorum imponi super cervicem & scapulas electi, nihil dicentibus Episcopis.

2. Eosdem caput consecrandi ambabus manibus tangere dicentes : " „ Accipe Spiritum-sanctum.

3. Consecratorem episcopum hoc facto extensis manibus duplicem orationem fundere, qua electo gratiam Spiritus-sancti apprecatur, ut digne episcopali fungatur officio.

4. Consecratorem postea caput electi chrismate inungere, dicendo : " Ungatur & consecreretur caput tuum cælesti benedictione in Ordi- „ ne pontificali, in nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti : " ac deinceps ambas manus ipsius simul junctas, dicendo : " Ungantur ma- „ nus istæ de oleo.

5. Consecratorem eundem his peractis tradere consecrato 1. baculum benedictum, 2. annulum, 3. librum Evangeliorum, dicendo, " Accipe „ baculum &c. " Accipe annulum &c. " Accipe Evangelium.

Apud Græcos autem

1. A Pontifice consecrante legi alta voce chartam ipsi a chartophylace traditam, his conceptam verbis (Si Patriarcha ordinet) " Suffra- „ gio & consensu sacratissimorum Metropolitarum, & Archiepiscopo- „ rum, & Episcoporum, " (Si autem Pontifex consecrans sit duntaxat Metropolita) " Suffragio & consensu Deo amabilissimorum Epis- „ coporum & sanctorum presbyterorum, divina gratia, quæ semper in- „ firma

„ firma curat, & ea, quæ desunt, adimplet, promovet N. Deo amabilem presbyterum Episcopum a Deo servatæ civitatis N. Oremus „ pro eo, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus " &c. quod quidem etiam in presbyterorum & diaconorum Ordinationibus usurpatur.

2. Paulo post ab eodem Pontifice, manum etiam admoventibus aliis Pontificibus, codicem Evangeliorum capiti ac cervicibus ejus imponi, qui consecratur, τοῦ χειροτονουμένου.

3. Pontificem exinde, dum manum ipsi impositam tenet, multiplicem orationem fundere, qua in ipsum sancti Spiritus gratiam advocat, ut episcopus munus sancte obeat.

4. Pontificem consecrantem his absolutis osculum & baculum dare consecrato, τὸν χειροτονηθέντα.

His positis multæ sunt theologorum de materia Episcopatus opiniones. Ac 1. quidem omnes unanimi consensu statuunt manuum impositionem esse hujus Ordinis materiam, sed in eo dissentiunt, quod alii eam solam assignent, alii quidpiam aliud ipsi adjungant.

2. Itaque Morinus *exercit.* 2. *cap.* 1. Sylvius *quæst.* 40. *art.* 5. & Meratius *disp.* 7. *art.* 3. in sola manuum impositione materiam Episcopatus constituunt.

3. Evangelii impositionem ipsi addi volunt Hostiensis *de sacra unctione num.* 5. Antoninus *parte* 3. *tit.* 14. *cap.* 16. *num.* 9. Bovius *ad caput* 8. *libri* 3. *constit. apostol.* Turrianus *lib.* 2. *pro epist. pontif. cap.* 21. Vasquez *disp.* 240. Gamachæus noster *cap.* 9. & alii passim.

4. Sylvius idem utrique capitis ac manuum unctionem apud Latinos probabiliter adjici posse decernit.

5. Isambertus *disp* 3. *cap.* 5. postulat insuper baculi, annuli, & Evangelii porrectionem, secutus Medinam *supra*, & Durandum *libro* 2. *rationalis cap.* 11. atque adeo supra memoratos ritus, ut totidem hujus Ordinis materias partiales admittit.

At vero qui Episcopatus materiam in manuum impositione sitam esse pugnant, secum invicem non omnino consentiunt: alii enim eam assignant, quæ solius est consecratoris; alii vero quæ trium simul est Episcoporum.

ASSERTIO PRIMA.

Codicis Evangeliorum impositio non videtur esse materia essentialis Episcopatus.

PROBATUR 1. Quod ad episcopatus essentiam pertinet, id una cum Episcopatu ubique ac semper fuit: nulla enim res sine propria essentia consistere potest. Atqui codicis Evangeliorum impositio nec semper nec ubique fuit cum Episcopatu. Ergo.

Jam vero quod Episcopatus aliquando fuerit sine ejusmodi ritu, res per-

perspicua est. Episcopatus enim in Ecclesia semper fuit, nec ullum extitit tempus, quo Episcopi creari non potuerint. At non semper fuit codex Evangeliorum. Ac proinde hoc codice antiquior est Episcopatus.

Et vero in Scripturis ipsis non semel refertur Episcoporum Ordinatio : nullibi autem de hac Evangelii codicis impositione fit mentio.

Quod autem non tantum inter ipsa christianæ religionis exordia, sed etiam postea citra hanc cæremoniam Episcopatus extiterit, non minus liquet. Multæ enim ecclesiæ fuerunt in quibus non usurpabatur.

Primo enim non videtur fuisse in usu apud Hispanos VII. sæculo. Isidorus namque Hispalensis cum sigillatim omnes Ordinationis episcopalis ritus minutatim explicet *lib.* 2. *de divinis officiis*, *cap.* 5. ex iisque multa depromat ad mores pertinentia, hunc plane silet, non omissurus profecto si tunc in ea regione obtinuisset.

Secundo Alcuinus *in libro de divinis officiis*, ubi de Ordinatione episcopali, " Illud vero, inquit, quod duo Episcopi tenent codicem Evan„ geliorum super caput, & uno fundente super eum benedictionem, „ reliqui qui adsunt Episcopi, manibus suis super caput ejus tangunt, „ non reperitur in auctoritate veteri neque nova, sed neque in Ro„ mana traditione.

Tertio Amalarius *lib.* 2. *de officiis ecclesiasticis cap.* 14. " Dicit libel„ lus, inquit, secundum cujus ordinem celebratur Ordinatio apud quos„ dam, ut duo Episcopi teneant Evangelium super caput ejus : quod „ neque vetus auctoritas intimat, neque canonica. " Ac proinde is ritus non usurpabatur, saltem in iis Ecclesiis in quibus Alcuinus, quisquis ille sit, & Amalarius versabantur, id est in Gallia & Germania.

PROBATUR 2. ex eo quod ubi codex Evangeliorum imponebatur capiti & cervicibus ejus qui in Episcopum erat inaugurandus, id non semper fieret ab Episcopis ipsis. Id enim a diaconis fieri jubet auctor constitutionum apostolicarum *lib.* 8. *cap.* 4. " Diaconis, inquit, divina „ Evangelia super caput ejus, qui ordinatur, aperta tenentibus. " Ubi „ autem id fiebat ab Episcopis, quandoque id ad solos Episcopos assistentes pertinebat, qui nihil omnino dicebant; non vero ad Archiepiscopum consecratorem, qui postea solus orationem proferebat, ut apud Martenium videre est *pag.* 418. 433. 458. & 484. Atqui in sacris Ordinationibus materia ab eodem ministro adhibenda videtur a quo adhibetur forma. Hinc enim synodus Hispalensis II. *can.* 5. cum manum quibusdam imposuisset aliquando Episcopus, orationem vero recitasset presbyter, irritam esse Ordinationem pronunciavit. Ergo.

PROBATUR 3. veterum omnium silentio. Cum enim infinitis in locis & canonibus de Ordinationibus Episcoporum agatur, nemo est tamen qui earum vim in isto ritu constituerit, aut eum ad illas omnino necessarium esse significaverit.

A S-

ASSERTIO II.

Unctio capitis ac manuum ad hujus sacramenti essentiam non pertinet.

PROBATUR, quia Orientales Ecclesiæ verum habent Episcopatum atqui hanc unctionem non frequentant, ut compertum est ex eorum ritualibus libris, quos Goar, Morinus & Martenius exhibent.

OBJICIES. In ritualibus libris, qui ordinatur dicitur *consecrandus*, quandiu hæc unctio peracta non est; ubi autem peracta est, dicitur *consecratus*. Ergo consecratio hac unctione perficitur. Consule Martenium *pag.*483. 499. 501. 514. *&* 516.

DISTINGUO antecedens: consecrandus consecratione accidentali; concedo: essentiali; nego. Duplex est igitur consecratio: alia essentialis, alia accidentalis. Unctio autem est accidentalis quædam consecratio: ac proinde non mirum, si, qui nondum eam suscepit, ea de causa vocetur adhuc *consecrandus*.

ASSERTIO III.

Traditio Evangelii non est de essentia Episcopatus, ut nec annuli nec baculi.

PROBATUR 1. eadem, qua jam usi sumus, ratione: antequam enim scriptum esset Evangelium, atque adeo tradi posset, jam existebat in Ecclesia Episcopatus. Et vero, ut testatur Morinus *cap.*2. recens est istius cæremoniæ usus.

PROBATUR 2. quia traditio Evangelii & annuli non viget in Orientalibus Ecclesiis, quæ certe idcirco Episcopatu non destituuntur.

PROBATUR 3. eo quod ante hujusmodi porrectionem Episcopus jam dicitur *consecratus*.

ASSERTIO IV.

Impositio manuum est materia essentialis Episcopatus, & quidem sola.

PROBATUR Prima pars.

Primo quidem ex Scripturis, quæ non solum hanc manuum impositionem commemorant, sed etiam ipsi gratiam ascribunt. *Admoneo te*, inquit Paulus, *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Si autem gratiam ipsa confert, haud dubie pertinet ad sacramentum.

Secundo concordi omnium Ecclesiarum loquendi consuetudine. Qua enim de causa cum apud Græcos & Orientales, tum apud Latinos ab omni ævo invaluit, ut *impositionis manuum*, & *χειροτονίας* nomine sacra Or-

Ordinatio vocaretur, ut olim monuimus, nisi quod ex Scripturis & ex apoſtolica traditione didiciſſent, in iſta manuum impoſitione Ordinationem eſſe collocandam?

Tertio teſtimoniis nonnullorum e Patribus qui impoſitionis manuum vim enucleatius aperiunt.

1. enim Cornelius ſummus Pontifex *epiſt. ad Fabium* de Novatiano, qui nonnullos Epiſcopos ſubornarat, "Eos, inquit, adumbrata quadam, & „ inani manuum impoſitione Epiſcopatum ſibi tradere cogit: " apud Euſebium *lib. 6. hiſt. cap.* 43.

2. S. Ephrem *de Sacerdotio*, " O poteſtas, inquit, ineffabilis, quæ „ in nobis dignata eſt habitare per impoſitionem manuum ſacrorum ſa„ cerdotum.

3. Baſilius *epiſt. ad Amphilochium*, *can.* 2. de quibuſdam hæreticis loquens, " Qui enim, inquit, primi receſſerunt, ſacris Ordinibus ini„ tiati erant, & per impoſitionem manus Patrum ſpirituale donum „ habebant.

4. Gregorius Nyſſenus *ſupra* de Phædimo qui Gregorium Thaumaturgum longe diſſitum ſacerdotio addixit, " Loco, inquit, manus impoſi„ tionis adhibuit ei ſermonem.

5. Epiphanius *hæreſi* 75. Aerium refellens, qui ex eo quod manus imponerent presbyteri, facultatem ordinandi eis ineſſe colligebat, duplicem diſtinguit manuum impoſitionem, & eam qua Ordinatio fit, presbyteris abjudicat. Ergo eſt aliqua manuum impoſitio Ordinationi eſſentialis, quæ Epiſcopis propria eſt.

6. Hieronymus *in caput* 58. *Iſaiæ* χειροτονίας vocem, quæ legitur apud Septuaginta, exponens, " Plerique noſtrorum, inquit, χειροτο„ νίαν, ideſt Ordinationem Clericorum, quæ non tantum ad im„ precationem vocis, ſed ad impoſitionem impletur manus .... intel„ ligunt.

7. Innocentius Primus *epiſtola* 22. innuens gratiam conferri per manus impoſitionem ab Epiſcopis Catholicis factam, ait contra ordinatos ab hæreticis vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput.

8. Auguſtinus *de geſtis cum Emerito*, " Invocatio, inquit, nominis „ Dei ſuper caput ipſorum quando ordinantur epiſcopi &c. *Sermone* au„ tem 2. " Cæteri, inquit, non aderant Ordinationi ejus, quando ei „ manus impoſita eſt.

9. Dionyſius vulgo Areopagita *cap.* 5. *de Eccleſiaſtica hierarchia*, " Epiſcopus, inquit, qui ad conſecrationem adducitur, ... ſupra „ caput habet manum Pontificis .... Atque hoc modo .... con„ ſecratur .... Manus impoſitio .... habitum vimque Eccleſiaſtici „ Ordinis largitur.

10. Gregorius magnus *homil.* 17. *in Evangelia*. " Qui namque ſunt, in„ quit

„ quit, in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi in Ecclesia pre-
„ tium de impositione manuum accipiunt, per quam videlicet imposi-
„ tionem Spiritus sanctus cælitus datur?

11. Synodus Hispalensis II. *canon.* 5. *supra*, materiam Ordinationis in impositione manuum, & formam in oratione aperte videtur collocare.

12. Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus cum Danielem Stylitam in presbyterum consecrare vellet, & ad imam columnam stans manum ei imponere non posset, " Deus, inquit, tibi desuper manus impo-
„ suit: " hanc impositionem esse necessariam indicans.

13. Job monachus *de sacramentis*, " In sacerdotio, inquit, res mi-
„ randa . . . . ut cum heri & nudius tertius . . . . plebeius extiterit,
„ impositione dextræ tantum. . . . mutationem suscipiat, & talis eva-
„ dat, ut divina mysteria administrare queat.

14. Beda *hom.*40. Gregorium magnum exscribit.

15. Tharasius patriarcha Constantinopolitanus *actione* 1. VII. *synodi* duplicem secernit manuum impositionem, unam qua simplex benedictio conferatur, alteram qua Ordinatio peragatur: " Fieri potest, inquit, ut
„ *χειροθεσία*, id est manus impositio, pro benedictione accipiatur,
„ non pro Ordinatione.

16. Auctor operis *de dignitate sacerdotali* apud Ambrosium *cap.* 5. " Ho-
„ mo, inquit, imponit manus, Deus largitur gratiam: sacerdos imponit
„ supplicem dextram & Deus benedicit potenti dextra. " Sic ille sacramentum ejusque effectum exprimit.

17. Alexander II. *causa primæ quæst.* 3. *cap. Ex multis*, " Chal-
„ cedonense Concilium, inquit, . . . condemnat eos qui sacram ma-
„ nus impositionem, per quam Spiritus sanctus confertur, mercari
„ dignoscuntur.

18. Urbanus II. *supra* " Nezelon, inquit, quia nihil habuit, nihil da-
„ re potuit ei cui manus imposuit.

Probatur 4. omnium vulgo theologorum consensione. Omnes enim passim impositionem manuum pro materia Ordinationis episcopalis agnoscunt. Vide Altissiodorensem *parte* 4. *de Sacramento Ordinis cap.*1. Bonaventuram *in* 4. *dist.* 24. *par.* 2. *art.* 1. *quæst.* 4. Durandum *ibid. qu.*3. *&c.*

Probatur secunda pars, quod nempe sola manuum impositio sit Episcopatus materia.

1. quidem ex aliarum opinionum confutatione.

2. ex eo quod nihil aliud sit cui vel Apostoli vel Patres gratiam Ordinationis attribuant.

Quæres quænam manuum impositio sit essentialis.

Respondeo eam potius videri esse essentialem quæ a solo Pontifice fit: 1. quia non videtur alia de causa dici *consecrator*: 2. quia solus formam profert, hoc est orationem, uti modo declarabimus.

CAPUT III.

De forma Episcopalis Ordinationis.

ORdinationis Episcopalis formam quibusdam in verbis positam esse constat apud omnes theologos; sed quænam illa sint inter ipsos non convenit.

Itaque plurimi sentiunt formam istius Ordinationis apud Latinos in hisce verbis esse constituendam : *Accipe Spiritum sanctum* . Imo Nugnes *additione ad tertiam part. quæst.* 34. *artic.* 4. contendit hoc in fidei dogma jam esse susceptum , & qui ei repugnaret hæreticum fore. His alii addunt verba illa quæ in unctione capitis ac manuum, ac traditione Evangelii, annuli & baculi proferuntur.

Cum autem de Græcis nihil illi definiissent , Arcudius in id incubuit : cumque hæc verba apud eos non reperisset , asseruit hanc formam apud Græcos esse reponendam in iis verbis, *Divina gratia* , *quæ semper infirma curat &c.*

Neutrum vero arrisit Morino, ac Martenio aliisque recentioribus, qui Ordinationis formam in precibus , & orationibus apud Latinos, Græcos & Orientales usitatis figere maluerunt.

ASSERTIO PRIMA.

Forma Ordinationis episcopalis non videtur in his verbis, *Accipe Spiritum sanctum* necessario collocanda.

PROBATUR 1. Forma Ordinationem episcopalem constituens , debuit semper & ubique Ordinationi inesse . Atqui apud Græcos primo & Orientales de his aut similibus verbis altissimum est silentium , ut liquet ex euchologiis , & Ordinationum formulis , apud Morinum *secunda parte* , & Martenium extantibus , & iidem Morinus ac Martenius harum rerum locupletissimi testes affirmant : apud Latinos vero sunt recentissima , nec in ullis antiquis ritualibus libris comparent : quod iidem asserunt , & videre est in vetustis codicibus quos exhibent.

PROBATUR 2. Forma cujuslibet sacramenti iis in verbis posita est, quæ proprium ipsius effectum distincte & enucleate significant . Atqui hæc verba generalia sunt, nihilque exprimunt quod Ordinationi peculiare dici queat.

OBJICIES . Ordinationis episcopalis forma in iis verbis , quæ gratiam conferunt , reposita est . Atqui hæc verba , *Accipe Spiritum sanctum*, gratiam Ordinationi annexam impertiuntur : sic enim habet synodus Tridentina *sess.* 23. *can.* 4. " Si quis dixerit , inquit , per sa-
" cram Ordinationem non dari Spiritum sanctum ; ac proinde frustra
" Epi-

„ Episcopos dicere ; *Accipe Spiritum sanctum* ; anathema sit. " Ex quo nemo est qui non intelligat juxta sacram synodum denotari gratiam datam his verbis. Ergo.

Nego minorem. Ad id vero quod adjicitur, his verbis denotari gratiam datam, Respondeo distinguendo : datam per Ordinationem ; concedo : per hæc ipsa verba ; nego. Nempe synodus hæreticos feriebat, qui censebant Ordinationem non esse sacramentum, eaque gratiam non dari : ac proinde frustra ab Episcopis dici, *Accipe Spiritum sanctum* ; quia videlicet, etsi hæc verba non sint causa gratiæ, sunt tamen illius non inane signum : contra vero synodus pronunciat Ordinationem esse sacramentum, eaque gratiam conferri, atque adeo non frustra dici, *Accipe Spiritum sanctum* : non quod definire velit hæc verba esse Ordinationis formam ; sed quod illa sint verum nec mendax collatæ per Ordinationem gratiæ argumentum. Et vero id generatim sanciunt Tridentini Patres de ea omni Ordinatione quæ est sacramentum, ac proinde etiam de presbyterali in qua eadem quoque verba usurpantur. Atqui non omnes ideo definiunt hanc quoque esse formam presbyteratus. Ergo hoc decretum ad formam designandam necessario non spectat. Ita illi Theologi.

ASSERTIO II.

Quæ verba unctionem capitis ac manuum, aut traditionem Evangelii, annuli & baculi comitantur, ea non sunt episcopalis Ordinationis forma.

Probatur iisdem momentis, quibus ostendimus hæc non esse essentialem Ordinationis episcopalis materiam.

ASSERTIO III.

Forma Episcopatus apud Græcos non est in his verbis constituenda, *Divina gratia &c.*

Probatur 1. Ea non est Ordinationis Episcopalis forma, quæ est publica duntaxat electionis antea factæ denunciatio. Atqui talis videri potest ista formula. 1. enim id cuilibet legenti manifestum est. 2. Hoc ipsum sonant voces illæ *suffragio & consensu Metropolitanorum*: non enim ad consecrationem pertinent suffragia, sed ad electionem. 3. Eadem formula usurpabatur, ubi etiam nulla fiebat Ordinatio, modo electio facta esset, v. g. in translationibus Episcoporum : ita enim, teste Cedreno cum S. Germanus e sede Cyzicena ad Constantinopolitanam transiit, proclamatum est : *Suffragio & approbatione . . . Episcoporum, divina gratia, quæ semper infirma curat &c. . . . . transfert Germanum &c.* 4. Apud Latinos pariter non solum in usu erat simile electionis decretum ; sed etiam illud inter ipsa consecrationis solemnia palam, &

& publice promulgabatur, quemadmodum conſpicere eſt apud Morinum exercit. 2. cap. 3. num. 12. & Martenium pag. 226. & alibi. Atqui nemo dixerit hoc apud Latinos ad formam pertinuiſſe. Ergo nec apud Græcos.

Probatur 2. In eo non conſiſtit Epiſcopatus forma quod in conſecrandis Epiſcopis nec ſemper, nec ubique, nec neceſſario adhibitum eſt. Atqui

1. Hæc formula non ſemper & ubique adhibita eſt. Eam enim non ſolum non commemorant Scripturæ, quæ tamen Ordinationis epiſcopalis mentionem faciunt: ſed ne apud auctorem quidem conſtitutionum apoſtolicarum ullatenus illa occurrit, licet omnia vel leviſſima ſigillatim conſectetur ac deſcribat. Atque adeo nondum, ſaltem ubi is ſcribebat, in more poſita erat.

2. Non neceſſario adhibebatur, quod aperte colligitur ex Theodoreto *in Philoteo*; *Capite* enim 13. narrat quemdam aſcetam nomine Macedonium a Flaviano Antiocheno archiepiſcopo ita fuiſſe in preſbyterum conſecratum, ut ne poſt conſecrationem quidem reſciret ille ſe fuiſſe conſecratum. An vero id ignorare potuiſſet ſi præceſſiſſet talis promulgatio? *Capite* autem 19 referens quo pacto alter aſceta nomine Salamanus presbyteratu initiatus fuerit, " Pontifex, inquit, civitatis cujus is erat vicus, cum viri didiciſſet virtutem, acceſſit „ volens ei dare donum ſacerdotii, & domunculæ perfoſſa aliqua par- „ te eſt ingreſſus, manumque impoſuit, & peregit precationem, & „ ſæpe quidem ei dixit, &, quæ ad eum advenerat, gratiam ſignifica- „ vit. " Ergo citra ejuſmodi promulgationem facta erat Ordinatio: eam enim ignorabat Salamanus, quam quidem non potuiſſet ignorare, ſi talis denunciatio fuiſſet adhibita.

Probatur 3. Ea verba non ſunt in formam Ordinationis epiſcopalis aſſignanda, quæ eo tempore ac loco recitantur, quo proferri non debet forma. Atqui

Hæc verba 1. recitantur eo tempore, quo nondum forma proferri debet. Nimirum ſacramentorum forma aut materiam conſequitur aut comitatur. Atqui hæc verba proferuntur ſtatim a principio cum nondum fit manus impoſitio, ſaltem juxta pleroſque antiquos rituales libros, ut obſervat Morinus.

2. Eo loco pronunciantur, quo pronunciari non debet forma. Ordinatio enim Epiſcopalis intra ſanctuarium dubio procul celebratur, ac proinde intra ſanctuarium forma debet proferri. Atqui hæc verba proferuntur in ipſo Eccleſiæ limine, antequam in ſanctuarium ventum fuerit, ut indicat euchologium Græcum apud Morinum 2. *parte*, *pag*. 124. & Simeon Theſſalonicenſis *de ſacris Ordinationibus*, *cap*. 5. Poſtea quidem intra ſanctuarium eadem formula recitabatur. At ſi in ipſo Eccleſiæ aditu pro forma Ordinationis non poteſt aſſignari,

nihil

nihil eſt cur alterius eſſe dicatur intra ſanctuarium naturæ, & conditionis.

Probatur 4. Forma conſecrationis epiſcopalis gratiam confert & Ordinationem complet ac perficit. Atqui poſt hæc demum verba, oratio funditur ab epiſcopo ut gratia adveniat, & donec hæc oratio peracta fuerit, qui ad Ordinationem acceſſit, is dicitur *electus* tantum aut *conſecrandus*, poſtea vero tandem *conſecratus*. Ergo.

Objicies 1. Gregorius Nazianzenus *oratione in laudem patris ſui*, " „ Nunc, inquit, parum deeſt quin exiſtimem publicos magiſtratus præ„ ſtantiore ordine adminiſtrari quam noſtros, quibus divina gratia ac„ clamatur. „ Ergo.

Respondeo Gregorium quidem Nazianzenum ad hanc acclamationem reſpicere, ut in more jam poſitam; ſed non affirmare hanc eſſe Ordinationis formam.

Objicies 2. Chryſoſtomus *oratione* 4. *de ſacerdotio*, carpens Ordinationum pravos uſus, " Multæ, inquit, harum Ordinationum a divina gratia non fiunt, ſed ab humano ſtudio. " Ergo.

Respondeo nihil inde erui poſſe, niſi quod hæc verba jam uſurparentur & ſæpe non vere dicerentur.

Objicies 3. Dionyſius, vulgo Areopagita, videtur hancce promulgationem habere pro legitima Ordinationis forma. Ergo.

Nego antecedens. Imo ex Dionyſio ejuſque interpretibus novum elicitur argumentum, quo probemus hæc verba nihil aliud eſſe quam electionis jam factæ declarationem ac denunciationem. Dionyſius enim de *eccleſiaſtica hierarchia cap.* 5. hæc verba explanans, quæ ad conſecrationis finem repetuntur, " Sanctam, inquit, conſecrationum & gra„ dus nominumque eorum qui conſecrantur, renunciationem excla„ mans effert: quod quidem myſterium declarat pontificem ..... „ interpretem eſſe divinæ electionis: ipſum autem non ſuo munere „ & favore eos, qui conſecrantur ad eccleſiaſtici Ordinis perfectionem „ efferre; ſed divini numinis inſtinctu in omnibus conſecrationibus „ pontificalibus agi.

Maximus Martyr ad hunc Dionyſii locum, " Hæc, inquit, *procla„ mationem nominis* vocat (Dionyſius,) cum in ipſa Ordinatione præ„ dicat ordinandum dicens, *Divina gratia &c.*

Pachymeres *ibid.* " Elata, inquit, voce pronunciat Pontifex nomen „ illius qui ordinatur, quia .... conſecrator ſolum declarat divinam „ electionem &c.

Objicies 4. Simeon Theſſalonicenſis *de ſacris Ordinationibus*, *cap.* 4. aperte indicat ea formula ſacram Ordinationem fieri: cum enim eadem formula in Ordinatione diaconi locum etiam habeat, eam explicans, " Cum hoc dicit Epiſcopus, inquit, & gratiam donat; & „ qui ordinatur, diaconatum Epiſcopi verbo ſtatim accipit: efficax

„ enim

„ enim est per sanctissimum Dei Spiritum : .... tunc quidem statim „ e subdiacono fit diaconus. " Ergo.

Distinguo antecedens : ea Ordinationem fieri, id est, inchoari, aliisque adjunctis perfici; concedo : eâ sola expleri; nego. Fuerunt olim in scholis juris canonici interpretes, qui ad sacramentorum essentiam pertinere voluerint, quæcunque in ritualibus libris præscribuntur usurpanda : videtur autem Simeon Thessalonicensis idem censuisse : neque enim reliqua exclusisse putandus est ; imo conceptis verbis sanctas insuper preces postulat, ut Ordinatio perficiatur : illico enim sic pergit: " Nihilominus tamen, inquit, opus adhuc habet mysterio & perfectione precum episcopalium, & cæterorum omnium quæ in Ordi- „ nationum paradigmate continentur. Non enim vox sola sufficit, ut „ subdiaconus in diaconum creetur, dicere, *In diaconum vel quemvis* „ *alium gradum promoveatur* ; sed cum hoc oportet etiam caput ejus „ sacræ mensæ incumbere, & flectentem genu, episcopi manum impo- „ sitam habere, & descriptas preces & orationes recitari. " Hæc autem peculiaris est opinio Simeonis Thessalonicensis, qui cum recentior sit & e schismaticorum grege, non tantæ apud nos esse debet auctoritatis.

Objicies 5. Hac formula dicuntur episcopi προχειρίζεσθαι. Atqui hoc verbum *Ordinationem* & *consecrationem* proprie significat. Ergo.

Nego minorem : hoc enim verbum propriè significat *promotionem*, & ad electionem ac designationem frequentissime refertur, quod norunt linguæ Græcæ periti, & nos *supra* observavimus.

ASSERTIO IV.

Ordinationis episcopalis forma videri potest probabilius in precibus & orationibus constituenda.

Probatur 1. ex Scripturis quæ solius orationis in Ordinatione sacra sive Episcoporum sive diaconorum, quorum eadem ratio est, mentionem faciunt. Ita quippe *Act. 6. 6.* de septem diaconis, *Hos*, inquit Lucas, *statuerunt ante conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*. Capite autem 13. 3. de Ordinatione Pauli & Barnabæ, *Tunc*, inquit, *orantes & jejunantes, imponentesque eis manus*, *dimiserunt illos &c.*

Probatur 2. ex consono utriusque Ecclesiæ, Græcæ nimirum & Latinæ, usu ac sensu. Cum enim idem in utraque sit Sacramentum, eadem quoque apud has Ecclesias materia & forma, ex quibus Sacramentum constat, esse debuit. Jam vero si consulantur earum libri rituales antiqui, ambæ in orationibus adhibendis consensisse deprehendentur : nec consenserunt solum, sed etiam in iis vim Ordinationis esse reponendam satis indicarunt. Græci namque his demum in pre-

ci-

cibus gratiam Dei advocant, quam antea nondum advenisse satis eo innuunt. Latini vero cum ejusmodi orationem exhibent, eam *consecrationis* nomine insigniunt; quod advertere est apud Martenium *pagin. 366. 377. 383. 438.* Ergo his in precibus Ordinationis formam constituebant.

PROBATUR 3. testimoniis veterum.

Primo enim auctor constitutionum apostolicarum *lib. 8. cap. 4. & 5.* describit qua ratione inaugurandi sint Episcopi. Solius porro orationis meminit. Ergo ea sola Ordinationis erat forma legitima. Quis enim putet hunc scriptorem, cum Ordinationum usitatos ritus enumerat, eos qui essentiales essent omissurum fuisse, & in aliis hæsurum qui ad ipsam Ordinationis substantiam nihil attinerent.

Secundo Hieronymus *supra*, de sacra Ordinatione disserens, " Quæ „ non tantum, ait, ad imprecationem vocis, sed ad impositionem im- „ pletur manus, " Ergo ut impositio manuum est materia, sic & oratio pro forma habenda est.

Tertio Augustinus passim eandem invocationem Dei ita allegat ut in ea vim ipsam Ordinationis episcopalis sitam esse demonstret. Ita *de gestis cum Emerito*, " Invocatio, inquit, nominis Dei super caput ip- „ sorum, quando ordinantur Episcopi, invocatio illa Dei est, non Do- „ nati. Non enim suscipio episcopum, si, quando est ordinatus, su- „ per caput ejus Donatus est invocatus. " *Capite* autem 10. *libri* 2. *contra Cresconium*, qui Ecclesiæ vitio vertebat, quod episcopos Donatistas susciperet, " Quasi vero, inquit, sacramenta & invocatio nominis Dei, „ quæ sit apud vos, ipsa inimica sit nobis ... Cum apud vos ordinantur, „ non super eos invocatur nomen Donati, sed Dei.

Quarto Dionysius, vulgo Areopagita, *eodem cap. 5. supra*, de episcopi Ordinatione loquens, " A consecrante, inquit, eum Pontifice sanctis- „ simis invocationibus consecratur. " Et *paulo post*, " Sanctis, inquit, „ precationibus sanctificatur.

Quinto Synodus II. Bracarensis *supra* non obscure significat ex manuum impositione & oratione sacram coalescere Ordinationem.

Adde historiam ascetæ Salamani, in qua solius manuum impositionis & orationis mentio fit, consecrationem Danielis Stylitæ, in qua ad Dei manuum impositionem cælitus factam, Gennadii orationes adjunguntur; & auctorem operis *de dignitate sacerdotali* apud Ambrosium qui idcirco sacerdotis dexteram *supplicem* vocat, &c.

Merito itaque Innocentius IV. in cap. *Presbyter*, de sacramentis non iterandis, " De ritu, inquit, apostolico invenitur quod manus impone- „ bant ordinandis, & quod orationem fundebant super eos: aliam autem „ formam non invenimus ab eis servatam.

OBJICIES. Formæ omnium sacramentorum indicativæ sunt aut imperativæ. Ergo forma Ordinationis in oratione constitui non potest.

Nego majorem. Pleræque enim Sacramentorum formæ quondam erant

erant deprecativæ, nihilque obſtat quominus etiamnum tales eſſe poſſint nonnullæ.

Atque hæc de variis Theologorum ſuper Ordinationis epiſcopalis forma ſententiis ſufficiant, de quibus aliorum eſto judicium.

SECTIO III.

De exiſtentia Epiſcopatus.

Quæres 1. an in eccleſia ſemper extiterint Epiſcopi.

Respondeo ſemper extitiſſe; quod ex epiſtolis Pauli patet & veterum Eccleſiarum originibus, Romanæ v. gr. Alexandrinæ, Antiochenæ & Hieroſolymitanæ quorum ab Apoſtolorum temporibus ſingulos præſules exhibent nobis hiſtoriæ ſacræ monimenta.

Quæres 2. an ubique in uſu fuerint.

Respondeo nullam eſſe gentem chriſtianam quæ Epiſcopos non habuerit, quod ex iiſdem monimentis conſtat.

ARTICULUS II.

De neceſſitate & ſuperioritate Epiſcoporum.

SECTIO PRIMA.

De Epiſcoporum neceſſitate.

UT propoſitæ quæſtionis ſtatus dilucide perſpiciatur, obſervandum eſt,

1. Non quæri univerſim an Epiſcopi ſint Eccleſiæ neceſſarii, an toda eccleſia poſſit ſine epiſcopis conſiſtere: id enim eſſe non poſſe inaubitatum eſt apud omnes. Nempe epiſcopatus divini eſt inſtituti quod cboleri nequit; cumque eccleſia ſine ſacerdotio eſſe nequeat, oportet neeſſario eſſe qui ſacerdotes conſecrent & populo chriſtiano concedant. Id porro, ut notum eſt, ad ſolos epiſcopos ſpectat.

2. Non ambigi an aliqua eſſe poſſit peculiaris eccleſia, quæ aliquem non agnoſcat epiſcopum ut ſuperiorem generalem & omnibus etiam aliis communem: nemo enim eſt Catholicus qui Romano Pontifici, tanquam eccleſiæ univerſæ capiti, ſubditus non ſit.

Controverſia ergo eſt an eſſe queat peculiaris quædam eccleſia, omni ex parte perfecta & omnibus numeris abſoluta, quæ proprium epiſcopum non habeat.

A S-

ASSERTIO

Nulla eſt eccleſia quæ proprium epiſcopum habere non debeat.

PROBATUR 1. ex Scripturis. *Actorum* enim 20. 28. Apoſtolus peculiares epiſcopos certis eccleſiis addictos alloquens, *Attendite*, inquit, *vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus-ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* " Atque adeo epiſcopi per unamquamque Eccleſiam ſunt ex inſtitutione Spiritus-ſancti.

PROBATUR 2. ex Patribus.

Primo enim Clemens Romanus *epiſt.* 1. *ad Cor. num.* 42. " Apoſtoli, „ inquit, ... acceptis mandatis epiſcopos ... conſtituerunt. ... Et quid „ mirum, ſi quibus in Chriſto commiſſum eſt a Deo hoc munus, prædi„ ctos conſtituerint? ... Apoſtoli .... cognoverunt per Dominum no„ ſtrum Jeſum Chriſtum, quod futura eſſet contentio de nomine epiſco„ patus. Ob eam ergo cauſam accepta perfecta præcognitione conſti„ tuerunt ſupra dictos, & deinceps futuræ ſucceſſionis regulam tradide„ runt, ut cum illi decederent, miniſterium eorum ac munus alii viri „ probati exciperent " &c. Ita ille Pauli diſcipulus & Petri ſucceſſor de epiſcopis per ſingula loca creatis.

Secundo Ignatius martyr idem paſſim in epiſtolis docet.

Ad Epheſios enim *num.* 2. & 3. " Subjecti, inquit, epiſcopo & pres„ byterio per omnia ſanctificati ſitis ... Etenim Jeſus Chriſtus, inſe„ parabilis noſtra vita, Patris eſt ſententia, ut & epiſcopi per terræ „ terminos definiti, ex Jeſu Chriſti ſunt ſententia.

Ad Trallianos, *num.* 13. " Valete, inquit, in Jeſu Chriſto ſubditi e„ piſcopo, ut (Dei) mandato, " &c.

Ad Smyrnæos, *num.* 8. " Sine epiſcopo, inquit, nemo quidquam fa„ ciat eorum, quæ ad eccleſiam ſpectant. Rata habeatur Euchariſtia „ illa, quæ ſub epiſcopo fuerit, vel cui ipſe conceſſerit. Ubi compa„ ruerit epiſcopus, ibi & multitudo ſit: quemadmodum ubi fuerit Je„ ſus-Chriſtus, ibi catholica eſt eccleſia. Non licet ſine epiſcopo ne„ que baptizare, neque agapen celebrare; ſed quodcunque ille pro„ baverit, hoc & Deo eſt beneplacitum, ut tutum ratumque ſit quod„ cunque agitur.

Tertio Cyprianus *epiſt.* 27. *edit. Pamel. de lapſis*, " Dominus, in„ quit, noſter, cujus præcepta metuere & obſervare debemus, Epiſco„ pi honorem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens, in Evangelio .... „ dicit Petro .... *Tu es Petrus & ſuper iſtam petram ædificabo Eccle„ ſiam meam* .... Inde per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſco„ porum Ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit, UT ECCLESIA SUPER „ EPISCOPOS CONSTITUATUR: ET OMNIS ACTUS ECCLESIÆ PER „ EOSDEM PRÆPOSITOS GUBERNETUR. Cum hoc itaque DIVINA „ LEGE fundatum ſit, miror quoſdam audaci temeritate ſic mihi ſcri-

„ bere

„ bere voluisse, ut Ecclesiæ nomine litteras facerent, quando Ecclesia „ in Episcopo & clero & in omnibus stantibus sit constituta, " &c. Ac proinde juxta Cyprianum Ecclesiæ ratio ex institutione Christi Episcopos postulat, & unaquæque super Episcopos constituta est. Quod idem sanctus martyr non minus luculenter alibi præterea tradit: *Epistola* enim 59. " Ecclesia, inquit, (est) plebs sacerdoti adunata, & „ pastori suo grex adhærens; unde scire debes Episcopum in ecclesia „ esse & Ecclesiam in Episcopo, & si quis cum Episcopo non sit in „ Ecclesia non esse.

Quarto Hieronymus *in dialogo contra Luciferianos*, " Ecclesia non „ est, inquit, quæ non habet sacerdotem (id est Episcopum.) *Ibidem*, „ Ecclesiæ salus, inquit, in summi Sacerdotis dignitate pendet, cui si „ non exors quædam & eminens datur potestas, tot in Ecclesiis efficiuntur schismata, quot sacerdotes.

PROBATUR 3. ex titulis ac nominibus Episcoporum apud veteres usitatis. Vocantur enim passim *Ecclesiarum sponsi*, *pastores*, *patres-familias*, *principes ac monarchæ*, *capita populorum*: unaquæque vero ecclesia gregi, familiæ, regno, corpori, & sponsæ comparatur. Atqui grex esse non potest sine pastore, familia sine duce, regnum sine principe, corpus sine capite, sponsa sine sponso. Ergo.

PROBATUR 4. ex pia illa ac religiosa sollicitudine, quæ populos ac Ecclesiam semper tenuit, ut Episcopis defunctis alii statim sufficerentur. Sic S. Leo *Epist.* 12. *ad Anastasium Thessalonicensem*, *num.* 7. id imperat, " Ne gregibus, inquit, diu desit cura pastorum. " S. Gregorius eodem sensu *lib.* 6. *epist.* 39. " Ecclesia Dei, inquit, diu viduata „ proprio Episcopo remanere non debet, ne .... dominicum gregem „ antiquus ..... hostis insidiando dilaniet. " Hinc etiam Cyprianus *epist.* 69. *ad Pupianum*, qui eum pro Episcopo habere nolebat, cum a sex jam annis Ecclesiæ præesset, hoc quasi quoddam doctrinæ portentum ei objicit, quod Ecclesia Carthaginensis per sex annos sine proprio Episcopo extitisset: " Ecce jam, inquit, sex annis nec fraternitas „ habuerit Episcopum, nec plebs præpositum, nec grex pastorem, „ nec Ecclesia gubernatorem, nec Christus Antistitem, nec Deus sacerdotem? Subveniat Pupianus " &c.

Illic enim id quasi monstrum quoddam ac portentum aversatur, & Pupiano tanquam ex ipsius facto consequens objicit.

PROBATUR 5. ex censuris sacræ Facultatis, Archiepiscopi Parisiensis, & Cleri Gallicani super hoc argumento. Scilicet anno 1625. Urbanus VIII. Richardum Smitheum episcopum Chalcedonensem creatum in Angliam misit ut Catholicis eo in regno latentibus præesset. Cum autem nonnulli, alias religiosi Jesuitæ viri, in eadem hac vinea laborantes, eum, ut par erat, non excepissent, Anglus quidam doctor Anglicani collegii Duacensis præpositus, nomine Kellisonus, adversus eos scripsit de ecclesiastica hierarchia ad ostendendam Episcoporum in singu-

singulis ecclesiis necessitatem. Kellisonum autem confutare aggressi sunt duo ex contrariis partibus theologi sub ementitis Nicolai Smithei & Danielis a Jesu nominibus; primus quidem libellum inscribens, *Modesta & brevis discussio*; alter, *Apologia pro modo procedendi sanctæ sedis apostolicæ* &c.

Jam vero cum hi duo libelli variis contra Episcopos erroribus scatere visi essent, paulo post delati fuere cum ad sacram Facultatem, tum ad Archiepiscopum Parisiensem & comitia generalia cleri Gallicani anno 1631. congregata, & ubique damnati sunt: de quo Hallerium, Petrum Aurelium, & acta ipsa comitiorum consulat qui velit.

Inter eas porro quæ tum proscriptæ sunt propositiones, hæ potissimum ad institutum nostrum pertinent:

Prima " Ordinatio presbyterorum & ministrorum Ecclesiæ sola est causa, quæ infert necessitatem Episcopi.

Secunda " Ecclesia tempore persecutionis indiget Episcopo solum
" propter ordinandos presbyteros.

Tertia " Lex divina non plus exigit, quam ut sint aliqui Episcopi
" in Ecclesia, tot numero scilicet ut periculum non sit ne totus Ordo
" subito abripiatur ex eorum mortibus, & sic dispersi per mundum, ut
" omnibus Christianis sufficienter provideatur de doctis & virtuosis sa-
" cerdotibus. Si hoc fiat legi divinæ satisfiet, licet nulli sint Episcopi
" in Gallia, Hispania aut Anglia.

Quarta " Da ergo mihi multitudinem Christianorum, quantumcun-
" que magnam, quæ non indiget Episcopo ad ordinandos sacerdotes,
" & audacter dicam quod non sit opus ut gubernator illius societatis
" sit Episcopus.

Quinta " Imo ponamus Ordinationem sacerdotum & ministrorum
" Ecclesiæ non esse necessariam in Ecclesiis, sequitur statim non esse
" opus ut Ecclesia universalis gubernetur ab Episcopis, qui superiores
" sunt sacerdotibus.

Has vero propositiones confixit sacer theologorum Ordo.

Primam quidem & secundam ut falsam; Ecclesiæ ordinisque hierarchici destructivam, & hæreticam.

Tertiam ut falsam, temerariam, scandalosam, ordinis hierarchici destructivam, erroneam & verbo Dei contrariam.

Quartam iisdem notis, errore excepto.

Quintam ut falsam, seditiosam, perniciosam, & quæ homine Christiano indignam suppositionem contineat, doctrinamque inducat hæreticam.

PROBATUR 6. ratione. Illud enim necessarium, & quidem jure divino, asseri debet, quod Apostoli constituerunt, quod unanimi consensu, dum viverent, executioni demandarunt, quod denique deinceps ubique gentium constanter obtinuit. Atqui &c. Ergo &c.

Objicies 1. Ecclesia mortuo Episcopo non perit, sed adhuc manet. Ergo.

Distinguo antecedens : manet imperfecta; concedo : perfecta; nego. Hinc enim dicitur a Patribus *grex sine pastore*, *navis sine gubernatore*, *&c.* Ex eo sane consequeretur summum pontificem non esse Ecclesiæ toti necessarium; eo enim mortuo, ipsa non interit : at ita perseverat, ut tamen quam primum alter suffici debeat; esset enim corpus sine capite. Quod autem de Ecclesia universa & summo Pontifice dicitur, id proportione servata de unaquaque ecclesia & ejus proprio Episcopo dici debet.

Objicies 2. Reipsa non sunt Episcopi instituti nisi ad creandos Ecclesiæ ministros. Ergo hac sublata necessitate, non sunt illi singulis Ecclesiis necessarii.

Nego antecedens : ut enim conceptis verbis affirmat S. Paulus, *Spiritus-sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Adde Ignatium *epist. ad Smyrnæos*, & Cyprianum *supra*.

Objicies 3. Multæ sunt in pagis ac minoribus civitatibus Ecclesiæ, quæ proprium non habent Episcopum. Ergo.

Nego antecedens; habent enim singulæ suum & proprium Episcopum, sed eundem & indivisum, non autem distinctum ac diversum ; potest enim aliquid pluribus esse proprium simul & commune. Scilicet Ecclesiæ est unius cujusque diœceseos limites figere ; ubi autem fixi sunt, omnes illius tractus Ecclesiæ totidem sunt veluti membra ejusdem corporis, cui Episcopus peculiaris ut caput præest. Nulla itaque diœcesis est quæ sine proprio Episcopo consistere possit.

SECTIO II.

De Episcoporum supra presbyteros excellentia ac superioritate.

Duplex hic quæstio institui potest.

Prima eaque generalis, an in Ecclesia semper nec immerito extiterint Episcopi a presbyteris distincti iisque superiores, sive id a Christo, sive ab Apostolis aut Ecclesia profectum fuerit :

Altera specialior, an ista Episcoporum a presbyteris distinctio & illorum in hos auctoritas divino jure & Christi instituto innitatur.

Aerius IV. sæculo cum Episcopatum, quem ambiebat, adipisci non potuisset, ira percitus ad Arianos deflexit, eorumque erroribus hunc addidit, ut nullum per sese Episcopos inter & presbyteros discrimen extare, aut Apostolorum ævo fuisse, aut etiam esse debere contenderet. Sic enim Epiphanius *hæresi* 75. ipsius sententiam refert. « Quid est, » inquiebat, Episcopus præ presbytero ? nihil hic ab illo differt : est » enim amborum unus Ordo, par & idem honor ac dignitas : manus » im-

„ imponit Episcopus, imponit & presbyter : baptizat Episcopus, idem „ facit & presbyter : sacrificii administratione fungitur Episcopus, iti-„ dem & presbyter : Episcopus in throno sedet, sedet & presbyter. " Hinc Augustinus *de hæresibus*, *cap.* 53. " Aeriani, inquit, ab Aerio „ quodam sunt, qui cum esset presbyter, doluisse fertur quod Episco-„ pus non potuit ordinari, & in Arianorum hæresim lapsus, propriâ „ quoque dogmata addidisse dicens, . . . presbyterum ab Episcopo nul-„ la differentia debere discerni.

Waldenses idem sensisse perhibentur a plerisque recentioribus, v. g. Alphonso de Castro *lib. adversus hæreses*, verbo *Episcopus*; Alberto Pighio *lib.* 2. *hierarchiæ ecclesiasticæ*; Gabriele Prateolo *in elencho hæreseon num.* 24. Michaele de Medina *lib.* 1. *de sacrorum hominum continentia*, *cap.* 5. Petavio *de ecclesiastica hierarchia*, & aliis.

Verum id ipsis non tribuitur, quod sciam, ab antiquis, Bernardo de Calido fonte; Alano-magno, & reliquis. Eo tamen aliquatenus accedit quod memorat Guido Carmelita de iis loquens *num.* 14. " Di-„ cunt, inquit, tres Ordines tantum in Ecclesia esse, videlicet diaco-„ natum, presbyteratum, & Episcopatum, quos asserunt ab ipsis dependere, non autem a Deo neque a Romana Ecclesia.

Joannes Wiclefus hoc in capite apertius erravit : istud enim Wiclefi pronunciatum refert Willelmus Widefordus : " Tempore Pauli, in-„ quiebat, sufficiebant Ecclesiæ duo Ordines clericorum, sacerdos vi-„ delicet & diaconus, quia certum videtur quod superbia cæsarea alios „ gradus adinvenit. " Idem ei ascribit Thomas Waldensis *tom.* 1. *doctrinalis fidei*, *lib.* 2. *art.* 3. *cap.* 60. & *tom.* 2. *de sacramentis*, *cap.* 117. asserens Wiclefum in hoc lutum desperatione incidisse, cum videlicet episcopatum Wigorniensem, quem sperabat, non fuisset assecutus.

Ita veteres illi hæretici, non divinum modo jus, sed etiam ecclesiasticum impugnantes. Non solum enim Episcopos a Christo presbyteris esse præpositos, sed etiam a quoquam deinceps præponi debuisse inficiabatur. Jam ad recentiores veniamus.

Calvinus hanc distinctionem jure humano inductam putat. *Libro* enim 4. *institutionis*, *cap.* 4. *sect.* 2. " Quibus docendi munus, inquit, injun-„ ctum erat, eos omnes nominabant *presbyteros*. Illi ex suo numero „ in singulis civitatibus unum eligebant, cui specialiter dabant titulum „ *Episcopi*, ne ex æqualitate, ut fieri solet, dissidia nascerentur. Ne-„ que tamen sic honore & dignitate superior erat Episcopus, ut domi-„ nium in collegas haberet : sed quas habet partes consul in senatu, „ ut referat de negotiis, consulendo, monendo, hortando aliis præeat, „ auctoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi „ consilio fuerit, exequatur ; id muneris sustinebat Episcopus in pres-„ byterorum cœtu. Atque id ipsum pro temporum necessitate fuisse „ humano consensu inductum fatentur ipsi veteres.

Quo autem tempore id incœperit, ibi præcise non notat : innuit tamen

men illud in ipsis religionis christianæ incunabulis contigisse. At ipsius discipuli hocce discrimen non ita antiquum putant.

Salmasius enim *in dissertatione* de hoc argumento, *pag.* 253. illud ortum putat circa initium aut medium secundi sæculi.

Blondellus *in Apologiæ Hieronymi præfatione*, *p.* 7. & 8. post annum a Christo 136.

Ludovicus autem Capellus in thesibus, post annum 150. a Christi resurrectione, hoc est circa annum ab ipsius ortu 183. de quo Pearsonius *in præfatione*.

CAPUT PRIMUM.

An semper Episcopi fuerint a presbyteris distincti iisque superiores.

EPISCOPOS semper in Ecclesia extitisse ex Scripturis manifestum est. Quæstio vero est, an qui in iis nominantur *Episcopi*, peculiarem Ordinem constituerent a presbyterali distinctum, eoque non dignitate modo, sed etiam potestate superiorem.

ASSERTIO.

In Ecclesia semper extiterunt Episcopi a presbyteris distincti iisque superiores.

PROBATIONES.

Tanti momenti hæc controversia est, nullum ut omitti debeat argumenti genus quo assertio nostra firmari possit. Itaque sit

Probatio prima ex Scripturis.

PROBATUR I. ex Scripturis, & quidem multifariam.

Primo enim ex veteri instrumento constat triplicem fuisse Dei ministrorum gradum, in primo collocatum fuisse summum Sacerdotem; in secundo vulgares sacerdotes; in tertio tandem levitarum multitudinem. Eximia autem præ cæteris omnibus auctoritate eminebat summus Sacerdos, qui idcirco *omnium sacerdotum princeps*, (ἀρχιερεύς,) appellabatur, quod etiam Magdeburgenses confitentur *centuria* 1. *lib.* 1. *cap.* 7. " In ecclesia populi Judaici, inquiunt, unus tantum erat lege " divina summus Sacerdos, quem omnes agnoscere cogebantur eique " parere. " Calvinus assentitur *lib.* 4. *institutionis cap.* 6. *sect.* 2. " Illic, inquit, unum antistitem præfecit quem omnes respicerent, quo " melius in unitate continerentur. " Et vero id luculenter patet ex cap.

„ *cap.* 17. Deuteronomii aliisque pluribus locis. Atqui unaquæque Ecclesia christiana ad hanc formam expressa est ; quod & eruditi passim observant & jam olim veteres notarunt. Sic Hieronymus *in epist. ad Evagrium* 85. *tom.* 2. *pag.* 642. " Ut sciamus, inquit, traditiones apo-
„ stolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron, & filii ejus, at-
„ que levitæ in templo fuerunt, hoc sibi episcopi & presbyteri & dia-
„ coni vindicent in Ecclesia. " Ita etiam concilium Hispalense II. *can.* 7. quibus addi potest auctor *epistolæ* 3. *de chorepiscopis* Damaso ascriptæ, & 88. de eodem argumento Leoni attributæ. Ergo.

Secundo Evangelistæ nos docent a Christo duos novæ legis ministrorum Ordines fuisse electos : ac primum quidem duodecim Apostolorum : alterum vero septuaginta aut septuagintaduo discipulorum. Atqui Apostoli discipulis antecellebant, cum dignitate, cum potestate : Apostolis autem successerunt Episcopi ; & discipulis presbyteri. Ergo hac quoque parte Scripturæ astruunt Episcoporum a presbyteris distinctionem & supra hos illorum excellentiam.

Duæ sunt minoris propositionis partes sigillatim probandæ : prima, quod Apostoli supra discipulos eminerent : secunda, quod Apostolorum successores sint Episcopi, discipulorum autem presbyteri.

Prima porro pars nullo negotio cum ex Scripturis tum ex Patribus evincitur.

Ex Scripturis quidem. Quamvis enim Evangelii prædicandi & edendorum miraculorum potestas utrisque a Christo ante resurrectionem facta esse videatur, magnum tamen etiam tunc, & multo majus postea, inter eos discrimen extitisse ipsa Scripturarum lectione patet. 1. enim Apostoli ante discipulos vocati ac designati sunt *Lucæ* 6. 13. & 10. 1. 2. Apostolos secum habebat semper Christus ac privatim instituebat, non ita reliquos : 3. cum ab ipso designatur *Matth.* 19. 28. quinam orbis futuri sunt judices, soli Apostoli appellantur : *Sedebitis & vos*, inquit, *super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* 4. Solis Apostolis dicit Christus Marci 16. 15. *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ &c.* & Joann. 20. 21. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos .... Accipite spiritum sanctum, &c.* quibus verbis, ut theologi loquuntur, plenitudo potestatis exprimitur. 5. Qui ex discipulorum numero erat Mathias *Act.* 1. non sine solemni quadam cæremonia ac electione ad apostolicam dignitatem, ut pote distinctam ac majorem, evectus est. Ergo.

Deinde vero ex Patribus id adhuc liquidius patet.

Gregorius enim Nyssenus *de vita Mosis tom.* 1. *pag.* 213. ad illud respiciens Exodi 15. 27. *Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi duodecim erant fontes aquarum & septuaginta palmæ* : " Fontes quidem duo-
„ decim, inquit, sunt ipsi Apostoli, ... septuaginta vero palmæ post
„ duodecim Apostolos ordinati, discipuli sunt.

Ambrosius, seu quisquis est alius *sermonis* 20 *in ipsius appendice* Au-

ctor, eodem ſpectans, " Apoſtoli ergo, inquit, ſunt fontes qui to-
" tius terræ faciem doctrinæ ſuæ flumine rigaverunt, & fatigatis gen-
" tium populis potum divini myſterii propinaverunt: ſeptuaginta au-
" tem palmas juxta fontes apoſtolicos generatas, ſeptuaginta illos diſ-
" cipulos dixerim, qui ſecundo ab Apoſtolis gradu propter ſalutem ho-
" minum a Domino diriguntur.

Hieronymus *epiſt. ad Fabiolam* de quadraginta duabus manſionibus, ad ſextum eundem expendens Exodi locum, " Nec dubium, inquit, quin
" de duodecim Apoſtolis ſermo ſit, de quorum fontibus derivatæ aquæ
" totius mundi ſiccitatem rigant. Juxta has aquas ſeptuaginta crevo-
" runt palmæ, quos & ipſos ſecundi ordinis intelligimus præceptores.
" Luca evangeliſta teſtante, duodecim fuiſſe Apoſtolos, & ſeptuaginta
" diſcipulos minoris gradus, . . . de quibus & Paulus refert quod ap-
" paruerit primum undecim, deinde Apoſtolis omnibus, alios volens in-
" telligi primos, & alios ſecundos Chriſti diſcipulos.

Theophylactus *in caput* 12. *Lucæ* " Invenimus, inquit, duodecim
" fontes, præcipuos illos duodecim Apoſtolos dico, qui omne do-
" ctrinæ dulciſſimi fontes ſunt: invenimus item, & ſeptuaginta pal-
" mas, ſeptuaginta diſcipulos, qui fontes quidem non dicuntur,
" palmæ tamen ſunt, veluti qui ab Apoſtolis educandi, & docendi
" erant. Nam quamvis Chriſtus illos elegerit, fuerunt tamen inferiores
" illis duodecim, & diſcipuli illorum poſtea & comites.

Adjunge Chryſoſtomum *hom.* 38. *in* 1. *Cor.* Iſidorum Hiſpalenſem *in caput* 22. *Exodi*, Paſchaſium Ratbertum *in cap.* 10. *Matth.* & alios qui his ſimilia ſcribunt.

Ex his autem jam compertum eſt ſeptuaginta illos diſcipulos communi quidem minime nomine vocatos eſſe *Apoſtolos*, & in eorum ſubſidium allectos; nihilominus tamen fuiſſe his, ut dignitate, ſic & auctoritate inferiores. Dicuntur enim poſt primos Apoſtolos non tantum vocati, ſed etiam conſtituti & ordinati: dicuntur fuiſſe in ſecundo ab Apoſtolis gradu, ſecundi ordinis præceptores, minoris gradus præpoſiti; conceptis denique verbis fuiſſe aſſeruntur Apoſtolis inferiores, eorumque diſcipuli. Ergo indubitata nunc eſſe debet prima pars minoris propoſitionis, quæ ſeptuaginta diſcipulos inferiores Apoſtolis extitiſſe decernit.

Secunda vero pars quæ affirmat Apoſtolis ſucceſſiſſe Epiſcopos, diſcipulis autem presbyteros, non minus aperta eſt, juxta eoſdem, & alios Patres. Sic Hieronymus *ſupra*, " Juxta has (aquas,) inquit,
" ſeptuaginta creverunt palmæ, quos & ipſos ſecundi ordinis intelli-
" gimus præceptores. " Beda pariter *Lib.* 3. *in Lucam*, *cap.* 42. " Si-
" cut, inquit, duodecim Apoſtolos formam Epiſcoporum exhibere
" ſimul & præmonſtrare nemo eſt qui dubitet; ſic & hos ſeptuaginta
" duos figuram presbyterorum, id eſt ſecundi ordinis ſacerdotum,
" geſſiſſe ſciendum eſt, tametſi primis Eccleſiæ temporibus, ut apo-
" ſto-

„ stolica Scriptura testis est, utrique *presbyteri*, utrique vocabantur „ *Episcopi*. " Adde epistolas Damaso, Leoni & Joanni affictas de „ Chorepiscopis.

Tertio Actuum Apostolorum historia non levia ejusdem doctrinæ vestigia nobis suppeditat: illic enim frequentissima fit Apostolorum, & presbyterorum, seu seniorum, mentio; nec utrique modo secernuntur, sed etiam in presbyteros Apostoli auctoritatem habuisse significantur: v. g. *Actorum* 14: 22. Paulus & Barnabas constituisse feruntur in Lycaonia per singulas ecclesias presbyteros: quod quidem non de primi, sed de secundi ordinis antistitibus intelligendum videtur (quamvis utrique hoc nomen sit commune) quia videlicet Ecclesiæ mos nunquam fuit, ut per omnes ecclesias Episcopi constituerentur, sed contra ut uni eidemque Episcopo plures ecclesiæ attribuerentur. *Actorum* 15. 2: idem Paulus, & Barnabas ascendisse memorantur ad Apostolos & presbyteros in Jerusalem super quæstione de lege Mosis. *Ibid. v.* 23: cum habitum fuisset concilium in quo soli Apostoli sententiam tulisse perhibentur, epistola in hunc modum inscripta legitur: *Apostoli & seniores fratres his qui sunt Antiochiæ &c.* Ibid. vers.41. *Perambulabat autem Paulus Syriam & Ciliciam, confirmans ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & seniorum*. Illic enim ubique presbyteri secundo post Apostolos gradu collocantur. *Actorum* 21. in Ecclesia Hierosolymitana Jacobus & seniores commemorantur, sed hi quidem promiscue ac turmatim, ille vero seorsim tanquam omnium caput ac princeps. Ergo presbyteri non modo ab Apostolis distinguebantur, sed etiam ipsis erant inferiores. Atqui Apostolis Episcopi successerunt, ut constans est omnium Patrum doctrina, de qua inter alios consule Cyprianum *epistola* 43. *ad Cornelium*, & 69. *ad Pupianum*; Firmilianum *epist. ad Cyprianum* 75. Synodum Neocæsariensem *can.* 13. Hieronymum *epist.ad Marcellam de erroribus Montani*, & *in psalmum* 44. Gregorium *sermone de anathemate*; Augustinum *in psalmum* 44. Gregorium *hom.* 26. *in Evangelia*; Isidorum Hispalensem *lib.* 2. *de divinis officiis*; Damascenum *de imaginibus*, *oratione* 2. Urbanum II. *dist.* 68. *cap. Quorum vices &c.*

Quarto Epistolæ Pauli suffragantur. Epistola enim 1. ad Tim. cap. 5. 19. *Adversus presbyterum*, inquit Apostolus, *accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*. Quibus profecto verbis manifestum est Episcopos presbyterorum judices extitisse, atque adeo ipsis superiores. Hinc Epiphanius *hæresi* 75. *num.* 5. ad finem, " Quod autem, inquit, non idem esse possit cum Episcopo presbyter, divinus Apostoli sermo declarat, quo quisnam Episcopus, quisve presbyter intelligitur. Nam ad Timotheum episcopum scribens, ita loquitur: *Presbyterum ne objurges, sed hortare velut patrem*. " Quid autem attinebat „ Episcopo vetare, ut ne presbyterum objurgaret, nisi majorem ipso „ potestatem haberet? Quare deinceps admonet, *Adversus presbyterum*

 „ *cito*

„ *cito accusationem ne admiseris, nisi duobus tribusve testibus*. Non ali-
„ cui ex presbyteris præcepit ut accusationem contra Episcopum non
„ admitteret, aut ut Episcopum non objurgaret. " Epistola autem ad Titum cap. 1. 5. *Hujus rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per civitates* (κατὰ πόλιν) *presbyteros, sicut & ego disposui tibi*. Ibi enim Titus ut omnium summus moderator exhibetur.

Quinto in Apocalypsi septem ecclesiæ Asiæ numerantur: his autem singulares Episcopi præerant. Sic cap. 2. 1. *Angelo*, inquit, *Ephesi ecclesiæ scribe*: cap. 3. 1. *Angelo ecclesiæ Sardis scribe*, *&c.* atque illis Joannes nomine Christi præcipit ut omnia quæ necessaria sunt, constituant & emendent. Ergo cum suprema potestate ecclesiæ unicuique præfecti erant.

Probatio II. ex usu non interrupto omnium ecclesiarum ab ipsa Apostolorum ætate ac deinceps.

Blondellus *præfationis pag. 6.* existimat sub Apostolis, & postea ad annum usque Christi 136. in singulis ecclesiis, ubi fidelium numerus pastorum collegium postulabat, plures extitisse simul præpositos paris ac ejusdem inter se dignitatis & potestatis, sub promiscuo *Episcoporum* aut *Presbyterorum* nomine, quorum communi consilio, & auctoritate omnia administrarentur: ita tamen, ut qui prior esset ordinatus, is primo loco sederet, eoque vita functo secundus, hoc mortuo tertius, ac deinceps, idque citra novam Ordinationem. Circa medium autem secundum sæculum viam aliam excogitatam esse: & cum animadversum esset non semel, qui antiquiores forent, eos non continuo esse omnium dignissimos, antiquitati Ordinationis, quæ sola hactenus primas dederat, electionis libertatem esse substitutam; ita ut exinde non qui antiquior forte reperiebatur, sed qui tanquam omnibus dignior eligebatur, is ecclesiæ præesset.

At contra pugnant omnia temporum illorum monimenta, ex quibus luce clarius patet singulares in unaquaque ecclesia Episcopos extitisse a presbyteris distinctos iisque superiores, ab Apostolis pro sapientia sua constitutos, aut suffragiis liberis ab ecclesiis electos, nulla ætatis aut temporis Ordinationis, sed solius virtutis ac doctrinæ habita ratione.

Et vero Christus futuri temporis normam præstituerat, Apostolisque, & ecclesiis exemplum dederat. Petrum enim principem Apostolorum creavit, licet, ut Evangelia indicant, post Andream esset vocatus, &, ut asserunt nonnulli Patres, eo insuper natu minor foret.

Eandem rationem secuti sunt Apostoli. Cum enim de sufficiendo in locum Judæ proditoris Apostolo actum est, id non antiquitati, sed ele-

electioni a Domino permissum est. Ita Paulus Timotheum, cum adhuc adolescens esset, episcopum constituit: *Nemo*, inquit epist. 1. cap. 4. 12. *adolescentiam tuam contemnat*. Et inde est procul dubio quod, quemadmodum notat Sanctus Chrysostomus *supra*, de ætate, & antiquitate nullam unquam legem Apostolus tulerit ad Episcopos pertinentem.

Apostolorum vestigia consectatæ sunt ecclesiæ. Sic enim S. Ignatius *epist. ad Magnesianos*, eos monet ut Episcopi sui juventutem non spernant.

Atque adeo ruit prima illa Blondelli de antiquitate, & ætate observatio.

Quod autem singulis ecclesiis singulares Episcopi præessent ab Apostolis Spiritus sancti instinctu, aut ab ecclesiis libera electione constituti, multa sunt quæ demonstrent.

Primo enim sic Paulus Timotheum florenti adhuc ætate Ephesinæ ecclesiæ, in qua plures erant presbyteri, episcopum fecit, & presbyteros ipsos ei subjecit. Sic Titum Cretæ & Dionysium Athenis præposuit. Hinc Eusebius *lib.* 3. *hist. cap.* 4. " Quot vero, inquit, & quinam imitatores „ veri horum Apostolorum, eorumdem judicio digni judicati sunt, qui „ fundatas ab ipsis ecclesias .... gubernarent, nequaquam facile est di„ cere .... Areopagitam illum nomine Dionysium .... Atheniensis „ urbis primum episcopum fuisse tradit alter quidam Dionysius Corin„ thiorum episcopus, antiquissimus scriptor ..... Timotheus Ephesinæ „ ecclesiæ episcopatum primus accepisse dicitur .... Titus insulæ Cre„ tæ ecclesiarum episcopus fuisse memoratur. " Ita ille: cujus in ver„ bis notandum est 1. hos omnes dici non sorte, sed Apostolorum judicio; nec Ordinationis antiquitate, sed quia digni visi sunt, episcopos factos: 2. unicuique ecclesiæ unum duntaxat episcopum assignari: denique eos non peculiaris modo ecclesiæ, sed etiam omnium in eadem provincia aliarum, in quibus haud dubie presbyteri erant, præsules appellari.

Secundo Joannes in Apocalypsi, ut notavimus, unicum in singulis ecclesiis principem compellat. In hos autem singulares ecclesiarum præpositos, rerum omnium pondus incubuisse, ex eo non obscure potest colligi, quod eos solos Apostolus arguat, & hortetur ut creditarum sibi ovium curam gerant diligentius, in omni opere bono eas confirment & avertant a malo, quæcunque demum offensioni esse possint, ea auctoritate ac vigilantia sua extirpent.

Tertio si veterum ecclesiarum origines evolvamus, res adhuc manifestior evadet.

Ut enim ab Hierosolymitana exordium ducamus, quæ omnium vetustissima est, & Jacobum habuit primum episcopum, qua ratione ipsi successor sit datus referens Eusebius *lib.* 3. *cap.* 11. " Post martyrium

„ Ja-

„ Jacobi, inquit, ... fama est Apostolos cæterosque Domini discipu-
„ los, qui adhuc superstites agebant, ex variis locis in unum conve-
„ nisse, & una cum his, qui Dominum secundum carnem propinqui-
„ tate generis contingebant (plerique enim eorum adhuc in vivis su-
„ pererant) in commune consuluisse, quis in Jacobi locum succedere
„ mereretur. Omnes itaque uno consensu Simeonem, filium Cleophæ
„ illius, cujus in Evangelio fit mentio, episcopali sede dignum judi-
„ caverunt. " Hæc ille: quibus nihil disertius esse potest ad revincendam Blondelli temeritatem: si enim antiquitatis Ordinatio dabat primæ cathedræ dignitatem, quorsum ex variis locis tanto cum labore illi convenissent ad deliberandum? quorsum commune illud consilium? cur is quæritur qui præ cæteris Jacobo succedere mereatur? cur suffragiis res illa permittitur? An locus deliberationi & suffragiis esse potuit, ubi res ipsa fuisset prærogativa temporis definita.

Jam si ad Antiochenam veniamus, idem Eusebius *ibid. cap.* 22. "
„ Apud Antiochiam, inquit, defuncto Evodio, qui primus ejus loci
„ constitutus erat episcopus, secundus tum maxime florebat Ignatius. " Ac proinde hanc quoque ecclesiam singulares episcopi regebant, & quidem aliorum judicio & electione, nec sine nova Ordinatione. Chrysostomus enim *orat.* 42. & Theodoretus *dial.* 1. asserunt Ignatium in episcopum ab Apostolis esse designatum, & ab ipsis insuper manuum impositione consecratum.

De Romana ecclesia ejusque singularibus episcopis Lino, Cleto & Clemente non absimilia tradit *lib.* 3. *cap.* 2. 13. & 15.

Sic & de Alexandrina & episcopis post Marcum, Anniano, Avilio, Cerdone *ibid. cap.* 14. & 21. Hos porro singulos & alios ejusdem ætatis episcopos non esse citra novam ac peculiarem Ordinationem creatos constat insuper *ex lib.* 7. *constit. cap.* 46. "De episcopis (inquit earum
„ auctor, Apostolorum nomine) qui a nobis in vita nostra ordinati
„ sunt, indicamus vobis quod hi sunt,.... Hierosolymorum... Simeon
„ Cleophæ filius, ... Antiochiæ vero Evodius quidem a me Petro,
„ Ignatius autem a Paulo: ac urbis Alexandrinorum Annianus 1. a
„ Marco evangelista ordinatus est, secundus vero Avilius a Luca, &
„ ipso Evangelista,.... Romanorum ecclesiæ primus quidem Linus ....
„ secundus autem a me Petro, post mortem Lini ordinatus fuit: Cle-
„ mens, " &c.

His concinunt alii; Clemens Alexandrinus apud Eusebium *lib.* 3. *cap.* 23. " Cum ex insula Pathmo, inquit, Ephesum rediisset Joannes,
„ ad finitimas quoque provincias rogatus se contulit, partim ut epis-
„ copos constitueret, partim ut ecclesias integras formaret, partim ut
„ homines sibi a Spiritu indicatos in clerum seponeret. " Hieronymus *in Catalogo*, de Joanne Apostolo: " Novissimus omnium, inquit, scrip-
„ sit Evangelium rogatus ab Asiæ episcopis. " *Ibid.* de Polycarpo, "
„ Po-

„ Polycarpus Joannis Apostoli discipulus, & ab eo Smyrnæ episcopus „ ordinatus, totius Asiæ princeps fuit." Synodus Chalcedonensis *actio-* „ *ne* 11. " A sancto Timotheo, inquit, usque nunc viginti septem episcopi facti: omnes in Epheso sunt ordinati. " Quæ quidem luculentissima sunt. 1. enim singulares episcopi recensentur: 2. dicuntur in episcopos ordinati: 3. nullum est ibi fictitii antiquiorum juris vestigium: 4. *principes* nominantur.

Ad istas autem veterum ecclesiarum origines & singulorum episcoporum successionem provocabant antiqui fidei nostræ vindices, eoque hæreticos, novitatis auctores, falsi convincebant. Ita Irenæus Apostolorum ævo proximus *lib.* 3. *cap.* 3. " Traditionem, inquit, Apostolorum in to- „ to mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus „ qui vera velint audire: & habemus annumerare eos, qui ab Apo- „ stolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, & successores eorum usque „ ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his „ deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, quæ seor- „ sim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime tra- „ derent ea quibus etiam ipsas ecclesias committebant. " Ita quoque Tertullianus *de præscriptione*, *cap.* 22. " Edant ergo (hæretici) inquit, „ origines ecclesiarum suarum: evolvant ordinem episcoporum suorum, „ ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus „ aliquem ex Apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis „ perseveraverint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim mo- „ do ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt: sicut Smyrnæorum ec- „ clesia Polycarpum a Joanne conlocatum refert; sicut Romanorum „ Clementem a Petro ordinatum edit. Proinde utique & cæteræ ex- „ hibent quos ab Apostolis in episcopatum constitutos apostolici semi- „ nis traduces habeant. " Ex quibus nemo est qui consequi non in- „ telligat 1. veterum illarum ecclesiarum etiam sub Apostolis ipsis singulares episcopos extitisse: 2. eos non fortuita Ordinationis antiquitate, sed peculiari judicio ad episcopatum esse evectos: 3. non sine nova Ordinatione: 4. ita ut ipsis ecclesiæ committerentur: quæ totidem sunt nostræ doctrinæ capita a Blondelli commentis sane alienissima.

His positis jam piget cætera persequi: si enim Apostolorum ætate, primoque sæculo, aut ineunte secundo, ea ecclesiasticæ disciplinæ forma obtinuit, nulla de consecutis temporibus superesse potest difficultas; præsertim cum de his hæretici nullam litem moveant.

Potest tamen ex ea, quæ apud illos in confesso est, sequentium temporum consuetudine non leve prioris etiam moris argumentum elici. Quis enim sibi persuadeat eos qui Apostolis successerunt, ecclesiæ formam ab ipsis & Christo traditam immutare & pervertere voluisse? An enim pietas ac religio id permisissent? An non repugnassent omnes presbyteri? An historiæ tam memorabilem eventum siluissent? De-

ni-

nique si immutata forma est, quia illud sapientia ac ratio postulabat; cur Christus verbum Patris & sapientia Dei illud idem a principio non instituerit?

Probatio III. ex testimoniis veterum Ecclesiæ doctorum.

Ut singula breviter sæcula percurramus, proferentur a nobis

EX PRIMO SÆCULO.

Clemens Romanus.

Qualis quantusque vir fuerit Clemens Romanus Apostolorum discipulus, & ab ipsis, ut multi quidem affirmant, ecclesiæ Romanæ ordinatus episcopus, discere est ex antiquis.

Ille porro ad Corinthios & fratres qui in Achaja erant scripsit epistolam a veteribus summopere laudatam, cum ibi seditio adversus ecclesiæ præpositos orta esset. In ea porro episcopos a presbyteris distinguit, & ecclesias christianas ad exemplum judaicæ summo quodam Pontifice sacerdotibus seu presbyteris, & diaconis seu levitis, ad hæc & laicis, ita constare significat, ut quisque in ordine suo manere debeat.

Itaque *num.* 1. eam prædicans concordiam quæ olim apud ipsos fuerat, " In Dei legitimis, inquit, ambulabatis subditi Præpositis vestris, ,, & honorem debitum presbyteris vestris tribuentes.

Num. 21. " Præpositos nostros, inquit, revereamur, presbyteros no- ,, stros honoremus.

Num. 40. " Cuncta ordine debemus facere, quæ nos Dominus jussit ,, peragere. Statutis temporibus oblationes & officia perfici, neque te- ,, mere vel inordinate fieri præcepit, sed præfinitis temporibus & ho- ,, ris. Ubi etiam & a quibus celebrari vult ipse excelsissima sua vo- ,, luntate definivit .... Summo quippe Sacerdoti sua munia tributa ,, sunt, & sacerdotibus locus proprius assignatus est, & levitis sua mi- ,, nisteria incumbunt: homo laicus præceptis laicis constringitur. U- ,, nusquisque vestrum in suo ordine gratias Deo agat: non ubique, ,, fratres, offeruntur sacrificia, ... sed Hierosolymis tantum, ... ,, a summo sacerdote & prædictis ministris .... Qui ergo præter, ,, id quod voluntati ejus consentaneum est, faciunt aliquid, morte ,, multantur.

Ibi, ut patet, *Præpositorum* nomine episcopos intelligit, eosque a presbyteris segregat, & cum judaica ecclesia ex quatuor ordinibus coalesceret, id ecclesiis christianis aptans Corinthios hortatur ut unusquisque in suo ordine maneat. Quadruplex ergo pariter erat in ecclesiis christianis ordo, ac primus quidem summorum Sacerdotum, 2. presby-

te-

terorum, 3. ministrorum, 4. laicorum. Denique hi ordines ex Christi institutione proficiscebantur.

Hermas seu *Pastor*.

In epistola ad Romanos, cap. 16. 14. quidam Hermas a Paulo memoratur a quo scriptum est opus celeberrimi quondam nominis, *Pastor* dictum, in tres divisum libros, quorum primus visiones, 2. mandata, 3. similitudines continet.

Is autem non obscure episcoporum distinctionem, excellentiam & auctoritatem multis in locis astruit.

Libro enim 1. *visione* 2. *num.* 4. Clemens Pontifex tanquam omnium curam unus habens refertur: Ecclesia quippe Hermam alloquens, " " Scribes, inquit, duos libellos, & mittes unum Clementi, & unum " Graptæ (diaconissæ:) mittet autem Clemens in exteras civitates; il- " li enim permissum est: Graptæ autem commonebit viduas & orpha- " nos. " Illic Clemens solus appellatur, & seorsim ab aliis omnibus, etiam presbyteris, ipsique hoc onus incubuisse significatur, ut non suæ modo civitatis, sed etiam exterarum curam gereret.

Ibidem, visione 3. *num.* 5. eadem ecclesia ipsi exponens quid sibi vellent lapides quidam quadrati & albi, " Lapides quidem illi, inquit, " quadrati & albi, convenientes in commissuris suis, ii sunt Apostoli " & episcopi, doctores, & ministri, qui ..... Episcopatum gesserunt, " & docuerunt & ministraverunt sancte. " Ibi varii ecclesiæ ordines recensentur: Apostoli autem episcopique dicuntur episcopatum gessisse: utrique autem a doctoribus, hoc est presbyteris, quibus docendi munus injunctum erat, secernuntur, sicut hi a ministris seu diaconis. Quod enim *doctorum* nomine presbyteri intelligantur, id insolens non est. Sic in actis sanctæ Perpetuæ legitur, " Exivimus & vidimus an- " te fores Optatum episcopum ad dexteram, & Aspasium presbyterum " doctorem ad sinistram. " Ita quoque Cyprianus *epist.* 24. " Quan- " do, inquit, cum presbyteris doctoribus lectores diligenter probaremus " &c. " Atqui ne quidem Blondellus negat Ordinem sacerdotum distinctum fuisse ab Ordine diaconorum. Ergo.

Ibid. num. 9. " Nunc itaque, inquit, vobis dico qui præestis ecclesiæ & amatis primos consessus.

Lib. 2. *mandato* 12. *num.* 2. " Audi nunc & de spiritu terrestri ..... " Hunc homo putatur spiritum habere, exaltat enim se & vult pri- " mam cathedram habere.

Lib. 3. *similitudine* 9. *num.* 27. " De decimo vero monte, inquit, in " quo arbores erant tegentes pecora; tales sunt qui crediderunt, qui- " dam episcopi, id est, præsides ecclesiarum " &c. Erat ergo tunc primus aliquis consessus & prima cathedra qua delectabantur aut quam ambiebant superbi, utpote peculiaris honoris & dignitatis: in hac ca-

the-

thedra sedebant episcopi, qui eo ipso præsides fiebant ecclesiarum, & fidelium regendorum munere fungebantur.

EX SECUNDO SÆCULO.

Ignatius Martyr.

Anno Christi 107. illustre martyrium fecit Romæ Ignatius, insignis alter Apostolorum discipulus, & ab ipsis Antiochiæ præsul consecratus. Cum autem a Syria in Italiam feris objiciendus duceretur, varias in itinere epistolas scripsit, quæ apud antiquos summo in pretio fuerunt.

Eæ porro puræ per aliquot sæcula perstiterunt, sed postea fuerunt interpolatæ, imo & aliæ sub Ignatii nomine confictæ sunt & prioribus additæ.

Hinc triplex exurgit Ignatii epistolarum classis: prima germanarum; secunda interpolatarum; tertia spuriarum. Quo tempore vero interpolatæ ac supposititiæ prodierunt, rerum bonarum gustus ita animos vulgo destituerat, ut eæ solæ, despectis & fere obliteratis prioribus, deinceps in manibus omnium versatæ fuerint, donec hoc demum sæculo, cum ingenti doctorum applausu & majori adhuc ecclesiæ bono, genuinæ illæ publicam lucem iterum aspexerunt, in pristinum decus & nativam integritatem restitutæ; primum quidem ab Usserio ex antiqua versione Latina, quam in bibliothecis Anglicanis delitescentem forte repererat; dein ab Isaaco Vossio ex vetusto codice Græco quem ipsi Mediceæa bibliotheca suppeditavit.

Quoniam autem Ignatius ubique asserit Episcopatus divinam originem, eminentiam, ac singularem dignitatem, Calviniani, quos urebat harum litterarum splendor, & gravis urgebat Ignatii auctoritas, cum in adulterinas & interpolatas hactenus declamassent, tunc conversis in alias viribus manu veluti ac conspiratione facta, in eas irruerunt; imprimis vero Salmasius, Blondellus, Bochardus & Dallæus, qui scriptis libris contenderunt has quoque fictitias esse. Sed frustra: omnes enim illorum impetus nullo negotio fregerunt, & inanes ratiunculas aut potius tricas dissolverunt, cum e nostris plures, potissimum autem Cotelerius, tum ex heterodoxis Anglis nonnulli, quos inter eminuit Pearsonius. Utrumque non sine operæ pretio leget quisquis hoc argumento delectabitur. Nos hac omissa quæstione, quæ ad nostrum institutum proprie non spectat, & pro constanti posita epistolarum illarum veritate, quas tota ab ipso Ignatii ævo summis laudibus extulit & continuo usu probavit antiquitas, quæ ex sinceris peti queant in assertionis nostræ favorem testimonia producamus.

Itaque *epistola ad Ephesios*, *num.* 1. " Multitudinem vestram, inquit, " in nomine Dei suscepi in Onesimo . . . . . vestro . . . . . episcopo . . . .

" Be-

„ Benedictus qui donavit vobis, qui digni eſtis talem epiſcopum poſ-
„ ſidere.

Num. 2. " De Burrho autem, inquit, diacono veſtro, ... oro ut
„ permaneat ad honorem veſtri & epiſcopi.

Ibidem, " In obedientia una, inquit, ſitis perfecti, ... ut ſubditi
„ Epiſcopo & presbyterio, per omnia ſanctificati ſitis.

Num. 3. " In Dei ſententiam, inquit, concurratis. Etenim Jeſus-
„ Chriſtus .... Patris eſt ſententia, ut & Epiſcopi per terræ termi-
„ nos definiti ex Jeſu-Chriſti ſunt ſententia.

Num. 4. " Decet vos in epiſcopi ſententiam concurrere: quod &
„ facitis. Nam memorabile veſtrum presbyterium, dignum Deo, ita
„ coaptatum eſt Epiſcopo, ut chordæ citharæ.

Num. 6. " Quanto quis taciturniorem viderit Epiſcopum, tanto ma-
„ gis eum revereatur. Quemcumque enim paterfamilias mittit ad gu-
„ bernandam familiam ſuam, hunc ita accipere debemus, ut illum ip-
„ ſum qui mittit. Manifeſtum eſt ergo quod Epiſcopum ipſum reſpi-
„ cere oporteat ut ipſum Dominum.

Num. 20. " Obediatis, inquit, Epiſcopo & presbyterio mente indi-
„ vulſa.

Epiſtola ad Magneſianos, num. 2. " Dignus, inquit, habitus fuit vi-
„ dere vos per Damam epiſcopum veſtrum .... & dignos presbyteros
„ Baſſum ac Apollonium, conſervumque meum Sotionem diaconum,
„ quo utinam fruar, quia ſubditus eſt Epiſcopo ut gratiæ Dei, & preſ-
„ byterio ut legi Jeſu-Chriſti.

Num. 3. " Vos decet non familiarius ac ſuperbe uti ætate epiſcopi,
„ καὶ ὑμῖν δὲ πρέπει μὴ συγχρᾶσθαι τῇ ἡλικίᾳ τοῦ ἐπισκόπου, ſed ſe-
„ cundum virtutem Dei Patris omnem impertiri illi reverentiam,
„ quemadmodum novi ſanctos facere presbyteros, non reſpicientes ad
„ apparentem juvenilem Ordinationem, ſed ut prudentes in Deo, ce-
„ dentes ipſi; non ipſi autem, ſed Deo patri omnium epiſcopo. In ho-
„ norem ergo illius qui vult, decet vos obedire ſine ulla hypocriſi:
„ quia nequaquam hunc epiſcopum fallit qui videtur, ſed illudit invi-
„ ſibili.

Num. 6. " Hortor ..... in Dei concordia omnia agere, epiſcopo
„ præſidente Dei loco, & presbyteris loco ſenatus apoſtolici, & dia-
„ conis .... Nihil ſit in vobis, quod poſſit vos dirimere; ſed unia-
„ mini Epiſcopo & præſidentibus in typum & doctrinam incorruptio-
„ nis.

Num. 7. Quemadmodum ergo Dominus ſine Patre nihil fecit, ...
„ ita neque vos ſine Epiſcopo & presbyteris quidquam agite.

Num. 13. Studete .... ut confirmemini in dogmatibus Domini &
„ Apoſtolorum .... cum digniſſimo Epiſcopo veſtro, & digne con-
„ texta ſpirituali corona presbyterii veſtri, & diaconis. Subjecti eſte
„ Epiſcopo.

Epi-

Epistola ad Trallianos, *nu.* 1. " Episcopus vester Polybius, qui Smyr-
„ næ adsuit .... mihi vincto, ... sic congratulatus est, ut univer-
„ sam multitudinem vestram in eo contemplatus sim.

Num. 2. " Cum episcopo subjecti estis, ut Jesu-Christo, videmini
„ mihi non secundum homines sed secundum Jesum Christum vivere.
„ Necessarium itaque est, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo ni-
„ hil agatis : sed & presbyterio subditi sitis, ut Apostolis Jesu Chri-
„ sti .... Oportet autem & diaconos mysteriorum Jesu Christi mini-
„ stros, omni modo omnibus placere.

Num. 3. " Cuncti similiter revereantur diaconos, ut mandatum Jesu
„ Christi, & Episcopum, ut eum qui est figura Patris, presbyteros
„ autem, ut consessum Dei .... Sine his Ecclesia non vocatur.

Num. 7. " Qui intra altare est, mundus est; qui autem extra est,
„ non est mundus. Hoc est, qui sine Episcopo, & presbyterio, & dia-
„ conis quidpiam agit.

Num. 12. " Decet singulos vestrum & præcipue presbyteros resocilla-
„ re Episcopum in honorem Patris, Jesu Christi, & Apostolorum.

Num. 13. " Valete in Jesu Christo, subjecti Episcopo ut Dei man-
„ dato, & similiter presbyterio.

Epistola ad Philadelphenos, *in ipso titulo*, " Ignatius .... Ecclesiæ
„ ...., quæ est Philadelphiæ in Asia, ... quam saluto in sanguine
„ Jesu Christi, quod est gaudium sempiternum & stabile, maxime si
„ in unum sint cum Episcopo & .... presbyteris & diaconis designa-
„ tis per sententiam Jesu Christi, quos secundum propriam voluntatem
„ suam firmavit in stabilitate per sanctum suum Spiritum.

Num. 1. " Quem, inquit, Episcopum cognovi non a se ipso neque
„ per homines obtinuisse ministerium spectans ad commune; .... sed
„ in charitate Dei Patris.

Num. 3. " Quotquot Dei & Jesu Christi sunt, hi sunt cum Epis-
„ copo.

Num 4. " Operam detis, ut una Eucharistia utamini. Una est enim
„ caro Domini nostri Jesu Christi, & unus calix in unitatem sangui-
„ nis ipsius : unum altare, sicut unus Episcopus cum presbyterio &
„ diaconis, ... ut quod facitis secundum Deum faciatis.

Num. 7. " Clamavi cum interessem, locutus sum magna voce Dei :
„ Episcopo attendite, & presbyterio & diaconis. Quidam autem sus-
„ picati sunt me, ut præscium divisionis quorumdam, hæc dicere. Te-
„ stis autem mihi is est, in quo vinctus sum, quod a carne humana
„ non cognoverim, sed Spiritus annunciavit, dicens ista : Sine Epis-
„ copo nihil facite.

Num. 8. " Omnibus pœnitentibus remittit Deus, si resipiscant in
„ unitatem Dei & Episcopi consessum.

Num. 9. " Boni quidem sunt sacerdotes, præstantius autem quid est
„ summus Pontifex.

Num.

Num. 10. " Quædam .... Ecclesiæ miserunt Episcopos, nonnullæ
" vero presbyteros & diaconos.

Epistola ad Smyrnæos, *num.* 8. " Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem; & presbyterium ut Apostolos; diaconos autem reveremini, ut Dei mandatum. Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum quæ ad Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quæ sub Episcopo fuerit, aut cui ipse concesserit. Ubi comparuerit Episcopus, ibi & multitudo sit; quemadmodum ubi fuerit Christus Jesus, ibi catholica est Ecclesia. Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapen celebrare; sed quodcunque ille probaverit, hoc & Deo est beneplacitum, ut tutum ratumque sit quodcunque agitur.

Num. 9. " Bene habet Deum & Episcopum respicere. Qui honorat Episcopum, a Deo honoratus est: qui clam Episcopo aliquid agit, diabolo præstat obsequium.

Num. 12. " Saluto Deo dignum Episcopum, & Deo decorum presbyterium, & conservos meos diaconos.

Epistola ad Polycarpum, quæ non ita certa est & indubitata, ac cæteræ, *in ipsa fronte* " Ignatius, inquit, Polycarpo Episcopo Smyrnæorum ecclesiæ.

Num. 1. " Obsecro te in Dei gratia, qua indutus es, ut ad cursum tuum adjicias .... Tuere locum tuum.

Num. 4. " Viduæ non negligantur. Post Dominum tu earum curator esto. Nihil sine tua voluntate fiat.

Num. 6. " Episcopo attendite, ut & Deus vobis. Devovear ego pro iis, qui subditi sunt Episcopo, presbyteris, diaconis.

Hæc Ignatius, quæ sane ad propositum nostrum disertissima sunt. Ex iis enim constat;

1. Unum in unaquaque ecclesia Episcopum extitisse: *ad Ephes. num.* 1. *ad Magnesianos num.* 2. *Trallianos num.* 1. *Philadelphenos in titulo; Smyrnæos num.* 8. &c.

2. Triplicem viguisse tunc Ordinem, Episcoporum videlicet, presbyterorum & diaconorum: atque adeo tam a presbyteris Episcopos eorumque cœtu fuisse distinctos, quam presbyteri ipsi juxta Blondellum a diaconis sejungebantur: *ad Ephes. num.* 2. *Magnes. numer.* 2. 6. 13. *Trall. num.* 2. *Philadelph. in fronte*, *num.* 4. 7. *Smyrnæos num.* 8. & 12.

3. Episcopatum non antiquitati aut ætati fuisse attributum, cum aliquando junior esset Episcopus; & presbyteri ætate provecti, non respicientes ad novellam Ordinationem, ipsi nihilominus cederent: *ad Magnes. num.* 3.

4. Episcopos dignitate & honore supra cæteros, ipsumque adeo presbyterium, eminuisse: ita passim, sed præsertim *ad Philad. num.* 9. & *ad Polycarp. num.* 1.

5. Episcopos non dignitate modo, sed etiam auctoritate præcelluisse.

Eos enim gubernasse 1. Ecclesiam, *ad Ephes. num. 6.* dein præsedisse Dei loco, *ad Magnes. num. 6.* tandem omnium curam gessisse, *ad Smyr. num. 8. & ad Polycarp. num. 4. &c.*

6. Ipsis peculiarem reverentiam idcirco debitam fuisse: *ad Ephes. 2. & 6. Magnes. 3. Smyrneos 9. &c.*

7. Non reverentiam duntaxat, sed etiam obedientiam eis fuisse præstandam; & universos etiam presbyteros eis fuisse subjectos: *Ephes. 2. 4. & 20. Magnes. 2. 3. Trall. 2. 12. & 13. Philad. num. 7. Polycarp. num. 6.*

8. In episcopo tanquam in fundamento constitisse ab ipso tanquam a fonte profluxisse sacrorum vim omnem & robur: *ad Magnes. num. 6. 7. ad Trall. num. 2. ad Philad. num. 4. ad Smyrn. num. 8. &c.*

9. Sine ipso nihil firmum, nihil ratum esse potuisse: *ad Philad. nu. 7. Smyrn. num. 9. Polyc. num. 4.*

10. Quin sine Episcopo ne Ecclesiam quidem esse: *ad Trall. num. 3. & 7. Philad. 3. & 8. Smyrn. num. 8. &c.*

11. Hæc omnia in Christi lege ac voluntate fundata esse: *ad Ephes. num. 3. Magnes. num. 3. & 13. Trall. num. 2. Philad. in ipso titulo & num. 1. &c.*

Sed quid ista fusius exequimur? quandoquidem habemus confitentes reos. Calviniani enim ipsi hæc eadem quæ nos in istis epistolis agnoscunt, eoque maxime nomine ipsis infensi sunt, quod illæ Episcoporum distinctionem, eminentiam, necessitatem, & auctoritatem clarius ac apertius quam ipsis placet, demonstrent.

Polycarpus.

Eodem quo Ignatius martyr tempore florebat Polycarpus B. Joannis Apostoli auditor, de quo Sanctus Hieronymus *in catalogo* sic loquitur: " Polycarpus Joannis Apostoli discipulus, & ab eo Smyrnæ Episco-„ pus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. Scripsit ad Philippen-„ ses valde utilem Epistolam., quæ usque hodie in Asiæ conventu „ legitur.

Atque hæc quidem epistola etiamnum extat.

In ipsa autem *titulo* ita habet: " Polycarpus & qui cum eo presbyteri, Ecclesiæ Dei quæ habitat Philippis, misericordia vobis & pax" &c. *Ad finem* vero, " Epistolas, inquit, Ignatii quæ transmissæ sunt „ nobis ab eo, & alias quantascunque apud nos habuimus, transmisi-„ mus vobis, ex quibus magnus erit vobis profectus: continent enim „ fidem, patientiam, & omnem ædificationem ad Dominum nostrum „ pertinentem.

Sic ille: de quo, postquam nobili martyrio vitam finisset, loquens ecclesia Smyrnensis *in epistola, num. 16.* " Hic fuit, inquit, maxime „ admirandus martyr Polycarpus, qui nostris temporibus apostolicus,

„ &

„ & propheticus doctor extitit , atque catholicæ Smyrnensis Ecclesiæ
„ Episcopus.

Ex his autem plurima depromi possunt quæ nobis favent:

1. enim Polycarpus ab Hieronymo & in utraque epistola ut singularis Ecclesiæ Smyrnensis episcopus exhibetur.

2. Ipse se a presbyteris tanquam sibi subditis sejungit in ipsa suæ epistolæ fronte.

3. Dicitur *Asiæ Princeps* , quod excellentiam , & superioritatem sonat.

4. Afferitur ad hanc episcopalis muneris dignitatem non antiquitatis jure, sed peculiari Ordinatione pervenisse.

5. Polycarpus Ignatii epistolas ad doctrinam impense laudat: atque adeo in eadem ille cum Ignatio sententia circa Episcopatum versabatur. Atqui Ignatius &c. Ergo.

Papias.

Papias Joannis auditor & sodalis Polycarpi , ut loquitur Irenæus *apud Eusebium lib.3. cap.39.* quinque libros composuerat de interpretatione oraculorum Dominicorum.

Ex his autem cum nihil jam supersit, præter aliqua excerpta apud Eusebium , & alios in quibus nihil est quod assertioni nostræ aut nocere aut patrocinari possit, res eo redit ut non quid docuerit, sed quid fuerit, inquiramus.

Jam vero juxta Eusebium *ibid. cap. 36.* Hieronymum *in Catalogo* , & cæteros „ Papia Episcopus Hierapolitanus , eadem ætate celebris fuit.

Ex quo colligimus singularem eum episcopum fuisse ex communi omnium ecclesiarum ejusque ævi disciplina: atque adeo si non scriptis , saltem seipso causam nostram adjuvat Papias.

Ecclesia Ægyptiaca.

Quid de Episcoporum a presbyteris distinctione , & supra hos eminentia per ea tempora senserint Ægypti Ecclesiæ nullus e nostris scriptor docet , sed Adrianus imperator . Is enim in epistola quam anno Christi circiter 132. scripsit ad Servianum consulem , quamque nobis ex Phlegonte, Adriani liberto , servavit Flavius Vopiscus *in Saturnino,* sic de Ægypto loquitur : “ Ægyptum , inquit , quam mihi laudabas ,
„ Serviane chariffime , totam didici levem , pendulam , & ad omnia
„ famæ momenta volitantem . Illi , qui Serapin colunt , Christiani
„ sunt : & devoti sunt Serapi qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo
„ illic Archisynagogus Judæorum , nemo Samarites , nemo Christia-
„ norum presbyter, non aruspex, non aliptes. “ Illic quique presbyteri

ab Episcopis secernuntur ; & cum Episcopi primo ut Christianorum principes nominati fuissent , tum presbyteri tanquam inferiores inter aruspices, & aliptas, & alios minoris notæ homines reponuntur: quod & jam dudum Grotius observavit, & Pearson *ad cap.* 11. *de argum.negativo*, *pag.*328.

Ecclesia Pontica & Romana.

Quæ fuerit utriusque mens ac sententia declarabit historia Marcionis, quam in hunc modum refert Epiphanius *hæresi* 42.

" Marcion , inquit , fuit genere Ponticus ex ea parte quæ Heleno-
„ pontus dicitur , oppido Synope . . . . qui initio vitæ . . . . castita-
„ tem præ se ferens monachorum instituta professus est , parente natus
„ catholicæ communionis Episcopo. Postea cum virginem adamasset ac
„ fraudibus pellexisset , a spe vitæ cælestis illam juxta ac semetipsum
„ dejecit . Ob hunc ergo incestum ecclesia ab ipso parente pulsus est,
„ viro cumprimis religioso , & in hac episcopalis muneris administra-
„ tione præstanti : cui cum Marcio diu multumque supplicasset , pœ-
„ nitentiamque postulasset , hanc a patre precibus non obtinuit. Ergo
„. . . . Romam post Hygini papæ obitum sese contulit , qui a Petro
„ Pauloque Apostolis nonus Ecclesiæ præfuerat (circa annum 142.)
„ eo statim ac Marcion pervenit , ad seniores adiens qui ab Aposto-
„ lorum discipulis edocti adhuc supererant , ut in communionem ad-
„ mitteretur , frustra petiit. Quam ob rem extimulatus invidia , quod
„ non principem illic locum , ac ne ecclesiæ quidem aditum impetras-
„ set , ad . . . . . Cerdonis hæresim confugere in animum induxit . . .
„ Quare palam eos alloquens: Cur me , inquit , recipere noluistis ? res-
„ ponderunt illi: Nobis injussu venerandi patris tui facere istud non li-
„ cet ; una siquidem fides est : . . . neque contra spectatissimum collegam
„ patrem tuum moliri quidpiam possumus.

Ex ista porro narratione multa exprimi queunt.

1. In unaquaque ecclesia singulares Episcopos extitisse.

2. Hos episcopos principem locum habuisse.

3. Eosdem rerum omnium administratione fuisse perfunctos : Marcionem enim pater episcopus ab Ecclesia ejecisse solus memoratur : ipsi soli Marcion supplicat ; solus idem eum admittere renuit : Clerus tandem Romanus se ejusdem injussu Marcionem recipere non posse testatur . Ergo penes Episcopum tota residebat auctoritas.

Justinus Martyr.

Circa annum 150. illustris hic fidei vindex apologiam imperatoribus obtulit : in ea vero mores Ecclesiæ christianæ ac disciplinam describens , unicum semper Præsidem appellat , qui omnia administrans, idem popu-
lum.

lum docebat simul & sacris operabatur, & Ecclesiæ insuper facultatum moderator erat.

" Deinde, inquit (post Baptismi celebrationem) fratrum præposi-
„ to panis & poculum offertur. . . . &c. Postquam Præpositus gratias
„ egit, ... qui inter nos *diaconi* vocantur, dant unicuique : . . . .
„ deinde postquam lector desiit, præpositus orationem habet : .'. .. qui
„ autem locupletes sunt & volunt, pro arbitrio quisque suo, quod li-
„ bitum est, contribuit: & quod collectum est, apud Præpositum depo-
„ nitur : atque is inde orphanis & viduis &c. .... Et, ut uno verbo di-
„ cam omnium indigentium curator est.

Sic Justinus Romæ, ubi plures sane presbyteri erant : eorum autem unicus erat Præses supremus, penes quem erat omnium summa.

Pius Papa.

Eodem quo Justinus martyr religionem christianam tam egregie defendebat tempore, Ecclesiam Romanam regebat Pius hoc nomine primus, Hygini successor; & quod quidam existimant, imprimis autem Blondellus, postquam per aliquot annos vacasset sedes.

Huic autem pontifici præter nonnulla decreta, quæ non magnæ sunt apud eruditos fidei, duæ ad Justum episcopum Viennensem, ut putatur, Veri successorem, ascribuntur epistolæ, quas Baronius quidem, & alii bene multi probant, alii vero respuunt in supposititias.

Quidquid autem sit, quoniam his utitur Blondellus, easdem libenter usurpabimus, quia nihil est in iis quod officere nobis demonstrari possit : multa autem contra sunt quæ causæ nostræ suffragantur.

Is ergo *epistola* 2. *ad Justum*, " Tu vero, ait, apud senatoriam
„ Viennam ejus (Veri) loco a fratribus constitutus, & colobio E-
„ piscoporum vestitus &c. .... Presbyteri & diaconi non ut majorem, sed
„ ut ministrum Christi te observent.

Ex hac autem partim historia, partim Epistola colligere quivis potest,

1. Singulares tum temporis in singulis ecclesiis constitutos esse Episcopos.

2. Eos ad hanc dignitatem antiquitatis jure non pervenisse : non enim tam diu vacasset sedes, si primum secundus statim lege fixa excepisset.

3. Eos contra ad hunc honoris gradum ecclesiarum electione ac suffragiis ascendisse : hinc enim Justus dicitur a fratribus loco Veri substitutus.

4. Ipsos peculiaribus vestibus in argumentum eximiæ dignitatis fuisse insignitos : id enim arguit, quod ibi memoratur, proprium Episcopis colobium.

5. Distinctos eos fuisse a presbyteris.

6. Denique non tantum fuisse ab ipsis sejunctos, sed etiam eisdem superiores: imperat enim Pius ut presbyteri, & diaconi Justum observent.

Addit quidem " Te observent non ut majorem, sed ut Christi ministrum.

Verum id non obest nobis, imo potius favet. Non enim negat Pius eum fuisse presbyteris majorem, secum enim ipse pugnaret, imo & cum Blondello qui concedit hac ætate jam superiores presbyteris Episcopos extitisse ecclesiarum consensu: sed hortatur ipsum ut non tam auctoritate, quam sanctimonia vitæ reverentiam sibi conciliet. Ita sapiens olim Ecclesiastici 32. *Rectorem*, inquit, *te posuerunt*, *noli extolli: esto in illis, quasi unus ex ipsis*. Ita quoque Christus Lucæ 22. *Qui major est in vobis*, inquit, *fiat sicut minor*. Is ergo est Pii sensus: Talem exhibe te, ut presbyteri & diaconi te observent, ut par est: in te autem non principatum & auctoritatem, qua gaudes, sed verum Christi ministrum revereantur. Nedum ergo Pius hanc auctoritatem inficietur: eam contra pro indubitata habet; sed suadet Justo ut ex eo præcise titulo honorem non quærat, sed ex alio potius accersat.

Dionysius Corinthiorum Episcopus.

Certior, si non luculentior, hujus Episcoporum distinctionis & excellentiæ testis est Dionysius Corinthiorum antistes sub Sotere Romano præsule, qui Pio post Anicetum successit.

Sic enim de illo ait Eusebius *lib.4. cap.23.* " De Dionysio, inquit, dicendum est, cui ecclesiæ sedes Corinthiacæ credita fuit: quique non solum „ populis sibi subditis, verum etiam aliarum regionum & urbium incolis „ .... labores suos communicavit .... In catholicis illis, quas ad diversas „ Ecclesias scripsit, epistolis.

" Una quidem est ad Lacedæmonios, rectæ fidei institutionem continens: altera vero ad Athenienses, ... qua negligentiam Atheniensium arguit, quippe qui a fide prope descivissent, ex quo Publius „ eorum Episcopus . . . . martyrium subierat. Meminit etiam Quadrati, qui post martyrium Publii, episcopus Atheniensium est constitutus.

Ecclesiæ præterea Gortynensium . . . . . scribens, episcopum eorum Philippum maxime prædicat, quippe cujus Ecclesia egregiam laudem „ fortitudinis . . . . retulisset. In eodem volumine continetur etiam „ epistola ad Gnossios, in qua Pinytum ecclesiæ illius Episcopum mo„ net, ne grave onus castitatis fratrum cervicibus tanquam necessarium „ imponat. Cui epistolæ respondens Pinytus .... Dionysium .... hortatur „ .... ut .... perfectioris doctrinæ litteris plebem sibi commissam alere „ velit.

Extat

Extat etiam epiſtola ejuſdem Dionyſii ad Romanos, Soteri, tunc „ temporis epiſcopo Romanæ urbis nuncupata, ... ubi ita ſcribit: „ . . . . Beatus epiſcopus veſter Soter . . . . . tum munera ſanctis de„ ſtinata copioſa ſubminiſtrat, tum fratres peregre advenientes, tan„ quam liberos ſuos pater amantiſſimus beatis ſermonibus conſo„ latur.

Illic, ut patet, 1. Epiſcopi ſingulares prædicantur: 2. dicuntur ab aliis conſtituti & creati: 3. Eccleſiæ dicuntur ipſis fuiſſe ſubjectæ: 4. ut omnium Eccleſiæ rerum ſummi adminiſtratores exhibentur: 5. leges etiam ferebant &c.

Eccleſia Catholica.

Quis de Epiſcopis Eccleſiæ catholicæ ſenſus fuerit, indicat Montaniſtarum hæreſis circa annum 171. nata.

Cum enim apud Catholicos primus Eccleſiæ miniſtrorum Ordo eſſet Epiſcoporum; illi ut nobiliorem quandam hierarchiam haberent, duos ſupra Epiſcopos Ordines excogitarunt, 1. Patriarcharum, 2. Cenonum.

Id vero non tulit Eccleſia catholica, ſed inter Montaniſtarum errores numeravit: quod diſcimus ex Hieronymo *epiſt.* 54. *ad Marcellam*. „ Apud nos, inquit, Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, apud eos „ Epiſcopus tertius eſt: habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Pa„ triarchas; ſecundos quos appellant *Cenones*: atque ita in tertium, „ id eſt pene ultimum locum, Epiſcopi devolvuntur, quaſi exinde „ ambitioſior religio fiat, ſi quod apud nos primum eſt, apud illos „ noviſſimum ſit.

Eccleſia Gallicana.

Paulo poſt natam Montaniſtarum hæreſim anno 17. Antonini Veri, gravis in Gallia adverſus Chriſtianos commota perſecutio eſt, in qua plurimi martyres Lugdunenſes, imprimis autem Pothinus ejus eccleſiæ præſul, glorioſam mortem oppetierunt.

Hujus autem tempeſtatis occaſione duplicem epiſtolam refert Euſebius *lib.* 5. primam quidem ab ipſis martyribus ſcriptam ad Eleutherium Romanum præſulem: ſecundam ab Eccleſiis Lugdunenſi ſimul & Viennenſi ad Eccleſias Aſiæ & Phrygiæ de eorumdem martyrum egregiis certaminibus.

De prima loquens Euſebius *cap.* 4. " Iidem martyres, inquit, Ire„ næum qui tunc temporis adhuc erat Lugdunenſis eccleſiæ presbyter, „ ſupradicto Eleuthero per litteras commendarunt, eum ſuo teſtimo„ nio non mediocriter ornantes, ſicut eorum verba declarant, quæ ſic „ habent: Te per omnia ac perpetuo optamus optime in Deo valere,

„ pater Eleuthere. Has litteras, ut ad te perferret fratrem nostrum
„ Irenæum hortati sumus, quem quidem ut commendatum habeas,
„ rogamus, ut pote æmulatorem testamenti Christi. Quod si nobis
„ compertum esset locum cuiquam conferre justitiam, eum tanquam
„ presbyterum Ecclesiæ (hunc enim gradum obtinet) tibi imprimis com-
„ mendassemus.

In secunda vero Ecclesiæ Gallicanæ, " Beatissimus autem Pothinus, inquiunt, qui episcopatum Lugdunensis ecclesiæ administrabat, nona-
„ genario major " &c.

Hic ut perspicuum est. 1. singularis in unaquaque ecclesia Episcopus describitur: 2. gradus secernuntur, & Episcopi a presbyteris religiose pro more sejunguntur: 3. superiores presbyteris esse Episcopi significantur; Eleutherus enim *patris* nomine, Irenæus autem *fratris* donatur.

Hegesippus.

Sub eodem Eleuthero vixit Hegesippus, de quo sic Eusebius *lib.* 4. *cap.* 22.

" Hegesippus, inquit, in quinque commentariorum libris, qui ad
„ nos pervenerunt, luculentissima fidei suæ testimonia nobis reliquit.
„ Scribit enim se, cum Romam proficisceretur, plurimos Episcopos ad-
„ iisse & ab omnibus unam eamdemque audiisse doctrinam .... Idem, post-
„ quam de Clementis ad Corinthios epistola quædam commemoravit, hæc
„ addit, quæ nos, si placet, audiamus. Et Corinthiorum quidem ecclesia,
„ inquit, in recta fide permansit usque ad primum ejusdem loci Episcopum
„ .... Romam vero cum venissem, mansi ibi apud Anicetum, cujus
„ tum diaconus erat Eleutherus .... Postquam Jacobus, inquit, cogno-
„ mento *Justus*, martyrium perinde ac Dominus pertulit, ... Simeon
„ Cleophæ filius, Episcopus constituitur, cunctis uno consensu Anti-
„ stitem illum renunciantibus, eo quod cognatus Domini esset. Et
„ ecclesiam quidem hactenus *virginem* vocabant, propterea quod vanis
„ sermonibus nondum corrupta fuerat. Primus Thebutis indigne fe-
„ rens quod minime creatus esset Episcopus, eam occulte vitiare est
„ aggressus.

Hæc Hegesippus de Episcopis antiquis ævique sui: ex quibus intelligimus,

1. Singulares fuisse in singulis ecclesiis Episcopos, quibus hoc nomen proprium esset.

2. Eosdem non antiquitatis jure ad hunc gradum pervenisse, sed ad illum fuisse creatos, & in eo constitutos.

3. Communi consensu, & liberis suffragiis id fieri consuevisse.

4. Hæc omnia a primis Ecclesiæ temporibus in usu fuisse.

Ire-

Irenæus.

Suppar Hegesippo fuit Irenæus Polycarpi discipulus, de quo jam nonnulla delibavimus. " Irenæus autem, inquit Hieronymus *in catalogo*, „ Pothini episcopi, qui Lugdunensem in Gallia regebat ecclesiam presbyter, a martyribus ejusdem loci ob quasdam Ecclesiæ quæstiones „ legatus Romam missus, honorificas super nomine suo ad Eleutherum episcopum perfert litteras. Postea jam Pothino prope nonagenario, ob Christum martyrio coronato, in locum ejus substituitur.

Irenæi porro de Episcopis eorumque successione egregius extat locus *lib. 3. cap. 3.* quem ex parte jam retulimus, hic vero plenius ex„ scribemus: " Traditionem Apostolorum, inquit, adest respicere omnibus, qui vera velint audire: & habemus annumerare eos, qui ab „ Apostolis instituti sunt Episcopi in ecclesiis, & successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt ..... Etenim si recondita mysteria scissent Apostoli, ... his vel maxime traderent ea, quibus „ etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos ..... eos „ volebant esse, quos & successores relinquebant ...... Sed quoniam „ valde longum est ..... omnium ecclesiarum enumerare successiones „ .... a ..... Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ ecclesiæ, „ eam quam habet ab Apostolis traditionem .... per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes „ eos, qui .... præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potiorem principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam .... Fundantes .... igitur ... Apostoli ecclesiam, Lino „ episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt .... Succedit autem „ ei Anacletus ...... Ac deinceps sextus ab Apostolis constitutus est „ Sixtus ...... Nunc duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet „ Eleutherius. Hac ordinatione & successione, ea quæ est ab Apostolis in Ecclesia Traditio ...... pervenit usque ad nos ..... Et Polycarpus ... ab Apostolis in Asia, in ea quæ est Smyrnis ecclesia constitutus Episcopus, &c.

Hinc profecto elucet 1. unum, quod jam sæpe diximus, satis autem dici non potest, uniuscujusque ecclesiæ Episcopum extitisse: 2. Episcopos a presbyteris fuisse distinctos: ex presbyteris enim fiebant Episcopi, & ad hunc gradum quasi superiorem subrogabantur: 3. presbyteros non antiquitatis ordine Episcopos evasisse, sed ex professo & peculiari judicio aut electione fuisse constitutos: 4. eosdem episcopos ecclesias curæ suæ commissas habuisse: 5. Episcopos uno verbo Apostolorum fuisse successores.

Vi-

Victor Romanus.

Sub hoc Pontifice gravis exarſit de paſchate controverſia , plerìſque Eccleſiis illud diei dominicæ , Aſianis vero 14. lunæ , in quamcunque demum hebdomadæ diem incideret, illud idem affigentibus : " Synodi „ ob id , inquit Euſebius *lib.* 5. *cap.* 23. cœtuſque epiſcoporum conve- „ nere ...... Extat etiamnum epiſtola eorum , qui tunc in Palæſtina „ congregati ſunt, quibus præſidebant Theophilus Cæſareæ Palæſtinæ , „ & Narciſſus Hieroſolymorum epiſcopus . Alia .... ſynodi Romanæ , „ cui Victoris epiſcopi nomen præfixum eſt . Præterea ..... epiſcopo- „ rum Ponti , ... ſeorſim autem Bacchilli Corinthiorum epiſcopi . „ Epiſcopis vero Aſiæ , inquit *cap.* 24. Polycrates præerat , qui quidem „ in ea epiſtola quam ad Victorem ſcripſit, traditionem ad ſua uſque „ tempora propagatam exponit his verbis : In Aſia , inquit, ... ma- „ gna lumina extincta ſunt, ... Philippus unus e duodecim Apoſto- „ lis, Joannes qui in ſinu Domini recubuit, ... Polycarpus epiſco- „ pus , ... Thraſias Eumeniæ epiſcopus ...... Quid Sagarim epiſ- „ copum .... attinet dicere ? .... Hi omnes diem paſchæ 14. luna „ obſervarunt : .... ego quoque Polycrates ex traditione cognatorum „ meorum : ..... fuerunt enim ſeptem omnino ex cognatis meis E- „ piſcopi, quibus ego octavus acceſſi. Poſſem etiam epiſcoporum, qui „ mecum ſunt , facere mentionem , quos petiiſtis ut convocarem, ſicut „ & feci.

" His ita geſtis, inquit Euſebius *ibid.* Victor quidem Romanæ ur- „ bis epiſcopus illico omnes Aſiæ .... eccleſias abſcindere conatur, da- „ tiſque litteris univerſos, qui illic erant , ab unitate eccleſiæ prorſus „ alienos eſſe pronunciat.

„ Verum hæc non omnibus placebant epiſcopis , ex quorum nume- „ ro Irenæus.

„ Epiſcopi autem Palæſtinæ, inquit *cap.* 25. Narciſſus , ... Theophi- „ lus, ... Caſſius Tyri & Clarus Ptolemaidis epiſcopi &c.

Iſthæc Eccleſiæ diſciplinam nobis repræſentant . Obſervare autem licet 1. unum uniuſcujuſque eccleſiæ epiſcopum extitiſſe, neque hoc nomen aliis eſſe attributum : 2. penes ſolos epiſcopos eccleſiarum adminiſtrandarum, rerumque omnium componendarum, aut legum ferendarum ſupremam poteſtatem reſediſſe : in his enim omnibus negotiis de presbyteris eorumque collegio, ne mentio quidem injicitur : ſoli vero Epiſcopi memorantur, quorum judicio omnia tranſiguntur .

Cle-

Clemens Alexandrinus.

Pantæni discipulus fuit sanctus presbyter Clemens Alexandrinus & magister Origenis, nec non inter utrumque scholæ Alexandrinæ toto orbe celeberrimæ rector.

Is autem *lib. 6. Stromatum* de variis Ecclesiæ gradibus sic disserit : " In ecclesia, inquit, gradus episcoporum, presbyterorum & diaconorum imitationes sunt, ut arbitror, angelicæ gloriæ, & illius œconomiæ ac dispensationis, quam dicunt Scripturæ illos expectare, qui insistentes vestigiis Apostolorum vixerunt in perfectione justitiæ convenienter Evangelio. Hos sublatos in nubibus scribit Apostolus primo quidem diaconos esse, deinde cooptatos in presbyteratum per progressum gloriæ (nam gloria differt a gloria) donec in virum perfectum (id est episcopum) creverint. " Itaque episcopi tam distinguuntur a presbyteris, quam hi a diaconis, & quemadmodum presbyteri diaconis hic esse superiores asseruntur, ita & presbyteris episcopi Tres enim gradus ex æquo a se invicem secreti recensentur, e quorum uno progressus fiat ad alium.

Ne quis vero tricetur, & fingat hanc quidem per id ævi obtinuisse consuetudinem ac distinctionem, non ita autem semper; ecce idem sanctus doctor *Pædagogi lib. 3. cap. 12.* respiciens ad ipsa Apostolorum tempora, " Quam plurima, inquit, præcepta quæ ad electas personas pertinent, in sanctis libris scripta sunt, hæc quidem presbyteris, alia vero Episcopis, alia diaconis. " Ac proinde juxta Clementem hi Ordines jam ipsa Apostolorum ætate sejuncti ab invicem erant, & singulis præcepta dederat Paulus. Ita secundum sæculum quod ab Ignatio auspicatissime inchoatum est, non minus feliciter in Clemente Alexandrino terminatur.

EX SÆCULO TERTIO.

Origenes.

Clementis in schola Alexandrina successor Origenes fuit, e quo, pro scriptorum, quæ ab illo edita sunt, multitudine, plura depromi queunt luculentissima sententiæ nostræ documenta.

Homil. in Numeros, " Putasne, inquit, qui sacerdotio funguntur, & in sacerdotali Ordine gloriantur, secundum Ordinem suum incedunt, & agunt omnia quæ illo Ordine digna sunt? Similiter autem & diaconi putas secundum Ordinem ministerii sui incedunt? Et unde est quod sæpe audimus blasphemare homines & dicere? Ecce qualis Episcopus, aut qualis presbyter, vel qualis diaconus! " Tres illic gradus distinguuntur, Episcoporum, presbyterorum & diaconorum: ut ergo,

go, fatente Blondello, presbyteri distinguuntur etiam jure divino a diaconis, & iis sunt superiores; sic & Episcopi a presbyteris sejunguntur, iisque præeminent.

Homil. 2. *in Cantica*, exponens quod dicitur in Scripturis de regina Saba & Salomone, *Vidit & sedem puerorum ejus*, " Ecclesiasticum, inquit, puto Ordinem dicit, qui in episcopatus vel presbyterii sedibus " habetur. *Vidit & ordinationes & stationes ministrorum ejus*. Diaconorum, ut mihi videtur, Ordinem commemorat astantium divino ministerio .... Hæc .... omnia .... vidit in domo reges pacifici, imo " Christi.

Homil. 6. *in Isaiam*, " Episcopi, inquit .... mittunt aquam de Scripturis in pelvem animæ, & tentant pedum discipulorum sordes lavare; .... sic & presbyteri.

Homil. 11. *in Jeremiam*, quam habuit cum jam presbyter esset, " Plus " a me exigitur, inquit, quam a diacono; plus a diacono quam a laico: qui vero totius Ecclesiæ arcem obtinet (Episcopus) pro omni ecclesia reddet rationem. " Quid clarius?

Homil. 5. *in Ezechielem*, " Pro modo graduum, inquit, unusquisque " torquebitur: majorem pœnam habet qui ecclesiæ præsidet & delinquit (Episcopus:) non magis venia dignus est laicus, si ad diaconum conferatur? *& rursus*: Comparatione presbyteri, diaconus veniam plus meretur. Eadem est sententia.

Homil. 16. *in eundem Prophetam*, " Qui religionem, inquit, penitus " aversantur, in tantum ut non curent de Episcopo, de presbyteris, " de diaconibus, ... similes fiunt meretrici cum fiducia prostitutæ.

Tom. 11. *in Matth. pagin.* 255. *Huet. tomo* 1. " Qui Episcopatum " desiderat, inquit, ut gloriam apud homines consequatur, ... talis .... episcopus bonum non desiderat. " Idem quoque de presbyteris & diaconis dicitur.

Tom. 14. *in Matth. pag.* 362. B, proponit hanc quæstionem, " Cur " ex iis, qui Ecclesiæ nomen dederunt, & eximia præ reliquis dignitate decorati sunt, neminem esse velit Apostolus qui secundas nuptias expertus sit. Nam, inquit, in priore ad Timotheum epistola leges de Episcopis ferens; .... *Oportet*, inquit, *Episcopum .... esse ...* " *unius uxoris virum*: tum de diaconis .... *Sint unius uxoris viri* ..... " & in epistola ad Titum, *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut* ..... " *constituas per civitates presbyteros .... Si quis sine crimine est, unius* " *uxoris vir* .... Quam ob rem ab ecclesiasticis magistratibus digamos " arcet? .... Quis jure merito incertus non hæreat, quid sit, cur, " cum Ecclesiæ principe opus est, tunc duarum uxorum virum .... " non præficimus? " Ergo tres erant distincti gradus jam ab eo tempore, quo leges istas sanciebat Apostolus; & qui in summo est, is non tantum magistratum cum aliis gerit, sed etiam Ecclesiæ princeps est.

Tom.

Tom. 15. *in Matth. pag.* 395. B, " Quin etiam, inquit, in arrogan-
„ tia sua deprimenda summa iis ope contendendum est, qui, quod a
„ parentibus in christianismo educati sunt, de se magnifice sentiunt;
„ & præsertim si parentibus & proavis efferantur, qui episcopalis in
„ Ecclesia sedis prærogativum jus, vel presbyterii dignitatem tenue-
„ rint, vel diaconi officio functi sint. " Ergo discrimen erat inter il-
los tres Ordines; & quod ea ætate vigebat, idem & parentum ac proa-
vorum ævo, hoc est non longe ab Apostolis, jam obtinebat. Tanta
vero Episcoporum dignitas erat, ut qui ex ipsis prognati essent, eorum
arrogantia non facile deprimi posset.

Tom. 16. *in Matth. pag.* 419. E, exponens quod ait Christus: *Reges gentium &c. vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator:* " Lucas, inquit, reges &
„ gentium dominos oratione sua comprehendit, . . . id nos edocens,
„ ut qui inter nos revera major est, fiat sicut junior, hoc est, sicut
„ puellus, propter simplicitatem, & propterea quod aliis nunquam se
„ anteferat; princeps vero (sic autem appellandum existimo, qui in ec-
„ clesiis vocatur *episcopus*) tanquam qui ministrantibus ministrat " &c.
ac proinde Episcopos non tantum *principes* vocat, sed etiam a Christo
institutos ac præceptis informatos docet.

Ibidem, pag. 442. explicans quid significent collumbarum illi vendi-
tores quos Christus ejecit e templo, " Ego vero, inquit, quod de co-
„ lumbarum venditoribus scriptum est, his convenire existimo qui ec-
„ clesias avaris, tyrannicis, indoctis & irreligiosis episcopis, presbyte-
„ ris, vel diaconis tradunt .... episcopi & presbyteri, quibus priores
„ populi sedes attributæ sunt, quique totas ecclesias, quibus minime
„ oportet, tradunt, & principes, quos non expedit, constituunt, ii
„ sunt columbarum venditores, " &c. Ecce iterum tres illi gradus di-
serte segregantur, & episcopi *principes* appellantur, quod eo loci non
semel occurrit.

Homil. 13. *in Lucam*, " Si audacter, inquit, expedit loqui Scrip-
„ turarum sensum sequenti, per singulas ecclesias bini sunt Episco-
„ pi, alius visibilis, alius invisibilis " &c. Ergo Origenes ex do-
ctrina Scripturarum unum in unaquaque ecclesia visibilem agnoscit
Episcopum.

Homil. 17. *in eundem Evangelistam*, " Ab ecclesiasticis dignitatibus,
„ inquit, non solum fornicatio, sed etiam nuptiæ repellunt. Neque
„ enim Episcopus, nec presbyter, nec diaconus .... possunt esse diga-
„ mi. " Episcopatus itaque peculiaris est dignitas a presbyteratu di-
stincta, sicut presbyteratus a diaconatu.

Homil. 20. *in eumdem*, quam junior habuit cum nondum esset
presbyter, " Si Jesus Christus, filius Dei, inquit, subjicitur Jo-
„ seph & Mariæ, ego non subjiciar Episcopo, qui mihi ordinatus est
„ a Deo pater? non subjiciar presbytero, qui mihi Domini dignatio-

„ ne

„ ne præpositus est? En episcopatus divinam originem, eminentiam & auctoritatem.

Comment. in Joan. apud Pearson. 321. " Vide vero, inquit, an non „ etiam laboriosum sit ...... Christi ...... implere mandatum, dicen- „ tis : *Et vos debetis alii aliorum lavare pedes*, si velit corporales, ac „ sensibiles fratrum pedes lavare, ... sive qui videntur esse in sublimi- „ tate ecclesiastica Episcopi & presbyteri, sive in quibusdam aliis mun- „ danis dignitatibus.

Lib. de oratione, postquam de generalibus omnium Christianorum officiis disseruit, ad specialia descendens, " Præter hæc autem, inquit, „ universaliora, peculiare quoddam est viduæ, cujus curam gerit Ec- „ clesia, debitum, & aliud diaconi, & aliud presbyteri: Episcopi autem „ præterea debitum est, a totius Ecclesiæ Salvatore exactum &, si non „ reddatur, vindicatum.

Lib. 3. contra Celsum, comparat ecclesias cum Gentilium civitatibus; utrarumque plebem, senatum ac principes componit: " Ecclesiæ Dei, „ inquit, ... collatæ ad vulgares cœtus hominum, plane mundi sunt „ lumina. Quis enim non fateatur deteriorem ecclesiæ nostræ partem, „ collatam cum vulgaribus concionibus, longe præstantiorem esse: ... „ sic etiam senatum ecclesiasticum si componas ad senatus singularum „ civitatum, invenies quosdam senatores ecclesiasticos dignos ubivis „ gentium administrare divinitus constitutam rempublicam; senatores „ vero istos, qui passim reperiuntur, nihil in moribus habere eximium „ præ plebeiis hominibus: sic & principem uniuscujusque ecclesiæ com- „ ponere oportet cum principe uniuscujusque reipublicæ; ut intelli- „ gas " &c. Hinc colligimus Episcopos fuisse tunc a presbyteris distinctos, nec distinctos modo, sed etiam ipsis superiores: presbyteros enim fuisse senatores, βυλευτὰς, & consiliis adjuvisse: sed episcopum unum ad clavum Ecclesiæ sedisse & omnia gubernasse tanquam christianæ reipublicæ principem.

Tertullianus.

Origeni coætaneum adjungimus Tertullianum, eodem enim hic in Africa, quo ille in Oriente, ævo floruit, hoc est ineunte sæculo tertio, & eadem circa episcopatum mente fuit.

De præscriptione enim *adversus hæreticos*, *cap.* 32. quod supra laudavimus eo maxime ipsos revincit quod nempe Episcoporum successionem ac seriem ostendere non possent ab Apostolis decurrentem, qualem unaquæque Ecclesia catholica ostendebat, v. gr. Smyrnea quæ ad Polycarpum a Joanne conlocatum, & Romana quæ ad Clementem a Petro ordinatum, originem suam & doctrinæ traditionisque suæ auctoritatem referebant. Quod quidem Episcoporum singularem dignitatem non antiquitatis jure, sed Ordinatione pecu-lia-

culiari innixam perspicue demonstrat ab ipsis fidei nostræ exordiis.

De Baptismo autem, *cap.* 17. " Superest, inquit, ad concludendam
,, materiolam, de observatione quoque dandi & accipiendi Baptismum
,, commonefacere. Dandi quidem habet jus summus sacerdos: dehinc
,, presbyteri & diaconi: non tamen sine episcopi auctoritate propter
,, Ecclesiæ honorem, quo salvo, salva pax est. Alioquin etiam laicis
,, jus est: quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest, nisi
,, Episcopi jam aut presbyteri ..... vocantur ...... Quanto magis
,, laicis disciplina verecundiæ & modestiæ incumbit; cum ea majori-
,, bus competant, ne sibi assumant dicatum Episcopis officium epis-
,, copatus?

In his vetustissimi scriptoris verbis 1. unus est Episcopus, plures autem presbyteri: 2. tres Ordines accurate distinguuntur, & Episcopi quidem a presbyteris, perinde ac presbyteri a diaconis: 3. Episcopus in dignitatis & auctoritatis argumentum vocatur *summus sacerdos*: 4. tanta hæc prædicatur auctoritas, ut sine ipsa ne presbyteri quidem aut diaconi ordinario jure baptizare possent, idque propter Ecclesiæ honorem, qui in eo præsertim positus est, ut omnia ex summi sacerdotis sententia atque auctoritate constituantur.

Auctor constitutionum & canonum Apostolicorum.

Ad hanc circiter ætatem docti vulgo referunt constitutiones & canones qui sub Apostolorum nomine circumferuntur: de quo adeundus est Beveregius, qui istud ex professo expendit.

In utrisque autem tam aperte, tam luculenter, tam sæpe astruitur episcoporum a presbyteris distinctio, ac præ illis eximia dignitas ac potestas, ut si singula loca congerere velimus, scribendi finis futurus non sit. Itaque pauca seligemus, eaque ex uno *constitutionum libro* 2.

Cap. 1. Auctor admonet liberis suffragiis episcopum eligi posse, etiam juvenem, modo episcopatu esse dignus videatur.

Cap. 2. & 3. probandum diu & examinandum esse qui eligi debeat, antequam ordinetur.

Cap. 5. Episcopum non debere esse in judicio personarum acceptorem.

Cap. 11. " Quocirca, inquit, Episcope, stude immaculatis actibus
,, locum dignitatemque tuam patefacere, quia inter homines figuram
,, obtines Dei, præsidendo cunctis mortalibus, sacerdotibus, ... docto-
,, ribus cunctis, qui omnes pariter tibi subjecti sunt.

Cap. 18. " Omnium itaque curam habeat episcopus, tum eorum qui
,, non peccarunt ut tales esse perseverent, tum eorum qui deliquerunt,
,, ut pœnitentia ducantur.

Cap. 25. Conferens legem Mosaicam cum evangelica, " Olim, in-
,, quit, victimæ erant, nunc sunt preces: ... quæ tunc primitiæ & de-

,, ci-

„ cimæ, ... nunc oblationes, quas sancti Episcopi Domino Deo offe-
„ runt .... Hi namque vestri Pontifices sunt, sicut locum sacerdotum
„ nunc apud vos tenent presbyteri, ac levitarum diaconi .... His vero
„ omnibus superior existit Pontifex.

Cap. 26. " Qui episcopus est, ... hic princeps & dux vester; hic
„ vester rex & dynastes; hic vobis post Deum terrenus Deus ... Ergo
„ Episcopus vobis præsideat tanquam Dei dignitate condecoratus, ob quam
„ clero præest, & plebi universæ imperat. Diaconus autem episcopo as-
„ sistat ut Christus Patri; .... Presbyteri vero nos Apostolos repræsen-
„ tare videantur vobis.

Adde, si lubet, *librum* 8. ubi Ordinationis episcopalis singuli ritus præscribuntur.

Jam ut ad apostolicos canones veniamus qui Episcopos a presbyteris, non secus ac presbyteros a diaconis, constanter distinguunt:

Can. 39. " Omnium rerum ecclesiasticarum, inquit auctor, curam
„ habeat episcopus, easque administret tanquam Deo inspiciente.

Can. 40. " Presbyteri & diaconi, inquit, absque sententia & volun-
„ tate episcopi nihil peragant. Ipse enim est, cui concreditus fuit po-
„ pulus Domini, & a quo de animabus eorum ratio reposcetur.

Can. 41. " Præcipimus, inquit, ut in potestate sua Episcopus Ec-
„ clesiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt credi-
„ tæ, multo magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut po-
„ testate ejus omnia dispensentur per presbyteros & diaconos.

Quid multa? Dalleus ipsæ, Blondelli socius, eo maxime canones apostolicos impugnat, quod " Episcopos, presbyteros & diaconos per-
„ petuo distinguant, & sacerdotium dividant in duos Ordines pluri-
„ mum inter se & nomine & jure & statu & auctoritate differentes. "
Hæc enim ipsius verba sunt, quæ nos ne plura contexamus admonent.

Cyprianus.

Idem omnino spirat in suis passim epistolis Cyprianus.

Epist. 9. *ad Clerum*, de presbyteris qui temere pacem lapsis dede-
„ rant, " Quod non periculum, inquit, metuere debemus; de offensa
„ Domini, quando aliqui de presbyteris nec Evangelii nec loci sui
„ memores, sed neque futurum Domini judicium, neque nunc sibi præ-
„ positum episcopum cogitantes, quod nunquam omnino sub antecesso-
„ ribus factum est, cum contumelia & contemptu præpositi totum sibi
„ vindicent? .... Temerarii, ... qui hominem non cogitant vel
„ Deum timeant ..... Si ultra in iisdem perseveraverint, utar ea ad-
„ monitione, qua me uti Dominus jubet, ut interim prohibeantur of-
„ ferre, acturi & apud nos & apud confessores ipsos ..... causam
„ suam " &c.

Epistola 11. " Audio quosdam, inquit, de presbyteris nec Evange-
„ lii

„ lii memores; .... nec episcopo honorem sui sacerdotii & cathedræ „ reservantes, jam cum lapsis communicare cœpisse.

Epist. 27. "Dominus, inquit, noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, episcopi honorem & ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur & dicit Petro, ... *Tu es Petrus & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam* .... Inde per temporum „ & successionum vices episcoporum Ordinatio & ecclesiæ ratio decurrit, ut ECCLESIA SUPER EPISCOPOS CONSTITUATUR, ET OMNIS ACTUS ECCLESIÆ PER EOSDEM PRÆPOSITOS GUBERNETUR. Cum hoc itaque DIVINA LEGE FUNDATUM SIT" &c.

Epist. 28. de iisdem presbyteris & diaconis, postquam eorum temeritatem ostendit, "Interea, inquit, si quis immoderatus & præceps sive de nostris presbyteris vel diaconibus, sive de peregrinis, ausus „ fuerit ante sententiam nostram communicare cum lapsis, a communione nostra arceatur" &c.

Epist. 35. de Numidico confessore quem presbyterum ordinarat & episcopatui destinabat, Numidicus presbyter, inquit, ascribatur presbyterorum Carthaginensium numero ..... Et promovebitur quidem, „ cum Deus permiserit, ad ampliorem locum religionis suæ, quando „ in præsentiam protegente Domino venerimus.

Epist. 55. *ad Cornelium, Romanum præsulem*, contra Fortunatum & Felicissimum, qui ipsius animum minis suis propemodum fregerant, " „ Quod si ita .... est, inquit, ut nequissimorum timeatur audacia, „ actum est de episcopatus vigore & de Ecclesiæ gubernandæ sublimi „ ac divina potestate.

Epist. 65. *ad Rogatianum Episcopum* de superbo quodam diacono, " „ Meminisse, inquit, diaconi debent quoniam Apostolos id est Episcopos & præpositos Dominus elegit.

Epist. 69. *ad Pupianum*, qui ipsum contemnebat, "Nec hæc jacto, „ inquit, sed dolens profero, cum te judicem Dei constituas & Christi, qui dicit ad Apostolos ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt .... ET ILLI SUNT ECCLESIA PLEBS SACERDOTI ADUNATA, ET PASTORI SUO GREX ADHÆRENS. Unde scire debes EPISCOPUM IN ECCLESIA ESSE, ET ECCLESIAM IN EPISCOPO, ET SI QUI CUM EPISCOPO NON „ SIT IN ECCLESIA NON ESSE.

Hæc adeo plena sunt, nihil ut adjici posse videatur: 1. enim in ecclesia unus episcopus, plures presbyteri memorantur: 2. tres distinguuntur gradus, episcoporum, presbyterorum & diaconorum; 3. unicuique locus suus assignatur, sed dicitur episcopi dignitas amplior: 4. non solum dignitate præstare, sed etiam potestate & auctoritate in omni ecclesia gubernanda, ita ut presbyterorum præpositi sint, ipsosque judicare & pœnis debitis afficere possint: 5. tandem ista omnia in lege divina, Evangelio, ac Domini voluntate fundata esse asseruntur.

E SÆCULO QUARTO.

Athanasius.

Prætermittemus brevitatis gratia omnia illius ævi Concilia, licet illa nobis admodum faveant, ac 1. quidem tres distinguant Ecclesiæ ministrorum Ordines, Episcoporum scilicet, presbyterorum & diaconorum : 2. Episcopos in summo gradu, presbyteros in inferiori collocent : 3. ad episcopos omnis Ecclesiæ curam & negotiorum omne pondus deferant : 4. prohibeant presbyteris & diaconis ne quid citra voluntatem & decretum Episcoporum faciant : 5. Episcopis solis ordinandi & confirmandi jus attribuant, & quidem vi peculiaris Ordinationis qua insigniti sunt, ut videre est in synodo Eliberitana *can.* 18. 32. 38. 53. 77. Arelatensi I. *can.* 19. Ancyrana *can.* 15. Nicæna *can.* 3. 15. *&* 17. Antiochena *can.* 3. *&* 4. Laodicena *can.* 42. & 56. Sardicensi *can.* 10. Alexandrina *apud Athanasium tom.* 1. *pag.* 134. *&c.*

Eadem de causa paucissimos, ex plurimis qui tunc floruerunt scriptoribus, proferemus.

Athanasius ergo, quem silentio transire nefas fuerit,

Primo *in Apologia sua*, *num.* 12. refert epistolam supradictæ synodi Alexandrinæ in qua Episcopi Ægyptii ideo probant Ischyram esse non posse presbyterum, quod non ab Episcopo, sed a presbytero, Collutho scilicet, esset ordinatus.

Secundo *in epist. ad Dracontium monachum ac presbyterum*, qui postquam episcopus electus & ordinatus fuisset, in latebras sese abdiderat, oneris ac periculi metu ex ea dignitate sibi imminentis, ipsum hortatur & pluribus rationibus ei suadet, ut ad sedem sibi addictam redeat : " Etenim, inquit, admirandus ille Alexandrini pagi in te eligendo con„ sensus, ob tuum secessum necessario in plurimas dividetur factiones. „ .... Deinde priusquam, inquit, gratiam episcopatus accepisses, nul„ li notus eras : jam vero ordinatus cum sis, te populi expectant &c. „ Denique si tibi, inquit, constitutio ecclesiarum non placet, aut nul„ lam omnino mercedem episcopi functioni destinatam arbitraris, & „ Servatorem qui eam ita instituit, contemnis, oro te ne istiusmodi „ quid in mentem admittas : ... non enim ista digna sunt Dracon„ tio : nam quæ Dominus per Apostolos instituit, & bona sunt & „ firma persistunt. " Ac proinde Athanasius putabat 1. Episcopatum, quatenus presbyteratui superadditur, esse sacramentum gratiam conferre efficax : 2. Episcopatus officium ac dignitatem ab ipso Christo proficisci : 3. Episcopatu solo ordinandi potestatem dari.

Hila-

Hilarius.

In comment. ad Matt. cap. 27. *num.* 1. hæc Christi verba exponens: *Quis namque fidelis est servus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam*, " Quanquam, inquit, in commune nos ad indefessam
" vigilantiæ curam adhortetur, specialem tamen populi principibus, id
" est Episcopis, sollicitudinem mandat.

Lib. 8. *de Trinitate*, *num.* 1. duo docet esse Episcopo necessaria, innocentiam videlicet morum & copiam doctrinæ: sic autem loquitur: "
" Perfectum, inquit, Ecclesiæ principem perfectis maximarum virtutum
" bonis instituit, ut & vita ejus ornetur docendo, & doctrina vivendo.

Lib. 2. *ad Constantium*, *num.* 2. " Episcopus ego sum, inquit, in om-
" nium Gallicarum ecclesiarum atque Episcoporum communione, li-
" cet in exilio permanens & Ecclesiæ adhuc per presbyteros meos com-
" munionem distribuens.

Lib. contra Auxentium, *num.* 8. " Negat quoque, inquit, se scire
" Arium, cum in Alexandria in Ariana Ecclesia, cui Gregorius præe-
" rat, presbyter esse cœpisset.

Hic legimus Episcopos a presbyteris distinctos, iis præsidentes, eorum tanquam ministrorum suorum opera populis sacramenta impertientes, uno verbo ecclesiarum principes.

Basilius.

Epistola 10. *ad Gregorium-theologum*, deplorans plerorumque Episcoporum indignitatem, ac de quodam Ecdicio Parnasseno, " Malum, in-
" quit, futuræ vitæ viaticum sibi ascivit is, qui Ecclesiæ ipsum præfe-
" cit. " Tum de quodam Frontone, " Ad Episcopatus, inquit, fasti-
" gium .... evectus est: sed, Deo gratia, communis totius Armeniæ
" execratio factus est.

Epist. 62. *ad ecclesiam Neocæsariensem*, quæ sanctissimum Episcopum amiserat, " Mortuus est, inquit, qui in se ipso visendam præbuit pris-
" cam Ecclesiæ formam, velut ad sacram quandam veteris status imagi-
" nem ecclesiæ, quæ sub ipso erat faciem effingens .... Primo honore
" potitus est, non propter ætatis prærogativam; sed quoniam omnes sa-
" pientiæ vetustate superabat .... primam dignitatem obtinuit: .. Ec-
" clesia lamentatur: ... sacer senatus choryphæum desiderat; qui in ma-
" gistratu sunt, principem; populus præsidentem.

Sic Basilius Episcoporum singularem dignitatem, a presbyteris distinctionem, & auctoritatem declarat.

 Gre-

Gregorius Nazianzenus.

Summus hic Basilii amicus fuit & ejusdem cum ipso doctrinæ.

Primo enim *in apologia pro fuga sua*, tantam esse episcopatus excelsitatem & difficultatem prædicat, ut temerarius sit qui hoc onus non refugiat: hanc vero dignitatem frequentissime *principatum* vocat.

Secundo *Epist.* 23. quam nomine patris sui episcopi scripsit, cum de Cæsariensi episcopo designando ageretur, & Basilium eligi peroptaret, " Alios quoque apud vos, inquit, principatu dignos esse confido .... „ Cæterum ex omnibus, qui apud vos in honore sunt, neminem ... „ Basilio presbytero anteferre possum.

Tertio *Epist.* 24. Basilio gratulans episcopatum, " Postquam te, in„ quit, in sublimi throno intellexi collocatum &c.

Quarto *Oratione* 20. *in laudem ejusdem Basilii defuncti*, observat ipsum gradatim ad episcopatum pervenisse: " Disciplinæ, inquit, aliis „ exemplar se præbet; nam cum prius sacros libros populo lectitasset, „ nec hunc sacerdotii gradum indignum se duxisset, ita demum in pres„ byterorum ac deinde in episcoporum cathedra Dominum laudat... „ Verum sermo de sedis principatu hoc loco nos expectet, atque in „ eo qui ad inferiorem dignitatis locum pertinet, nonnihil immore„ mur. " Deinde narrat quomodo post Eusebii obitum factus sit episcopus; " Ad excelsum, inquit, episcopatus thronum evehitur ... Cum „ autem primariæ sedis honore affectus fuisset " &c. Denique *in carmine de vita sua*, referens qua ratione ipse a patre suo creatus esset presbyter, & episcopatui destinatus fugerit, sic habet:

Amor paternus forsan hunc induxerat,
(Amor at, potestas cui comes, vim maximam
Habet,) ut catenis spiritus me astringeret
Daretque honores quos habebat maximos,
Per vim secundis collocat me in sedibus.

Epiphanius.

Hæresi 75. Aerii dogma supra expositum de presbyterorum & episcoporum æqualitate, non solum in hæreseon numerum habet Epiphanius, sed etiam ob id insaniæ Aerium arguit.

Num. 3. Est autem, inquit, illius dogma supra hominis captum furiosum & immane ..... Quanam, inquit, in re presbytero episcopus antecellit?

Num. 4. hunc errorem ex professo confutans, " Enim vero, inquit, „ illud stoliditatis esse plenissimum prudens quisque facile perspiciet, „ siquidem Episcoporum Ordo ad gignendos patres præcipue pertinet:

hujus

„ hujus enim eſt patrum in Eccleſia propagatio; alter (presbyterorum) „ cum patres non poſſit, filios Eccleſiæ regenerationis lotione produ- „ cit, non tamen patres aut magiſtros. Quoniam vero fieri poteſt, ut „ is presbyterum conſtituat, ad quem creandum manuum imponenda- „ rum jus nullum habeat?

Num. 5. diſſolvit ea, quæ ex Scripturis ad fulciendum hoc doctrinæ portentum Aerius petebat momenta, quæ quidem eadem omnino ſunt cum illis quibus jam utuntur Calviniani; ut, quod Timotheus dicitur ordinatus per impoſitionem manuum presbyterii, & quod prætermiſſis presbyteris Apoſtolus ſuam ad Philippenſes epiſtolam inſcribat Epiſcopis & diaconibus.

Ibidem vero poſtea ex iiſdem Scripturis probat jam ipſa Apoſtolorum ætate diſtinctos fuiſſe a presbyteris Epiſcopos, iiſque ſuperiores, quod nempe Epiſcopus ab Apoſtolo presbyterorum judex conſtituatur.

Quæ quidem non eccleſiaſticum modo, ſed etiam divinum jus aperiunt, ac perſpicue declarant quænam circa hoc caput veteris Eccleſiæ mens fuerit.

Optatus.

A Græcis ad Latinos jam tranſimus, & 1. quidem ad Optatum Milevitanum in Africa epiſcopum. Is ergo *lib.* 1. varios eccleſiæ ordines recenſens, " Quid commemorem laicos? inquit, ... quid miniſtros „ plurimos? quid diaconos in tertio, quid presbyteros in ſecundo ſa- „ cerdotio conſtitutos? Ipſi apices & principes omnium .... Epiſco- „ pi. " &c. Tres ergo tunc erant Ordines, nec epiſcopi minus a presbyteris ſegregabantur, quam a diaconis presbyteri.

Sic & *lib.* 2. quatuor aſſignat hominum genera in Eccleſia, Epiſcoporum, presbyterorum, diaconorum, & fidelium.

Ambroſiaſter.

Inter Ambroſii opera commentarii quidam reperiuntur, quorum auctor eo tempore ſe vixiſſe profitetur, quo Eccleſiæ rector erat Damaſus (anno 284. mortuus) & ex quo nonnulla Auguſtinus profert ſub S. Hilarii nomine.

Hos porro commentarios ab VIII. ſæculo plerique Ambroſio aſcripſerunt: quidam his temporibus Hilario Pictavienſi: plures Hilario diacono, Luciferiani ſchiſmatis inſigni patrono: nonnulli alteri Hilario catholico, ſed ignoto, qui in Italia tum ſcripſerit: alii Juliano, aut cuipiam ex Pelagianorum ſecta, propterea quod originis labem videatur inficiari: alii autem opinantur hoc opus eſſe cujuſdam recentioris conſarcinatoris, qui varia hinc & inde ex variis excerpta nullo judicio conſuerit, & an ſibi ſemper ipſe conſtaret, non viderit: ſunt enim multa quæ reipſa ſecum invicem pugnent.

Atque hic ille est scriptor cui maxime confidunt adversarii.

Verum præterquam quod, ut incertæ ætatis, sic dubiæ auctoritatis est, atque adeo is esse non possit, qui tot ac tantis doctoribus hactenus laudatis aut infra laudandis præponderare debeat, quo jure id tam confidenter pronuncient, paucis videamus. Non enim dubitem quin & iste noster omnino sit.

Nempe *in* 1. *Cor.* 1. 17. explicans quod ait Paulus: *Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare*: " Quoniam majus est, in-
„ quit, evangelizare, quam baptizare, ideo non se missum baptizare di-
„ cit, sed evangelizare: quia in episcopo omnium Ordinationum digni-
„ tas est: caput est enim cæterorum membrorum.

Ibidem ad cap. 11. *v.* 10. ubi Apostolus jubet velato capite in Ecclesia esse mulieres, idque propter Angelos, " Angelos, inquit,
„ Episcopos dicit, sicut docetur in Apocalypsi Joannis .... Propter re-
„ verentiam episcopalem non habeat (mulier) caput liberum, sed ve-
„ lamine tectum, quia Episcopus personam habet Christi. Quasi ergo
„ ante judicem, sic ante Episcopum, quia vicarius Domini est, ... sub-
„ jecta debet videri.

Ad cap. 12. *v.* 28. in ista verba: *Et quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum quidem Apostolos, secundo Prophetas, &c. Nunquid omnes Apostoli &c.* " Caput itaque, inquit, in Ecclesia Apostolos posuit,
„ qui legati Christi sunt . . . Isti sunt Episcopi . . . . Petro Aposto-
„ lo . . . . dicente . . . . de Juda. *Et episcopatum ejus accipiat alter*
„ . . . . Et quia ab uno Deo patre sunt omnia, singulos Episcopos
„ singulis ecclesiis præesse decrevit .... *Nunquid omnes Apostoli?* Verum
„ est quia in Ecclesia unus est Episcopus.

In Epist. ad Ephes. cap. 4. *v.* 11. interpretans has Apostoli voces, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, quosdam vero Pastores*: " Apostoli, inquit, Epi-
„ scopi sunt, prophetæ vero explanatores Scripturarum (presbyteri,)
„ .... evangelistæ diaconi, ... pastores, ... lectores .... Inter istos post Epi-
„ scopum plus esse intelligitur .... qui Ordo nunc potest esse presbyterii.
„ Nam in Episcopo omnes Ordines sunt, quia primus sacerdos est, hoc
„ est, princeps est sacerdotum.

In epist. ad Philip. cap. 1. expendens inscriptionem istius epistolæ, quæ prima fronte videtur iis scripta qui erant Philippis cum Episcopis & diaconibus, qui ibidem versarentur, admonet hunc non esse Apostoli sensum, quia non fuissent plures in urbe una Episcopi: itaque id esse intelligendum de episcopis & diaconibus qui cum ipso Paulo erant, & quorum nomine Ecclesiam Philippensium salutabat Paulus: " Ad plebem enim, inquit, scribit. Nam si Episcopis scribe-
„ ret, & diaconibus, ad personas eorum scriberet, & loci ipsius Epi-
„ scopo scribendum erat, non duobus vel tribus, sicut & ad Titum,
„ & Timotheum.

In

In epistolam primam ad Timotheum, in prologo: " Hunc (Timotheum) inquit, jam creatum episcopum instruit (Paulus) per epistolam quomodo deberet Ecclesiam ordinare.

Ibidem ad cap. 6. v. 16. " Magna vigilantia inquit atque providentia præcepta dat rectori ecclesiæ: in hujus enim persona totius populi salus consistit.

Est ejusdem Ambrosiastri alter egregius locus in eandem epistolam apud Amalarium, *lib. 2. tom. 10. bibliot. PP.* ubi postquam observavit communia quondam extitisse utrique Ordini nomina Episcoporum, & presbyterorum, addit, decedentibus Apostolis nomen Episcopi iis esse reservatum, qui ordinandi potestate præstabant: quod argumento est, juxta hunc scriptorem, soli primo Ordini hancce facultatem propriam semper fuisse.

In epist. ad Titum in prologo " Titum, inquit, Apostolus creavit " episcopum; & ideo commonet eum, ut sit sollicitus in ecclesiastica " Ordinatione.

Ibi sane primo tres Ordines ac gradus distinguuntur, Episcoporum, presbyterorum, & diaconorum: & eodem modo. 2. Episcopi singulares in Ecclesiis statuuntur vel ab ipso Apostolorum ævo. 3. Id esse pronunciatur ex Dei voluntate ac Christi decreto. 4 Episcopi illi singulares omnibus, etiam presbyterorum cœtui, antecelluisse feruntur. 5. Rerum omnium curam habuisse, ita ut illi soli ordinandi potestate gauderent. 6. Denique ideo nominantur illi *vicarii Domini*, *successores Apostolorum*, *capita omnium Ecclesiæ membrorum*, *primi sacerdotes*, *sacerdotum Principes*, *ex quorum persona totius populi salus suspensa sit.* Quæ quidem singula longissime distant a Blondelli figmentis, cum nostra autem doctrina mirifice congruunt.

Hieronymus.

Nullus est inter veteres quo patrono magis quam Hieronymo glorientur adversarii; itaut Blondellus contra Episcoporum excellentiam scribens, libellum suum *Apologiam Hieronymi* non fuerit veritus inscribere. Quasi vero defensoribus istis aut ulla apologia indigeat qui plurimis in locis Episcoporum distinctionem, eminentiam & auctoritatem ab ipso Apostolorum ævo & ex Christi instituto astruit. Sic v.g.

Epist. 2. ad Nepotianum presbyterum, " Esto, inquit, subjectus " pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe . . . . . Illud etiam " dico quod Episcopi sacerdotes se esse noverint, non dominos. . . . " Scitum est illud oratoris Domitii: Cur ergo te, inquit, habeam " ut principem, cùm tu me nòn habeas ut senatorem? Quod Aaron " & filios ejus, hoc Episcopum, & presbyteros esse noverimus . . . " . . . Gaudeat Episcopus judicio suo, cum tales Christo elegerit sacerdotes.

Epist. 27. *ad Eustochium*, *de obitu ac funere Paulæ*, " Aderant, inquit, „ Hierosolymarum & aliarum urbium Episcopi, & sacerdotum inferioris „ gradus & levitarum innumerabilis multitudo.

Lib. 1. *adversus Jovinianum*, " Episcopus, inquit, & presbyter, & „ diaconus non sunt meritorum nomina, sed officiorum; nec dicitur: „ *Si quis episcopatum desiderat*, *bonum desiderat gradum*, sed, *bonum* „ *opus desiderat*, quod in majori Ordine constitutus possit, si velit, „ occasionem exercendarum habere virtutum .... Episcopus, presby- „ ter & diaconus, non ideo sunt beati quia Episcopi vel presbyteri „ sint, aut diaconi, sed si virtutes habuerint nominum suorum : ... „ alioqui si diaconus sanctior Episcopo suo fuerit, non ex eo quod infe- „ rior gradu est apud Christum deterior erit.

Epist. 54. *ad Marcellam*, Montanistarum impudentiam arguit, qui Episcopos Cenonibus suis subjecerant, & quod apud nos primum est, novissimum apud se fecerant.

In dialogo adversus Luciferianos " Ecclesiæ salus, inquit, in summi „ sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors quædam, & ab ho- „ minibus eminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur schisma- „ ta quot sacerdotes. " *Ibidem* " Ecclesia non est, inquit, quæ non „ habet sacerdotes. " *Ibidem* Arca Noe, inquit, Ecclesiæ typus „ fuit : .... a triginta cubitis incipiens & usque ad unum cubitum „ paulatim decrescens, arca construitur. Similiter & Ecclesia multis „ gradibus consistens ad extremum diaconis, presbyteris, Episcopisque „ finitur.

Epist. 61. *ad Pammachium* de erroribus Joannis Hierosolymitani, " Nisi me honor sacerdotii, inquit, & veneratio nominis refrænaret, „ & scirem illud Apostoli: *Nesciebam, fratres, quia pontifex est*: *scriptum* „ *est enim : Principi populi tui non maledices* : qua vociferatione, & in- „ dignatione verborum .... quererer?

Epist. 62. *ad Theophilum Alexandrinum* de eodem Joanne, " Patrias „ nostras, inquit, dimisimus .... ut pontifices Christi .... non do- „ minorum metu, sed patrum honore veneremur: ut deferamus Episco- „ pis, ut Episcopis (serviamus.) Non sumus tam inflati cordis, ut „ ignoremus quid debeatur sacerdotibus Christi : qui enim eos recipit, „ non tam eos recipit, quam illum cujus Episcopi sunt. Sed contenti „ sint honore suo: patres se sciant esse, non dominos.

Apologia prima adversus Rufinum, cum ab ipso Origenismi accusaretur, quod honores, ascensiones, descensiones, incrementa & imminutiones inter Angelos admisisset: " Quomodo, inquit, non dicitur *Archangelus*, nisi qui „ prior est Angelorum. Sic *Principatus*, & *Potestates*, & *Dominationes* „ non appellantur, nisi subjectos aliquos habeant, & inferioris gradus: „ sin autem putat, & idcirco me Origenem sequi, ... sciat multum „ interesse de Angelis ..... dicere : dæmones & homines fieri, quod „ affirmat Origenes: & ipsos inter se Angelos diversa officiorum genera

„ esse

„ esse sortitos, quod Ecclesiæ non repugnat; quomodo inter homines
„ ordo dignitatum ex laboris varietate diversus est, cum Episcopus, &
„ presbyter, & omnis ecclesiasticus gradus habeat ordinem suum.

Epist. 85. *ad Evagrium*, " Quid facit, inquit, excepta Ordinatione
„ Episcopus quod presbyter non faciat? " *Ibidem*, " In Episcopo, in-
„ quit, & presbyter continetur. Qui provehitur, de minori ad maius
„ provehitur. " *Ibidem*, " Et ut sciamus, inquit, traditiones apostoli-
„ cas sumptas de veteri testamento, quod Aaron & filii ejus atque levi-
„ tæ in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi & presbyteri & diaconi vindi-
„ cent in Ecclesia.

Epist. 99. *ad Asellam*, " Antequam, inquit, domum S. Paulæ nossem,
„ totius in me urbis studia consonabant: omnium pene judicio dignus
„ summo sacerdotio decernebar.

*In Isaiæ cap.*3. de senibus & principibus Israelitarum loquens, " Inter
„ senes & principes hoc fuisse reor (discriminis) quod nunc est inter Epi-
„ copos & presbyteros.

Ibidem in caput 5. ad hæc verba, *Væ qui consurgietis mane ad ebrietatem sectandam:* " Abutamur, inquit, hoc testimonio adversus principes Ec-
„ clesiæ qui &c.

*Ibid. ad cap.*19. exponens quid sibi velint quinque civitates quæ locuturæ erant lingua Chanaanitide, " Quinque civitates, inquit, ... Quin-
„ que Ecclesiæ Ordines, Episcopos, presbyteros, diaconos, fideles, ca-
„ techumenos sentiunt.

Ad cap. 61. in illud *Ponam principes tuos in pacem, & Episcopos tuos in justitiam.* " Principes, inquit, futuros Ecclesiæ Episcopos no-
„ minavit.

Ad cap. 62. " Quotusquisque, inquit, Ecclesiarum princeps est.

In Jeremiæ cap. 13. hæc verba, *Ecce ego implebo reges .... de stirpe David, & sacerdotes .... ebrietate*, interpretatur de Episcopis, & presbyteris: " Non solum, inquit, vulgus ignobile, ... sed reges eccle-
„ siarum, qui sedent resupini, erectaque cervice & protento aqualiculo
„ super thronum ejus, sacerdotes quoque ipsi, secundus in ecclesiastico
„ honore gradus &c.

In Ezechiel. cap. 34. " Ad pastores autem, inquit, sermo dirigitur,
„ quos reges vel principes, Scribas & Pharisæos ac magistros Judaici po-
„ puli debemus accipere; vel certe in evangelico populo episcopos, pres-
„ byteros, & diaconos.

Ibidem ad cap. 45. notat in ecclesia Judaica fuisse triplicem ministrorum Ordinem ac primum quidem summi sacerdotis, secundum inferiorum sacerdotum, tertium levitarum: id autem aptat Ecclesiæ Christi.

In Michaæ cap. 7. " Nolite, inquit, credere in ducibus, non in
„ Episcopo, non in presbytero, non in diacono, non in qualibet homi-
„ num dignitate. Non hoc dico, quod istiusmodi gradibus non debeatis
„ esse

„ esse subjecti, ... sed quod aliud sit honorare duces, aliud spem habere
„ in ducibus. Honoremus episcopum: presbytero deferamus: assurgamus
„ diacono: & tamen non speremus in eis.

In Matthæi cap. 26. " Pecunia ergo & argentum, inquit, prædicatio
„ Evangelii est, & sermo divinus, qui dari debuit numulariis & trape-
„ zitis, id est vel cæteris doctoribus, quod fecerunt Apostoli per singu-
„ las provincias, presbyteros & episcopos ordinantes.

In epist. ad Titum cap. 1. " Non enim, inquit, Apostolus ecclesiæ prin-
„ cipem formans, vetat esse pugilem &c.

In Psalmum 44. (si tamen Hieronymi sunt ista commentaria) ad hæc verba, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii : constitues eos principes super omnem terram :* " Fuerunt, inquit, o Ecclesia, Apostoli patres
„ tui, quia ipsi te genuerunt: nunc autem quia illi recesserunt a mundo,
„ habes pro his Episcopos filios qui a te creati sunt. Sunt enim & hi
„ patres tui, quia ab his ipsis regeris. .... In nomine Domini dilatatum
„ est evangelium in omnibus finibus mundi: in quibus principes ecclesiæ,
„ id est episcopi, constituti sunt.

Hieronymus itaque 1. censuit tres esse in Ecclesia Ordines ex æquo a se invicem distinctos: 2. episcoporum esse majorem & primum Ordinem, presbyterorum vero inferiorem & secundum : 3. Episcopos ideo esse patres, summos sacerdotes, principes, reges ecclesiarum ; presbyteros autem contra filios duntaxat & reipublicæ Christianæ senatores: 4. presbyteros ea de causa debere esse episcopis subjectos: 5. Episcopis solis competere ordinandi facultatem. 6. Ecclesiam ipsam ex natura sua flagitare ut episcopo insit exsors quædam & eminens auctoritas, ne quot sunt sacerdotes, tot efficiantur schismata ; ex quo sequitur ecclesiam nunquam aliter fuisse nec esse potuisse : 7. revera id esse apostolica traditione, ut in unaquaque ecclesia summus sit aliquis sacerdos cum aliis sacerdotibus inferioribus ac levitis, & Apostolos ipsos per singulas ecclesias ejusmodi episcopos ac presbyteros constituisse: 8. id esse institutum ad hierarchiæ cœlestis exemplum : 9. hujus ecclesiasticæ hierarchiæ imaginem esse in veteri populo legeque Mosaica a Deo profecta delineatam: 10. illud idem fuisse a Prophetis Deo quoque inspirante prænunciatum: 11. Christi mandatis non obtemperare, qui debitam episcopis reverentiam non præstat.

Hæc porro capita, præsertim vero quintum ac consequentia, id esse divini juris aperte demonstrant.

Hieronymiaster.

Sunt apud Hieronymum quidam in epistolas Pauli commentarii, qui nedum ipsius sint, putantur vulgo esse Pelagii hæresiarchæ. Ibi autem infelix ille monachus qui pestilenti sua de gratia Christi opinione religionis christianæ fundamenta subruit, *in cap. 3. epistolæ 1. ad Timoth.* " Quæ-

" Quæritur, inquit, cur de presbyteris nullam fecerit (Apostolus hic) " mentionem, sed eos in *Episcoporum* nomine comprehenderit. Quia " secundus, imo pene unus est gradus, sicut ad Philippenses episcopis " & diaconis scribit, cum una civitas plures episcopos habere non posset. " " Quæ quidem etiam significant singulares fuisse tunc temporis in ecclesiis " episcopos, eosque a presbyteris distinctos; & illos quidem in primo " gradu, hos vero in secundo constitutos.

Appendix altera Hieronymi erit auctor *epistolæ ad Rusticum de septem Ordinibus Ecclesiæ*, qui inter Hieronymi opera reperitur *tom. 9. pag.* 51. licet recentioris.

Hunc autem maxime venditant adversarii, quasi nempe episcoporum cum presbyteris æqualitatem astruat. At immerito. Licet enim alia plura contineat, quæ cum fide catholica conciliari vix possunt, atque adeo non magnæ sit auctoritatis, hac tamen in parte catholicam doctrinam tradit.

1. enim septem Ecclesiæ gradus distinguit: inter hos autem quintum recenset diaconatum, sextum presbyteratum, septimum tandem episcopatum.

2. De episcopatu speciatim differens, Episcopalis ordo, inquit, primus " & perfectus in cunctis est.

3. Tanquam propriam episcopo assignat ordinandi potestatem.

4. In cæteris Ordinibus ait esse partes, & membra virtutum, in episcopo plenitudinem divinitatis habitare corporaliter, ita ut in episcopis dominum, in presbyteris Apostolos recognoscas: & iterum, " In subdiaconis, inquit, Angeli, in diaconibus Archangeli, in pres- " byteris Apostoli, in episcopis ipse Deus.

5. Episcopum esse presbyteri legem.

6. Plures Philippis extitisse presbyteros, qui *Episcopi* nominarentur, sed nonnisi unum esse potuisse primi ordinis antistitem. Hæc certe satis arguunt episcoporum a presbyteris distinctionem, eminentiam, & singularem auctoritatem.

Concilium Carthaginense IV.

Ad finem hujus sæculi habita est synodus IV. Carthaginensis, quam ideo nominatim appellamus, quod nempe ex professo de sacris Ordinibus egerit: singulos enim enumerat, & uniuscuiusque Ordinationis describit ritus. In omnium porro capite episcopalem Ordinationem collocat, eamque a cæteris sejungit, non minus certe quam presbyteri Ordinationem a diaconi consecratione.

E QUIN-

E QUINTO SÆCULO.

Innocentius I.

Sæculo V. ineunte factus est pontifex Innocentius I. qui *in epist. ad Decentium Eugubinum*, *cap.* 3. sic loquitur: " De consignandis vero
" infantibus, inquit, manifestum est non ab alio quam ab Episcopo
" fieri licere. Nam presbyteri licet sint sacerdotes, pontificatus ta-
" men apicem non habent. Hoc autem solis Pontificibus deberi, ...
" ut . . . . consignent, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat,
" verum & illa lectio Actuum Apostolorum, quæ asserit Petrum, &
" Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum san-
" ctum. Nam presbyteris seu extra episcopum, seu præsente episco-
" po, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, non tamen
" frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis. " En episcoporum distinctio, summaque ac peculiaris in Confirmatione danda potestas non ex ecclesiastica modo consuetudine, sed ex apostolica successione, ipsisque adeo Scripturis petita.

Chrysostomus.

Episcopi ac *presbyteri* nomina utrique Ordini communia fuisse ævo Apostolorum, docet quidem Chrysostomus: sed an Ordines ipsos idcirco non distinxit, aut tunc distinctos non fuisse sensit? Minime profecto. Imo vero nomina ideo præsertim confusa fuisse putavit, quod res ipsas nunquam fuisse confusas arbitraretur.

Sic *homil.* 1. *in epist. ad Philippenses*, expendens hæc verba: *Cum Episcopis & diaconibus*: " Quid hoc? inquit, an unius civitatis multi
" erant episcopi? Nequaquam: sed presbyteros isto nomine appella-
" vit. Tunc enim nomina adhuc erant communia: atque ipse etiam
" episcopus vocabatur *diaconus*. Idcirco ad Timotheum scribens, *Dia-*
" *coniam*, id est, *ministerium tuum*, *imple*: cum tamen ille episcopus
" esset: quod constat ex illius verbis ad eundem scriptis: *Manus cito*
" *nemini imposueris*: & rursus; *Quæ data est tibi cum impositione manuum*
" *presbyterii*. *Presbyteri* vero Episcopum non ordinassent .... Proceden-
" te vero tempore proprium cuique distributum est nomen, ut hic qui-
" dem *Episcopus*, ille vero *presbyter* appellaretur.

Quibus quidem in verbis multa sunt observanda.

Primum, quod Chrysostomus probet ideo maxime *Episcopi* nomen fuisse commune ut & *presbyteri*, quia scilicet nisi hoc admittatur, consequens erit, ut res ipsæ confundantur, quia nempe hinc consequeretur plures in una eademque urbe primi Ordinis antistites extitisse, & presbyteros ordinandi potestate fuisse insignitos: quæ quidem tanquam doctrinæ monstra rejicit. Se-

Secundum, quod Chrysostomus evincat in primo Ordine constitutum fuisse Timotheum & eum veri nominis Episcopum fuisse; quia nempe manuum imponendarum jus habebat. Ergo Chrysostomus putabat hancce facultatem etiam tum fuisse primi Ordinis propriam.

Tertium, quod hæc verba contra, *Cum impositione manuum presbyterii*, explicet de Episcopis, " Non enim, inquit, presbyteri Episcopum „ ordinassent. " Ac proinde id tanquam absurdum spectabat Chrysostomus, quod nempe simplices presbyteri etiam Apostolorum ævo ordinandi potestatem habuisse dicerentur.

Quartum, quod admoneat procedente tempore nomina quidem fuisse distributa ac distincta, non autem ipsos Ordines secretos. Inde enim colligimus juxta S. Chrysostomum, licet communia fuerint vocabula, res tamen ipsas ea etiam ætate fuisse sejunctas.

Sic & *Homil.* 11. *in* 1. *Timoth.* " Postquam inquit, de episcopis dixit „ (Apostolus,) eosque formavit, ... omisso presbyterorum Ordine, „ ad diaconos transiit. Cur id, quæso? quia scilicet inter episcopum „ & presbyterum interest ferme nihil: quippe & presbyteris Ecclesiæ „ cura commissa est, quæ de episcopis dixit, ea etiam presbyteris congruunt; sola quippe Ordinatione superiores illi sunt, atque hoc tantum „ plusquam presbyteri habere videntur.

Miratur Chrysostomus quod omissus presbyterorum Ordo fuerit, & quod post episcopos statim diaconi memorati sint. Ergo presbyterorum & episcoporum Ordines jam fuisse distinctos autumabat; nullus enim alioqui admirationi locus extitisset.

Deinde vero licet pene unus esset gradus, attamen ille sanctus doctor notat interfuisse aliquid, & episcopos eo fuisse superiores presbyteris, quod ipsis solis ordinandi potestas competeret: quo quidem distinctio & eminentia confirmatur.

Homil. 13. interpretans has voces: *Noli negligere gratiam quæ est in te, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii*: " Non de presbyte„ ris, inquit, hoc in loco, sed de episcopis loquitur. Neque enim „ profecto presbyteri ipsum ordinarant. Quocirca vocem illam *presby„ terii*, quæ prima fronte secundum Ordinem sonat, ad primum de„ flectendam esse extra dubium est, ne simplices presbyteri Timotheum „ ordinasse existimentur. " Ergo Ordines jam tunc distinctos esse arbitrabatur, & unicuique propriam partem fuisse attributam quam alter usurpare non posset.

Homil. 16. " Dixerat, inquit, supra de episcopis, de diaconis, ... „ de viduis, de presbyteris, de aliis omnibus, ostenderatque quod ho„ rum esset episcopus dominus. " Ergo judice Chrysostomo, cum scribebat Apostolus, omnium Ordinum, etiam presbyterorum dominus erat singularis ille episcopus, qui ecclesiæ toti cum auctoritate præerat. *Ibidem*, jamjam expositurus hæc verba, *Manus cito nemini imposueris*, " Ubi

„ ve-

„ vero, inquit, hæc dicit, illud intulit, quod omnium maxime peri-
„ culosum est .... de Ordinationibus scilicet. “ Quapropter maximi in Ecclesia momenti eam esse statuebat ordinandi potestatem quam solis episcopis vindicabat.

Quod autem senserit Chrysostomus Episcopos tum esse constitutos peculiari quadam Ordinatione, id insuper constat ex duobus locis : 1. enim *Homil.* 48. *in epistol.* 1. *ad Cor. cap.* 15. in hæc verba, *Deinde visus est Jacobo*, “ Mihi, inquit, videtur dicere, *fratri suo* : ipse enim „ dicitur ei manum imposuisse, ac ipsum ordinasse, & episcopum fe-
„ cisse Hierosolymis. “ 2. *Homil. in Ignatium martyrem*, asserit ipsum ab Apostolis in episcopum Antiochenum fuisse manuum impositione consecratum, tantoque principatu dignum ab iis judicatum.

Theodoretus.

Qui Chrysostomum vulgo affectatur Theodoretus, ab ipso circa nominis *Episcopi* communionem dissentit : namque ratus est *Episcoporum* nomen soli secundo Ordini sub Apostolis fuisse proprium, & primi Ordinis antistites tunc *Apostolorum* nomine donari consuevisse. Ex eo autem aperte colligitur utriusque Ordinis distinctio ac primi Ordinis eminentia.

Sic *in cap.* 1. *epist. ad Philip.* explicans hæc verba, *Cum episcopis & diaconibus*, “ *Episcopos*, inquit, appellat presbyteros : utrumque enim
„ nomen habebat illo tempore, ... atque hoc .... loco id manifestum
„ fecit. Episcopis enim conjunxit diaconos, nulla de presbyteris facta
„ mentione : præsertim cum fieri non posset ut multi episcopi essent
„ unius civitatis pastores, ut liquido pateat presbyteros eos fuisse quos
„ nominavit *episcopos*. Beatum porro Epaphroditum in epistola ipsa
„ eorum appellavit *Apostolum* ..... Aperte ergo docuit episcopalem
„ dispensationem ei fuisse creditam, cum appellationem haberet *A-*
„ *postoli*.

Ad cap. 2. *vers.* 25. in hæc verba : *Necessarium autem existimavi Epaphroditum .... vestrum Apostolum, ... mittere ad vos* : “ Eum, inquit,
„ ipsorum *Apostolum* vocavit, ut cui esset illorum cura concredita; ut
„ clarum sit sub eo fuisse, qui in principio (epistolæ) dicti sunt *epis-*
„ *copi*, presbyterorum scilicet in Ordine constituti.

In 1. *Tim. cap.* 3. ad hæc verba, *Si quis episcopatum desiderat &c.* “
„ Hic, inquit, *episcopum* appellat presbyterum; sicut epistolam ad Phi-
„ lippenses interpretando ostendimus. Hoc autem ex illo loco intelligi
„ facile potest : post leges enim episcopales, eas quæ Diaconis conve-
„ niunt scribit, prætermissis presbyteris. Sed, ut dixi, eosdem olim
„ vocabant *presbyteros* & *episcopos*; eos autem qui nunc vocantur *epis-*
„ *copi*, *Apostolos* nominabant ...... Sed tamen etiamsi presbyteris ista
„ constituit divinus Apostolus, clarum est quod has leges oportet pri-
„ mos

„ mos servare episcopos, qui majorem dignitatem sortiti sunt.

Hic 1. distinguuntur tres Ordines; primus Apostolorum, qui postea vocati sunt *episcopi* : 2. presbyterorum, qui tunc etiam *episcopi* nominabantur: 3. diaconorum.

2. Episcopi, ut jam loquimur, singulares uniuscujusque Ecclesiæ admittuntur. 3. Eorumdem eximia dignitas ac auctoritas non prætermittitur : utramque enim satis declarat ipsum *Apostoli* nomen: deinde conceptis verbis dicuntur episcopi majorem esse sortiti dignitatem. Denique Epaphroditus statuitur tanquam Ecclesiæ princeps cui subjecti essent ipsi etiam presbyteri, qui initio epistolæ dicti fuerant *episcopi*, & tanquam qui curam omnium haberet.

Atque hæc de illis, qui negotium facessere poterant præ cæteris, sufficiant : cætera leviter perstringemus.

Isidorus Pelusiota.

Chrysostomi discipulus hic fuit, nec aliter quam ille de episcopatu sensit.

Libro enim 1. *epist.* 136. episcopum appellat *Christi imaginem* : *Epistola* 104. Episcopatum *excelsissimam dignitatem* vocat : *libro* autem 2. *epist.* 125. de Hierace loquens, qui episcopatum recusaverat, asserit episcopatus & nomen & rem ipsam divina plane esse, & omni magistratu ac dignitate sublimiora.

Synesius.

Epistola 66. in Theophilo Alexandrino revereri se profitetur summam auctoritatem evangelicæ successionis, id est ab evangelii lege, aut evangelista Marco derivatæ.

Epistola autem *67.* " Ego autem volo, inquit, & necessitas divina „ mihi incumbit legem existimare mihi præscriptam ..... quidquid ab „ illa cathedra judicatum fuerit.

Cyrillus Alexandrinus.

Libro 13. *de adoratione in spiritu & veritate*, varios applicans ecclesiæ judaicæ ordines ad ecclesiam christianam, " Quod si quis, inquit, „ velit etiam ecclesiæ ordinem perquirere, illam quæ in lege est præ„ figurationem jure admirabitur. Episcopis enim, ac si tunc principa„ tum sortiti essent, atque etiam iis, qui inferiorem gradum gerunt, „ presbyteris, inquam, concreditum est altare, ... quibus etiam di„ ci convenit, *Et custodient sacerdotium suum* : Diaconis vero illud : *Custodient custodias tabernaculi.* " Ita Cyrillus ex ipsa ecclesiæ natura, ejusque imagine a Deo ipso posita ratiocinatur.

Au-

Augustinus.

Libro de hæresibus cap. 53. Aerium in numero hæreticorum collocat, quod presbyteros esse episcopis pares decerneret, idque ex Scripturis & Apostolorum usu, ut ex Epiphanio constat. Jam vero hæresis est contra dogma a Deo revelatum.

Et vero, ut supra ostendimus, Augustinus censuit episcopatum esse Sacramentum, atque adeo juris divini.

Adde *epistolam* 21. *ad Valerium*, 31. *ad Paulinum* 136. *ad Deuterium*, ubi episcopatus excellentiam ac dignitatem extollit.

S. Leo.

Epist. 84. *ad Anastasium Thessalonicensem cap.* 4. de subdiaconorum cælibatu legem sanciens, " Quod si, inquit, in Ordine qui quartus a " capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, aut secun- " do, aut tertio servandum est, ne aut levitico ministerio, aut pres- " byterali honore, aut episcopali excellentia quisquam idoneus existi- " metur, qui se a voluptate uxoris necdum frenasse detegitur? " Jam vero Ordines, saltem majores, a Christo sunt instituti. Ergo si major est Ordo episcoporum isque a presbyteratu distinctus, ea cum distinctio tum superioritas a Christo proficiscitur.

Sedulius Scotus.

Commentarios ille scripsit in epistolas Pauli ex veteribus scriptoribus, Origene, Ambrosio, Hieronymo, & qui sub eorum nomine latent excerptos: quare idem cum illis de episcopatu sensit.

Et vero *in* 1. *Tim. cap.* 3. quæstionem instituit cur diaconos post Episcopos statuit Apostolus, & respondet quod secundus esset & pene unus gradus. Deinde presbyteros nomine *episcoporum* intelligi, sicut in epistola ad Philippenses dicitur, *cum episcopis & diaconibus*, cum una civitas plures veri nominis episcopos habere non posset.

Quæ quidem, ut patet, episcoporum a presbyteris distinctionem, singularitatem & superioritatem demonstrant.

Sidonius Apollinaris.

Epist. 11. *lib.* 4. de Claudiano presbytero, fratre Mammerti Viennensis, sic habet:

Antistes fuit Ordine in secundo,
Fratrem fasce levans episcopali.

Epist. autem 25. de Joanne archidiacono Cabillonensi, qui factus fue-

fuerat episcopus, " Hunc, inquit, jam secundi Ordinis antistitem stu-
„ pentibus factiosis, erubescentibus malis, acclamantibus bonis, recla-
„ mantibus nullis, collegam sibi (Episcopi) consecravere.

Salvianus Massiliensis.

Quatuor ille contexuit libros de Ecclesia: in præfatione autem de avaritia differens quæ omnes Ordines passim invaserat, " Quod,
„ inquit, ... prope inter monstra reputandum, ad levitas etiam
„ atque ad presbyteros, & quod iis feralius multo est, ad episcopos
„ etiam pervenit.

Tres illic Ordines recensentur. Cur autem avaritia episcoporum gravius est crimen quam aliorum, nisi quod episcopi cum sint ex institutione Christi majori in Ordine constituti, majoribus etiam virtutibus ornati esse debeant?

Adde, si lubet, Gelasium summum Pontificem, & Dionysium, vulgo Areopagitam, quos, ubi de Sacramento episcopatus, laudavimus.

EX SEXTO SÆCULO.

Primasius.

Breves ille in epistolas Pauli commentarios exaravit.

In epistolam porro *ad Philipp.* hæc verba *Cum episcopis & diaconibus*, non de veris episcopis; sed de presbyteris ob communionem nominum intelligenda esse pronunciat: " Quia, inquit, non erant plures episco-
„ pi in una civitate.

In epistolam vero *ad Timoth. caput 3.* " Quæritur, inquit, cur de
„ presbyteris nullam fecerit mentionem? Sed in episcopis, inquit, etiam
„ presbyteros comprehendit: quia secundus ac pene unus est gradus,
„ sicut multis Scripturarum testimoniis comprobatur.

Ex his elicitur singularitatem episcoporum, eorumque distinctionem non tantum viguisse ævo Apostolorum, sed etiam Scripturis comprobari posse.

Gregorius-magnus.

Lib. 4. in 1. Regum, cap. 6. episcopatum Ordinum esse culmen asserit & peculiare Sacramentum, atque adeo divini instituti: " Qui, in-
„ quit, in culmine ponitur, Sacramenta suscipit unctionis: quia ve-
„ ro ipsa unctio Sacramentum est, bene foris ungitur; si intus virtu-
„ te Spiritus-sancti roboretur.

EX SEPTIMO SÆCULO.

Isidorus Hispalensis.

Cum Gregorio magno amicitia junctus fuit Isidorus, sed post ipsum multo mortuus est, unde ad septimum sæculum commodius refertur.

Is autem *lib.* 2. *de divinis Officiis*, *cap.* 7. de presbyteris loquens, " His, inquit, sicut episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa „ est; . . . sed sola propter auctoritatem summo sacerdoti clericorum „ Ordinatio & consecratio reservata est, ne a multis ecclesiæ discipli- „ na vendicata concordiam solveret. Nam Paulus eosdem presbyteros „ ut vere sacerdotes sub nomine *episcoporum* asserit . . . . Unde & ad „ Timotheum de Ordinatione episcopi & diaconi scribens, de presby- „ teris omnino tacuit, quia eos in *episcopi* nomine comprehendit. Se- „ cundus enim & pene (*seu* & primo) conjunctus est gradus, sicut & „ ad Philippenses Episcopis & diaconibus scribit, cum una civitas plu- „ res episcopos habere non possit.

Libro 7. *Etymologiarum*, *cap.* 12. " Apud veteres, inquit, iidem E- „ piscopi & presbyteri (quoad nomina) fuerunt: quia illud nomen „ dignitatis, hoc est ætatis. Ideo autem & presbyteri *sacerdotes* vo- „ cantur, quia sacrum dant sicut & episcopi: qui (presbyteri) licet „ sint sacerdotes, tamen Pontificatus apicem non habent, quia nec „ chrismate frontem signant, nec paracletum Spiritum dant, quod so- „ lum deberi episcopis lectio Actuum Apostolorum demonstrat.

Ex quibus verbis conficimus 1. Ordines episcoporum & presbyterorum licet conjunctos, attamen distinctos fuisse, & episcoporum quidem primum, presbyterorum vero secundum extitisse: 2. singulares fuisse ipso etiam Apostolorum ævo in singulis ecclesiis episcopos: 3. eosdem Apostolis successisse, ac proinde ex Scripturis demonstrari cur Episcopi soli confirmandi potestatem habeant: 4. Ipsos non hanc tantum potestatem habere sibi propriam, sed etiam ordinandi.

Synodus Hispalensis II.

Cum ad hoc Concilium, anno 619. congregatum, relatum fuisset Agapium Cordubensis urbis episcopum, frequenter presbyteros, qui absente Pontifice altaria erigerent, destinasse, id summopere improbarunt Patres *can.* 7. qui legitur (sed non una eademque plane ratione) in collectione Conciliorum, Isidoro Mercatore, & in epistola pseudo-Leonis de Chorepiscopis. Nos Conciliorum lectionem sequemur.

" Ergo, inquiunt, ne ultra talis licentia usurpetur communi senten- „ tia statuendum oportuit: scientes quia sicut presbytero illicita con- „ secratio est altaris, ita & constitutio. In divinis enim litteris præ-

„ ci-

„ cipiente Domino solus Moyses in tabernaculo Dei erexit altare, ...
„ utique quia summus sacerdos Dei erat : ..... ideoque id quod tantum facere principibus sacerdotum jussum est, quorum typum Moyses & Aaron tenuerunt, presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamvis cum episcopis plurima illis mysteriorum communis sit dispensatio, quædam novellis & ecclesiasticis regulis (seu ut est apud Isidorum & pseudo-Leonem *quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis & ecclesiasticis regulis*) sibi prohibita noverint, sicut presbyterorum & diaconorum ac virginum consecratio, sicut constitutio altaris &c. siquidem nec licere eis ... chrismate baptizatorum frontem signare, ... quia Pontificatus apicem non habent, quem solis deberi episcopis, auctoritate canonum præcipitur, ut per hoc & discretio graduum & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur.

Quapropter illa synodus 1. distinguit episcopos a presbyteris, qui Pontificatus apicem non habent : 2. non solum specialem eis dignitatem attribuit, sed etiam multiplicem potestatem, ordinandi præsertim ac confirmandi, quæ presbyteris non competat: 3. distinctionem illam summi sacerdotis ab aliis inferioribus ex divinis litteris repetit; & sicut ex veteris testamenti testimoniis elicitur discrimen summi apud Judæos Pontificis, sic ex novellis seu novi testamenti oraculis episcoporum excellentiam desumit : 4. denique Innocentium sequitur qui ex Actibus Apostolorum colligit solis Episcopis convenire confirmandi facultatem.

EX OCTAVO SÆCULO.

Beda.

In Lucam lib. 3. *cap.* 42. " Sicut, inquit, duodecim Apostolos formam Episcoporum exhibere simul & præmonstrare nemo est qui dubitet; sic & hos septuaginta duos (discipulos) figuram presbyterorum, id est secundi Ordinis sacerdotum, gessisse sciendum est, tametsi primis Ecclesiæ temporibus, ut apostolica Scriptura testis est, utrique *presbyteri*, utrique vocabantur *episcopi*.

Quo quidem in loco observandum est juxta Bedam 1. Episcopos Apostolis & presbyteros septuaginta discipulis successisse. At nemo jam dubitare potest, quin Apostoli discipulis superiores extiterint. Ergo. 2. Eodem ipso tempore, quo nomina erant communia, fuisse tamen Episcopos & secundi Ordinis sacerdotes (hoc enim indicat vox illa *tametsi*) ac proinde etiam apostolica ætate. Duo autem ista jus divinum astruunt.

In caput autem 20. *Actuum*, ad hæc verba *: Spiritus-sanctus posuit vos episcopos &c.* " Dixerat supra, inquit, presbyteros Ephesi Mile-

„ tum vocatos, quos nunc *episcopos*, id est superinspectores, nominat: „ non enim una civitas plures Episcopos habere potuit, sed eosdem „ presbyteros, ut vere sacerdotes sub nomine *episcoporum* significat: „ conjunctus est enim gradus, & in multis pene similis. " Ergo ju- „ dicio Bedæ singulares tunc erant in ecclesiis Episcopi, & eorum gra- „ dus distinctus erat a presbyterorum Ordine.

Alcuinus.

Lib. de divinis Officiis (si tamen ejus est hoc opus, de quo multi dubitant; sed quisquis sit auctor) *cap.* 36. " Presbyteri, inquit, potesta- „ tem habent catechizandi, baptizandi, &c. Super hos sunt Episcopi, „ ... quibus solis est potestas sacrum chrisma conficere & baptizato- „ rum frontes signare. ... Sciendum autem quod primis Ecclesiæ tem- „ poribus etiam presbyteri *episcopi* vocabantur, sed postmodum utili „ satis provisione constitutum est, ut hoc nomen solis Pontificibus tri- „ buatur, quo majoris gradus excellentia crescat, & minor Ordo men- „ suræ suæ limitem recognoscat, sitque differentia in vocabulis, sicut „ præcelsior locus honoris. " Itaque 1. superiores sunt Episcopi presbyteris, idque propter confirmandi potestatem eis propriam: quæ quidem, ut pote ad sacramenta pertinens, ab alio fonte quam domini voluntate profluere non potest. 2. Utrique, Episcopi videlicet & presbyteri, jam erant distincti ævo Apostolorum: & eorum quidem major erat Ordo, illorum vero minor; sed nomina erant communia. Postea vero ne rerum adeo dissitarum confusioni faveret hæc nominum communio, vocabula distributa sunt, ut majoris hujus gradus excellentia ista vocis *episcopi* proprietate cresceret, & qui minor erat gradus mensuræ suæ limites agnosceret, nec ultra excurreret; uno verbo ut, quemadmodum diversa erat utriusque gradus excelsitas, sic & diversa deinceps essent nomina, quibus ea significarentur. In eo enim est sita illa nominum distinctionis utilitas, quod rerum jam antea distinctarum discrimen non amplius tegat, sed contra ob oculos ponat.

EX NONO SÆCULO.

Synodus Aquisgranensis.

Ecclesiæ Francicæ mens non aliunde melius quam ex hoc concilio, in quod tota coiit anno 816. cognosci potest. Jam vero illius synodi Patres *can.* 8. Isidori Hispalensis locum *ex lib.* 2. *de officiis* a nobis *supra* allatum exscribunt: ac proinde ipsius sententiam sequuntur. At Isidorus totus aperte noster est, ut *supra* vidimus. Ergo.

Ama-

Amalarius.

Lib. 2. de divinis officiis, cap. 12. " Ordinem, inquit, vel auctoritatem
" diaconi, & presbyteri, atque Episcopi, sive differentiam, assumendam
" a veteri testamento S. Hieronymus nobis demonstrat ex epistola ad E-
" vagrium ... dicens : Et ut sciamus traditiones Apostolicas " &c. Ac proinde hanc Episcopi a presbyteris differentiam & auctoritatem ex Apostolica traditione & divinis litteris esse desumendam docet.

Cap. 13. de ordinandi potestate disserens, " Hieronymus, inquit, ex-
" ponit quod plus habeat Episcopus quam presbyter, dicens : .... Quid
" enim facit excepta Ordinatione Episcopus quod presbyter non facit?

Ibidem indicat Episcopos esse in Ecclesia quod Moyses olim fuit in populo Judaico, & presbyteros quod septuaginta viri ab ipso delecti: " De
" eisdem septuaginta, inquit, mentio facta est in consecratione presby-
" teri dicendo : Ut cum Pontifices summos regendis populis præfecis-
" set ad eorum societatis & operis adjumentum, sequentis Ordinis vi-
" ros & secundæ dignitatis eligeres. " At certe Moyses superior erat illis septuaginta viris, & quidem Dei voluntate.

Theodulphus Aurelianensis.

In capitulis, ad suos presbyteros, " Scitote, inquit, vestrum gradum
" nostro gradui secundum & pene conjunctum esse. Sicut enim Epis-
" copi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum presbyteri cæterorum di-
" scipulorum Domini vicem tenent : & illi tenent gradum summi Pon-
" tificis Aaron, isti vero filiorum ejus.

Rabanus.

Libro de institutione clericorum, cap. 4. " Contemplari oportet, inquit,
" Aaron sacerdotem summum, id est episcopum, fuisse ; presbytero-
" rum figuram præmonstrasse filios ejus. *Ibid.* In novo autem testa-
" mento post Christum sacerdotalis Ordo a Petro cœpit : ipsi enim
" primum datus est Pontificatus in Ecclesia Christi : .... cæteri Apo-
" stoli cum Petro par consortium honoris & potestatis acceperunt, ...
" quibus decedentibus successerunt Episcopi.

Cap. 6. " Presbyterorum Ordo, inquit, exordium sumpsit, ut dictum
" est, a filiis Aaron : qui enim *sacerdotes* in veteri testamento voca-
" bantur, hi sunt qui nunc appellantur *presbyteri*, & qui tunc *princeps*
" *sacerdotum*, nunc *episcopus* vocatur ..... Presbyteri *sacerdotes* vocan-
" tur, ... sed licet sint sacerdotes, tamen Pontificatus apicem non ha-
" bent, quod nec chrismate frontem signant, ... quod solis Episcopis debe-
" ri lectio Actuum Apostolorum demonstrat, nec ordinare clericos in sacris

„ Ordinibus possunt .... Secundi autem Ordinis viri presbyteri sunt, „ quorum typum præferebant septuaginta viri in veteri testamento.

In epistol. ad Philipp. cap. 1. super his verbis *Cum Episcopis* : " „ *Episcopos*, inquit, dixit illos qui nunc *presbyteri* dicuntur; ..... „ nec enim ordinis erat multos in una civitate esse illos, qui nunc „ *episcopi* nuncupantur.

In cap. 4. *epist.* 1. *ad Timoth.* Ad hæc verba, *Cum impositione manuum presbyterii* : " *Presbyteros*, inquit, hoc in loco non eos nomina- „ vit, qui nunc nominantur *presbyteri* : nec enim res admittebat istos „ manus imponere ad Ordinationem ipsius functionis, sed Apostolorum „ dicit conventum.

Ita ille de Episcoporum singularitate & ordinandi potestate presbyteris abjudicanda ipso etiam Apostolorum ævo : quo modo antea ex Scripturis Episcoporum distinctionem & summam auctoritatem repetierat.

Hincmarus Remensis.

Epist. 14. *cap.* 4. " Legimus in sacra Scriptura veteris testamenti „ quia David .... præfigurans ... Christum, duos in sacerdotibus „ Ordines constituit, in summis scilicet Pontificibus & in minoris Or- „ dinis sacerdotibus, qui nunc presbyteratus funguntur officio. Et in „ novo testamento ..... Christus de multitudine suorum discipulo- „ rum ... duodecim elegit, quos & *Apostolos* nominavit. Horum in „ Ecclesia locum tenent Episcopi, sicut sacra Scriptura & catholici „ doctores ostendunt. Designavit etiam & alios septuaginta duos, „ qui sub duodecim Apostolis figuram presbyterorum, id est secundi „ Ordinis sacerdotum, præmonstraverunt, ut decedentibus Episcopis de „ his secundi & inferioris Ordinis sacerdotibus ad summi sacerdotii „ apicem ... provehantur. " Adde *ep.* 15. *cap.* 4. & 47. ad Joannem VIII. in quibus eadem repetit.

EX DECIMO SÆCULO.

Regino.

Hic Prumiensis abbas fuit, & duos *de ecclesiasticis disciplinis* libros scripsit.

Libro autem 2. in ipso limine admonet Episcoporum figuram fuisse Moysen, presbyterorum autem septuaginta illos viros, qui Moysi in subsidium a Deo dati sunt.

Ibid. pag. 602. extat admonitio synodalis antiqua in qua episcopus ita presbyteros alloquitur : " Fratres presbyteri & sacerdotes Domini, coo- „ peratores Ordinis nostri estis. Nos quidem quamvis indigni, locum „ Aaron tenemus; vos autem locum Eleazari & Ithamaris : nos vice

„ duo-

„ duodecim Apostolorum fungimur; vos ad formam septuaginta discipu-
„ lorum estis: nos vero pastores vestri sumus; vos autem pastores ani-
„ marum vobis commissarum &c.

Eutychius Alexandrinus.

Sub idem illud tempus Eutychius Alexandrinus præsul Arabica lingua suæ ecclesiæ origines edidit, in quibus conspicitur quænam esset ipsius judicio ecclesiarum disciplina ætate Apostolorum.

Jam vero in ecclesiis Episcopos singulares constituit, & presbyteros ipsis subjectos: sic asserit a Marco Ananiam patriarcham Alexandrinum esse constitutum, & sub ipso duodecim in eadem ecclesia presbyteros: sic & in ecclesia Antiochena & Romana ab Apostolis factitatum esse testatur. Cæterum ille idem nonnulla alia admiscet, quæ speciatim excutiemus.

EX UNDECIMO SÆCULO.

Lanfrancus.

In epist. ad Philip. de his verbis: *Cum Episcopis & diaconibus*: "
" *Episcopos*, inquit, dixit qui nunc *presbyteri* dicuntur: nec enim hu-
„ jus Ordinis fas erat multos esse in una civitate. " Itaque juxta Lanfrancum fas quidem tunc erat, multos ex Ordine presbyterorum esse in una eademque civitate, non autem episcoporum: ac proinde illi jam distinguebantur, & Episcopi singulares erant.

In 1. Tim. 4. ad hæc verba: *Cum impositione manuum presbyterii*:
„ Vocat *presbyterum*, inquit, Episcopum. " sic ille interpretatur *presbyterii* vocem, ne ordinandi potestas ad presbyteros etiam tunc pertinuisse existimetur.

Theophylactus.

In epist. ad Philipp. cap. 1. super his verbis: *Cum Episcopis & diaconibus*, seu, ut ipse legit, *Coepiscopis & diaconibus*: " *Coepiscopos*,
„ inquit, presbyteros appellavit: non enim in una urbe plures Epis-
„ copi fuerunt; nondum enim erant distincta nomina: verum ipsi E-
„ piscopi *diaconi & presbyteri* vocabantur: Timotheo enim episcopo
„ scribens, ait: *Diaconiam*, id est *ministerium tuum*, *imple*: Et rursus
„ .... *Cum impositione manuum presbyterii*, hoc est Episcoporum; non
„ enim presbyteri episcopum ordinabant &c.

In 1. Tim. 3. " Cur, inquit, presbyteros prætermisit? quia quæ de
„ episcopis dixit, ea presbyteris etiam conveniunt, ... utpote sola
„ ordinandi potestate inferioribus.

In cap. 4. ad hæc verba : *Cum impositione manuum presbyterii* : « Hoc
„ est, inquit, episcoporum, non enim presbyteri episcopum ordina-
„ bant &c.

Sic Theophylactus, Chrysostomi vestigiis insistens, & verba ipsa exscribens.

OEcumenicus.

EADEM ille omnino habet.

Ita *in epist. ad Philipp.* ad hæc etiam verba, *Cum Episcopis* : « Non
„ quod, inquit, in una civitate multi essent Episcopi; sed *Episcopos*
„ vocat presbyteros : tunc enim nominibus adhuc communicabant &c.

In 1. *Tim.* 4. ad hæc verba : *Cum impositione manuum presbyterii* : «
„ *Presbyteros*, inquit, dicit Episcopos : neque enim presbyteri Episco-
„ pum ordinabant.

EX DUODECIMO SÆCULO.

Hervæus.

Initio istius sæculi Hervæus quidam extitit Burgidolensis monachus; cujus esse putantur in Pauli epistolas commentarii, qui passim Anselmo affinguntur.

Is autem *in epist. ad Philipp.* super hæc verba, *Cum Episcopis* : «
„ Episcopos, inquit, pro presbyteris more suo posuit : non enim plu-
„ res Episcopi in una civitate erant.

In 1. *Tim.* 3. « Prætermissis presbyteris mox post Episcopi descri-
„ ptionem subjungit de diaconibus. Dat intelligi quia nomine *Episcopi*
„ & pontificem designavit & presbyterum : atque omnia quæ de epis-
„ copo dixit, de presbytero secundario sunt observanda. Nam & pres-
„ byter est episcopus, id est superintendens Ecclesiæ quam regit; sed
„ ille est major Episcopus, iste minor.

Hugo Victorinus.

Lib. 2. *de sacramentis, parte* 2. *cap.* 12. « Ordo presbyterorum, in-
„ quit, . . . in veteri testamento a filiis Aaron sumpsit initium : nam
„ qui tunc *sacerdotes* vocabantur, hi sunt qui nunc appellantur *presby-*
„ *teri* : & qui tunc dicebantur *principes sacerdotum*, nunc *Episcopi* no-
„ minantur . . . . . Distat autem hoc tantum inter pontifices & hujus
„ temporis sacerdotes, quod solis pontificibus addita est clericorum Or-
„ dinatio, ... sacri chrismatis consecratio &c. Presbyteri successores
„ & vicarii sunt septuaginta discipulorum, qui præcedebant Dominum
„ Jesum . . . . Ita quippe presbyteri adjutores sunt episcoporum; . . . .

„ Epis-

„ Episcopi vero sunt successores Apostolorum, qui ex necessitate adjutorium sibi expetunt sacerdotum : sicut Moyses in eremo septuaginta viros elegit prudentes &c. .... sive inferioris, sive superioris sint Ordinis sacerdotes, id est sive presbyteri, sive Episcopi vicem gerunt " &c.

Probatio IV. ex omnium scholarum consensione.

Cum Theologia nostra eodem, in quo desiimus XII. sæculo nata sit, nullum esse dubium potest quin scholæ eam, quam a majoribus acceperant, doctrinam tradiderint. Quapropter ut traditionis series innotescat, superest ut in earum sententiam inquiramus.

Omnes porro scholæ constanter professæ sunt episcopos in Ecclesia semper extitisse, eosque presbyteris superiores, quidquid tandem de episcopatus natura senserint.

Tres enim ea de re Theologorum esse opiniones *supra* monuimus : primam quæ asserit episcopatum esse peculiarem Ordinem ac distinctum sacramentum; secundam quæ id plane negat; tertiam quæ rem ita temperat, ut episcopatus non imprimat quidem novum characterem, sed priorem tamen extendat ad nova quædam officia quæ presbyteris competere non possint.

Juxta primam ac tertiam, Episcopi sunt jure divino presbyteris superiores.

At paulo difficilius apparet quomodo ista superioritas consistere possit cum secunda opinione quæ apud veteres tamen vulgatissima fuit, utpote quam amplectantur aut amplecti videantur Hugo Victorinus *supra*; Petrus Lombardus *in* 4. *dist.* 24. *litt. L.* Halensis *parte* 4. *summæ*, *quæst.* 20. *membro* 8. *art.* 1. S. Thomas *in* 4. *dist.* 24. Bonaventura & Richardus *ibid.* nec non & alii plures.

Attamen revera hæc opinio cum Episcoporum ab omni ævo excellentia optime cohæret. Quamvis enim illi Theologi definiant episcopatum non esse Ordinem majorem presbyteratu, quia nempe omnis Ordo refertur ad Eucharistiam, & nulla major hac in parte cogitari potest facultas quam ea qua Eucharistia consecratur, quæque presbyteris inest ; nihilominus addunt episcopatum esse aliquid sacramentale, & episcopali consecratione dari officium majus, excelsioremque dignitatem, & auctoritatem superiorem : de quo imprimis consule Petrum Lombardum, S. Thomam & Bonaventuram *supra*, atque, si compendio studes, Morinum (certe non suspectum) *exercit.* 3. *capit.* 1. *num.* 5. 6. & *sequentibus*.

Pro-

Probatio V. ex utriusque Ecclesiæ doctrina ac judicio.

Eandem quæ nostra est, utriusque Ecclesiæ mentem semper extitisse ex quatuor capitibus constat.

Ac 1. quidem ex concordibus omnium, qui in utraque Ecclesia floruerunt, scriptorum quos attulimus, testimoniis.

Secundo ex eo quod Aerius cum presbyteros esse Episcopis pares docere ausus esset; cum apud Græcos, tum apud Latinos, pro hæretico habitus sit.

Tertio ex antiquissimis earumdem gentium ritualibus libris, qui non solum Episcopos inter & presbyteros distinctionem astruunt, sed etiam utriusque Ordinis distinctionem hanc, & superiorem Episcoporum dignitatem, auctoritatemque ipsi Christo Domino attribuunt. De Latinis Martenium vide varios codices referentem *pag.* 329. 365. 375. 391. 392. 396. 402. 430. 436. 448. 454. 467. & 493. de Orientalibus vero *ibid. pag.* 548. 550. *&c.*

Quarto ex iis, quas utraque Ecclesia edidit, cum se dedit occasio, fidei formulis:

Sic non ita pridem cum de Eucharistia Catholicos inter & Calvinianos tanta contentione disputaretur, interrogati sunt super hoc aliisque fidei suæ capitibus Orientales. Quod autem ad Episcopos pertinet, eos a presbyteris esse distinctos & semper fuisse, idque jure divino; eosdem ecclesiis esse necessarios; eos denique solos ordinandi potestatem habere unanimi consensu confessi sunt. Adi *tom.* 3. *Perpet. Fidei*, *pag.* 570. 573. 577. 578. 581. 583. 627. 639. 640. 642. 643. 644. 717. 732. 747. 761. 772. 781.

Idem vero aperte tradidit synodus Tridentina.

Primo enim *sess.* 23. *cap.* 3. sacram Ordinationem generatim esse sacramentum a Christo institutum pronunciat.

Secundo sub hoc sacræ Ordinationis genere tres speciatim Ordines recenset *cap.* 4. Episcoporum, presbyterorum, diaconorum, ex quibus ecclesiastica hierarchia coalescat.

Tertio *ibidem* docet Episcopos 1. Apostolis successisse: 2. positos esse a Spiritu-sancto regere Ecclesiam Dei: 3. ad hanc hierarchiam præcipue pertinere: 4. presbyteris esse superiores: 5. habere ordinandi & confirmandi potestatem, quæ presbyteris non competat.

Quarto eadem synodus *can.* 6. sic decernit: " Si quis, inquit, dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris & ministris: anathema sit.

Canone autem 7. " Si quis, inquit, dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinan-

„ nandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem ;
„ . . . . anathema sit.

Ibi sane non solum distinctio & eminentia Episcoporum asseritur ; sed etiam utraque evidenter, nostro quidem judicio, ad jus divinum refertur : nam episcopatus quatenus a presbyteratu distinguitur eoque superior est, 1. ut quædam Ordinationis illius, quæ sacramentum est, species recensetur : quælibet autem species propriam generis sui naturam ac rationem participat : at sacramentum divini est instituti ; Ergo. 2. Hierarchia dicitur esse divina Ordinatione constituta, & ad hanc hierarchiam præcipue pertinere Episcopi pronunciantur. 3. Iidem affirmantur Apostolis a Christo electis successisse, & a Spiritu-sancto in Ecclesia esse positi. 4. Tandem duplex illa potestas ordinandi ac confirmandi non ita propria esset Episcopis, quin presbyteris quoque ex Ordinis sui natura ac conditione competere posset, nisi Christus utrumque Ordinem diremisset. Si enim idem est gradus jure divino, eadem utriusque potestas est divino eodem jure attribuenda.

Probatio ultima ex ratione.

Ad hoc insuper demonstrandum gemina ratio potest adduci.

Prima est, eaque invicta, quod fieri non potuerit in Ecclesiæ regimine ea mutatio, quam Calviniani admittunt. Qui enim, quæso, id fieri potuit? an fortuito casu; an unanimi consensu omnium presbyterorum; an eis contra repugnantibus? Non primum : quis enim sibi persuadeat casu factum esse, ut omnes Ecclesiæ medio secundo sæculo Ordinem sibi ab Apostolis traditum immutarent? Non secundum : incredibile enim & supra omnem fidem est, cunctos in toto orbe presbyteros in id statim consensisse, ut gradu moverentur? An enim nullis cordi fuit tradita a Christo & Apostolis disciplina? An nullum tetigit proprii Ordinis honor & gloria? Itane vero omnes jugum illico accepissent? Non ergo sane in illud consenserunt. At neque id fieri potuit ipsis repugnantibus. Quot enim inde contentiones essent obortæ? quot certamina? quot synodi? At de his nullum est apud veteres vestigium.

Secunda est, quod innumeri scriptores, ut ex dictis satis constat, primorum illorum temporum formam nobis descripserint. Tantum autem abest ut Episcopos singulares ad secundum sæculum retrahant, ut contra eandem fuisse circa hoc ubique ac semper in Ecclesia consuetudinem diserte perhibeant. Ergo.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Qui in Scripturis *presbyteri* dicuntur, iidem passim vocantur etiam *Episcopi*, aut vice versa : nomina enim ista omnibus Eccle-

Ecclesiæ rectoribus promiscue videntur fuisse attributa . Ergo nullum inter eos discrimen tum temporis extabat.

NEGARI potest antecedens, & consequentia.

1. Quia id olim objecit Ecclesiæ Aerius , quod non impediit quominus a cunctis ut hæreticus explosus fuerit.

2. Quia juxta Epiphanii , & Theodoreti sententiam , nomina hæc reipsa promiscua non fuerunt : quod defendi potest , ut *supra* monuimus.

3. Quia , etsi concedamus fuisse communia , nihil inde elici potest. An non enim eodem communi nomine appellari possunt personæ alias discrepantes ? An non ostendimus nomen *Episcopi* tributum olim fuisse non tantum Apostolis , sed etiam ipsi Christo? Nonne idem Christus *Apostolus* quoque dictus est , imo *minister* ac *diaconus* . Quid ergo ? an idcirco non alterius ordinis erit Christus quam Apostoli , aut episcopi , aut diaconi vulgares ? An Apostoli reliquis non erunt superiores ? Nempe nomine communi designatur, quod ipsis commune est, officium ; sed non continuo negatur peculiaris , quæ iisdem inest, differentia. Et vero innumeri Scripturarum interpretes hanc nominum confusionem admiserunt ; nullus episcoporum & presbyterorum æqualitatem : quod argumento est hanc ex illa necessario non sequi. Imo, ut notavimus, idcirco hanc nominum confusionem admiserunt , ut rerum ipsarum distinctionem illibatam conservarent.

OBJICIES 2. Si in singulis ecclesiis singulares extitissent episcopi cum auctoritate , ipsorum nomina referrent epistolæ ad alias ecclesias missæ . Atqui nomina eorum non præ se ferunt . Sic epistola , quæ Clementi Romano tribuitur , non ipsius nomine , sed ecclesiæ Romanæ inscribitur : sic namque titulus habet : " Ecclesia Dei quæ incolit Romam ; Ecclesiæ Dei quæ incolit Corinthum . " Sic & apud Eusebium " Ecclesiæ Viennensis ac Lugdunensis scribunt Ecclesiis Asiæ " Ergo

NEGO majorem : quia videlicet justo plus probat : si enim ex eo quod epistolæ illæ nomina Episcoporum præ se non ferant, inde colligitur nullos fuisse Episcopos , colligi quoque poterit nullos in iisdem ecclesiis fuisse presbyteros , nullum Ordinem ; quia nec ulli presbyteri appellantur , nec ullus commemoratur Ordo. Atqui hoc absurdum esse ipsimet Adversarii confiteantur . Ergo nec primum illinc elici potest. Et vero Blondellus ipse non negat fuisse tum in ecclesiis episcopos singulares , cum litteras suas scribebant Lugdunenses ac Viennenses , nempe longe post medium sæculum secundum . Ergo ex his exemplis , quæ aliunde rarissima sunt, nihil potest erui.

OBJICIES 3. Plerique veteres clerum " in duos duntaxat Ordines distribuunt , præpositos scilicet seu presbyteros aut sacerdotes , & diaconos.

Po-

Polycarpus *epist. ad Philipp.* " Subjecti, inquit, estote presbyteris & „ diaconis sicut & Deo & Christo.

Justinus *apologia* 1. " Postquam, inquit, præpositus gratias egit, . . . „ qui inter nos diaconi vocantur &c.

Clemens Alexandrinus *lib. 7. Stromatum*, " Eam, inquit, quæ melio- „ res facit, in ecclesia imaginem servant presbyteri, ministratoriam dia- „ coni. Ambobus his ministeriis &c.

Cyprianus *epist.* 62. " Cum, inquit, omnes omnino disciplinam „ tenere oporteat, multo magis præpositos, & diaconos curare hoc „ fas est.

Hilarius *in psalm.* 134. ad hæc verba, *Domus Aaron benedicite Dominum, domus Levi benedicite Dominum:* " In his, inquit, nomi- „ num atque officiorum distinctionibus omnem ecclesiæ populum com- „ plexus est, ... in Aaron sacerdotes, ... in Levi autem mi- „ nistros.

Ita quoque Pelagius *in Commentariis ad cap.* 12. *epist. ad Rom.* Salvianus *lib.* 1. *de Ecclesia*; Primasius *in* 1. *Cor. cap.* 11. *v.* 10. Gildas, & alii. Ergo nullus erat Ordo Episcoporum superior.

DISTINGUO antecedens: clerum distribuunt in duos Ordines, quorum uterque in plures sibi subjectos iterum dividatur; concedo: qui non dividantur; nego.

Itaque cum Ordines enumerant antiqui, non una ratione id faciunt.

1. enim unicum Ordinem aliquando constituunt, in quem omnes ecclesiæ ministros includunt. Sic Tertullianus *in libro de exhortatione castitatis, cap.* 7. Clericos opponens plebi, " Differentiam, in- „ quit, inter Ordinem, & plebem constituit ecclesiæ auctoritas, " &c.

2. Plerumque iidem clerum in ordines duos distribuunt, ut *supra* dictum est, pro vario nempe ad Eucharistiam aut ecclesiæ administrationem respectu.

3. Sæpissime tres recensent, episcoporum, presbyterorum, & diaconorum seu ministrorum, ut liquet ex pluribus hactenus allatis exemplis.

4. Quandoque hos ministros explicatius enumerant, & in varios Ordines partiuntur, diaconorum scilicet, subdiaconorum, acolythorum &c.

Hæc autem secum invicem non pugnant, sed optime cohærent: unus enim Cleri Ordo statuitur, si cum plebe comparetur; eo enim sensu in unum quoddam corpus coalescunt omnes clerici, a laicis sejunctum. Cum autem duo statuuntur, tunc Clerici ipsi secum invicem conferuntur penes Eucharistiam aut ecclesiæ administrationem. Tunc porro duo sunt eorum genera: alii enim Eucharistiam conficiunt; alii conficientibus serviunt. In Eucharistia autem conficienda episco-

episcopi ac presbyteri inferiores non distinguuntur ; ... est enim sacerdotium utrisque commune . Non mirum ergo si tunc hoc communi nomine comprehendantur , quatenus nempe diaconis opponuntur . Sic & de Ecclesiæ regimine , quod proprie penes episcopos & presbyteros erat , quorum etiam hac in parte administri erant diaconi. At si sacerdotes ipsi secum invicem componantur, tunc duplex sacerdotum Ordo secernitur, summorum scilicet & inferiorum, pro diversa nimirum dignitate & auctoritate ; quemadmodum si ministri sacerdotum secum invicem comparentur, tunc illorum Ordo in varios gradus distribuitur, diaconorum, subdiaconorum, &c.

Itaque pro varia consideratione & unus Ordo clericorum potest statui ; &. duo , & tres , & quatuor , & septem possunt recenseri , & reipsa recensiti sunt . Neque vero unum alteri repugnat ; sed omnia hæc vera sunt simul . Sic apud Judæos Philo duos duntaxat tabernaculi ministrorum Ordines aliquando statuit , verbi gratia *de vita Mosis lib.* 3. *pag.* 473. " Templi ministrorum , inquit , duo sunt Ordines ; „ superior unus sacerdotum , inferior alter levitarum . " Quid expressius ? Ergone propterea negat fuisse aliquem inter sacerdotes principem, qui omnibus dignitate , & auctoritate antecelleret? Nequaquam : imo ipsemet alibi duos sacerdotum Ordines constituit , & sacerdotes vulgares in secundo collocat, aiens summo quidem pontifici uxorem nisi virginem ducere non licuisse, id autem licuisse sacerdotibus, qui in secundo Ordine constituti essent.

Uno verbo cum clerus tribuitur in duos duntaxat Ordines , sacerdotum nempe seu presbyterorum aut præpositorum ex una parte , ex altera vero diaconorum , tunc episcopi & presbyteri spectantur penes eam dignitatem ac potestatem , quæ ipsis ita communis est , ut eos tamen a ministris segreget , qualis est sacrificandi aut regendæ plebis facultas , quod non obstat quominus iidem penes aliam potestatem , ordinandi nimirum ac confirmandi , a sese mutuo distinguantur . Et sane illi ipsi veteres , qui allegantur , etsi alicubi duos tantum Cleri Ordines assignent , alibi tamen , imo & iis ipsis aliquando in locis quæ proferuntur , tres conceptis verbis Ordines etiam enumerant . At sibi sane non contradicunt . Ergo omnia hæc simul possunt consistere.

Denique qui adducti sunt *supra* scriptores , & adduci possunt , longe post medium secundum sæculum floruerunt , imo nonnulli sæculo sexto , septimo &c. Atqui tum procul dubio Episcopi a presbyteris distinguebantur. Ergo hæc cleri in duos Ordines distributio non arguit duos extitisse tantum ecclesiæ ministrorum gradus.

INSTABIS 1. Episcopus & presbyteri simul ecclesiam regebant. Vide *epistolam cleri Romani inter Cyprianicas* 32. Cyprianum ipsum , *epist.* 5. 18. *&c.*

DISTINGUO antecedens : ecclesiam regebant communi consilio ; sed diver-

diversa auctoritate; concedo: communi aut potius eadem auctoritate; nego. Itaque beatis illis temporibus, etsi præcipua semper auctoritate polleret episcopus, ea tamen non ita passim utebatur, sed communicato cum presbyteris, imo & diaconis, & plebe universa consilio, omnia ecclesiæ negotia tractabat. Ita v. g. Cyprianus *epist.* 5. ad diaconos, & presbyteros, " Ad id vero, inquit, quod scripserunt mihi compresbyte„ ri nostri Donatus & Fortunatus, ... solus rescribere nihil potui: „ quando a primordio episcopatus mei statuerim nihil sine consilio ve„ stro & sine consensu plebis, mea privatim sententia gerere. " Adde *epist.* 3. 4. 7. 9. 12. 13. 14. *&c.* An vero idcirco nulla admittetur diaconos inter & presbyteros differentia? An eadem esse putabitur plebi quæ cleri auctoritas?

Instabis 2. Qui Apostolis successerunt in ecclesiæ administratione, ii omnes frequenter apud veteres *presbyteri* vocantur.

Clemens Romanus *epist.* 1. *ad Corinth. num.* 1. " Non leve, inquit, „ peccatum nostrum fuerit, si eos, qui inculpate sancteque dona ob„ tulerint, episcopatu dejecerimus. Beati prius emensi viam presbyte„ ri &c.

Papias *apud Eusebium supra*, " Quæcunque, inquit, aliquando a se„ nioribus, πρεσβυτέροις, recte didici & memoriæ mandavi, tibi con„ texere non gravabor . . . . . . Si quando quis venisset qui seniores „ (πρεσβυτέρους ἀποστόλους) frequentasset, seniorum considerabam ser„ mones, quid Andreas . . . . quid etiam Aristion, & senior Joannes „ (Ephesiorum antistes) Domini discipuli loquebantur.

Irenæus *lib.* 3. *cap.* 2. " Ad eam, inquit, traditionem, quæ est „ ab Apostolis, quæ per successionem presbyterorum in Ecclesia cu„ stoditur, provocamus. " Idem *epist. ad Victorem papam*, " Qui „ ante Soterem, inquit, Ecclesiæ, cui nunc præes, præpositi fuere „ presbyteri, Anicetum dicimus, & Pium " &c. Sic ille de ipsis Romanæ urbis Episcopis. Ergo primarii ecclesiarum rectores presbyteri erant.

Distinguo antecedens: frequenter presbyteri vocantur, idest ætate seniores; concedo: presbyteri Ordine: subdistinguo presbyteri vocantur communi nomine, quo proprium non excluderetur; nego. Non inficiamur ergo primarios etiam ecclesiarum antistites *presbyteros* esse dictos; sed plerumque ævum spectatur, non Ordo. Sic Papias *supra* ad faciendam dictis suis fidem, seniores, hoc est antiquiores, appellat, qua ratione nos sæpe veterum testimoniis sententiam nostram firmamus. Si autem alias spectetur Ordo, quid mirum si omnes ecclesiæ rectores dicerentur *presbyteri* communi nomine, cum omnes revera Presbyteri essent? Sed illud est observatione dignissimum, primi quidem Ordinis antistites aliquando *presbyteros* nominari, quia revera Presbyteri erant, sed secundi Ordinis Pastores nunquam Episcopos nuncupari, quia vice versa Episcopi non erant: quod arguit singula-

rem

rem illis etiam vetustissimis temporibus Episcoporum dignitatem, quæ exsors plane esset, nec vulgaribus Presbyteris competeret. Unde nedum hinc evertatur Episcoporum eminentia, eo contra illustratur. Cur enim quæso *Episcopi* nomen eis solis proprium fuit, qui supra omnes eminerent, non autem omnibus Presbyteris commune?, nisi quia illi præ reliquis eximiam cum auctoritatem tum dignitatem habebant.

Instabis 3. Imo *Episcopi* nomen dabatur olim omnibus Ecclesiæ ministris qui supra diaconos essent: Clemens enim Romanus *supra*, *num.* 42. bipartito clerum omnem dividit, in episcopos nimirum & diaconos: sic quippe habet: " Apostoli .... prædicantes .... per re-
" giones & urbes, ... episcopos & diaconos constituerunt: neque
" hoc nove; a multis enim temporibus de Episcopis & diaconis scrip-
" tum fuerat. Sic enim alicubi dicit Scriptura: *Constituam Episcopos eorum in justitia & diaconos eorum in fide.* " Ergo omnes Ecclesiæ ministri erant aut Episcopi, aut diaconi: atque adeo omnes presbyteri *Episcoporum* nomine donabantur.

Respondeo 1. nihil esse absurdi, si dicamus, juxta Chrysostomi de Scripturis opinionem, Clementem Apostolos imitatum promiscue de duobus Ordinibus usurpasse *Episcoporum* nomen; sed non idcirco hos Ordines non distinxisse, ut jam monuimus. Longe enim satius foret existimare hoc nomen, etiam post Apostolos, aliquandiu fuisse commune, quam utrumque Ordinem confundere.

Respondeo 2. juxta Epiphanii sententiam, posse dici initio omnes ecclesias non habuisse tres simul Ordines, sed fuisse alias quæ episcopos solos & diaconos, alias quæ solos presbyteros cum diaconis habuerint; ad priores autem solummodo Clementem respexisse.

Respondeo 3. unum esse Clementem apud quem ejusmodi locutio reperiatur.

Respondeo 4. Distinguo propositionem: Clerum bipartito dividit in Episcopos & diaconos, omissis peculiari de causa, non exclusis nec comprehensis presbyteris; concedo: secus; nego. Joannes quidem Cotelerius ad hunc locum, & Petavius *lib.* 4. *hierarchiæ*, *cap.* 12. contendunt illic non distingui varios cleri Ordines, sed generatim omnes & eosdem Ecclesiæ præpositos hoc utroque nomine designari. Nomina itaque *Episcopi & diaconi* non esse ibi certorum ac distinctorum Ordinum propria, sed eorumdem simul appellativa, quia nempe juxta Scripturarum consuetudinem & nominum originem Ecclesiæ rectores possunt iidem dici, & Episcopi quia sunt inspectores, & diaconi quia Dei & Ecclesiæ sunt ministri. Atque hoc sane propugnari potest. At si pertinaciter contra obnitaris & velis hic duos Ordines recenseri, id potest profecto concedi, ita tamen ut omissi fuerint presbyteri, non exclusi, neque hoc *Episcoporum* nomine comprehensi. Cur autem omiserit Clemens, id ex ipsius scopo repetendum est. Nimirum eo loci ostendere vole-

volebat non leve esse eorum scelus, qui præpositis suis non obedirent. Id autem probat, quia nempe illi a Deo præpositi essent: itaque qui eis resistit, Dei ordinationi resistere: a Deo autem constitutos demonstrat Isaiæ prophetia, qui ait, *Constituam episcopos eorum in justitia &c.* Cum ergo eo respiceret Clemens, & in prophetæ istius oraculo Episcopi tantum & diaconi occurrerent, eos quoque solos ipse appellavit. Cæterum alibi in eadem epistola tres Ordines diserte distinxit.

INSTABIS 4. Ignatius *epist. ad Magnes.* de Episcopis qui presbyterorum collegio præessent loquens, id *novellam Ordinationem* nominat, νωτερικὴ τάξις. Ergo non ita pridem Episcopi a presbyteris distingui cœperant.

RESPONDEO 1. hoc etiam everti Blondelli figmentum. Cum enim Ignatius anno 107. martyrium fecerit, inde saltem consequeretur jam sub finem primi sæculi illud invaluisse.

RESPONDEO 2. ibi non de episcopatu dici, quod sit *novella institutio*, sed de episcopo Dama, quod juvenis esset ordinatus; & Magnesianos moneri ne episcopum suum contemnerent propter juvenilem ætatem. En verba juxta antiquum interpretem: " Sed & vos decet non " couti ætate Episcopi, sed secundum virtutem Dei patris reverentiam " ei tribuere, sicut cognovi & sanctos presbyteros, non assumentes " (non reputantes) apparentem juniorem Ordinem, sed ut prudentes " in Deo concedentes ipsi. " Juxta recentiorem vero: " Non pro" pter juventutem, quæ in eo videtur, arbitrantes eum contemnen" dum.

INSTABIS 5. Presbyteratus dicitur esse honor omnium maximus. Sic enim Eusebius *lib. 6. cap.* 14. de Origene disserens, " Theoctistus Cæ" sareæ, & Alexander Hierosolymorum episcopi, ... cum supremo " honore dignum Origenem probavissent, ei manus, ut presbyterio " fungeretur, imposuerunt. " Ergo nihil erat tunc temporis supra presbyteratum.

DISTINGUO consequens: nihil erat supra presbyteratum dignitate; concedo: auctoritate; nego. Itaque reipsa nulla excellentior est potestas ea qua conficitur ipsum Christi corpus, quæque presbyteratu confertur. Neque vero episcopatus, quatenus seorsim ac per se sumitur; presbyteratum dignitate superat, sed auctoritate: quod non impedit quominus ipsi Episcopi sint presbyteris superiores.

INSTABIS 6. Presbyteri episcopos *collegas suos* vocant: Ita enim loquuntur presbyteri Romani in historia Marcionis. Ergo dignitates pares erant.

DISTINGUO antecedens: collegas majores; concedo: pares; nego. In eo collegæ erant Episcoporum illi presbyteri vacante sede Ecclesiam administrantes, quod Ecclesiæ præpositi forent, sicut & Episcopi; sed in eo non erant pares. Et vero sic loquuntur Romani presbyteri, cum jam fatente Blondello episcopi supra presbyteros evecti fuerant.

Attamen vulgari in more positum fuit ut Episcopi *collegas* non appellarent, nisi qui ex eodem Ordine essent; quod liquet ex Cypriani epistolis: quamvis presbyteros modestiæ causa *compresbyteros* appellarent; quod notat Chrysostomus.

INSTABIS 7. Cum de majoribus Ordinibus sermo fit, passim quidem episcopi dicuntur Apostolorum esse successores; sed aliquando tamen, imo non infrequenter, presbyteri etiam dicuntur Apostolis successisse eorumque formam referre, v. g. apud Ignatium. Ergo nullum inter eos est discrimen.

NEGO consequentiam: nam & idem de diaconis *supra* legitur, & de omnibus Ecclesiæ ministris id certa quadam ratione, licet non ita proprie, potest affirmari. Sed animadvertendum est, cum Ordines sacri recensentur, & presbyteri asseruntur formam Apostolorum referre, tunc Episcopos vulgo dici locum ipsius Dei aut Christi tenere: quo magis adhuc eorum eminentia astruitur.

OBJICIES 4. Ambrosiaster *in cap. 4. ad Ephesios*, post verba a nobis *supra* allata, " Ut cresceret plebs, inquit, & multiplicaretur, omnibus inter initia concessum est, & evangelizare, & baptizare, & Scripturas in Ecclesia explanare: at ubi omnia loca circumplexa est Ecclesia, . . . officia sunt ordinata, ut nullus de clero auderet, qui ordinatus non esset, præsumere officium, quod sciret non sibi creditum vel concessum . . . . Hinc ergo est unde nunc neque diaconi in populo prædicant &c. . . . . Ideo non per omnia conveniunt scripta Apostoli ordinationi quæ nunc in Ecclesia est, quia hæc inter ipsa primordia sunt scripta. Nam & Timotheum *presbyterum* a se creàtum episcopum vocat, quia primum *presbyteri* Episcopi appellabantur, ut recedente uno sequens ei succederet. Denique apud Ægyptum presbyteri consignant, si præsens non sit Episcopus. Sed quia cœperunt sequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata est ratio, prospiciente Concilio, ut non Ordo sed meritum crearet Episcopum, multorum sacerdotum judicio constitutum, ne indignus temere usurparet, & esset multis scandalum &c.

In caput autem 3. *epist.* 1. *ad Timoth.* " Post episcopum, inquit, diaconi Ordinationem subjicit. Quare? nisi quia Episcopi & presbyteri una Ordinatio est: uterque enim sacerdos est: sed Episcopus primus est, ut omnis episcopus presbyter sit, non omnis presbyter episcopus: hic enim episcopus est qui inter presbyteros primus est. Denique Timotheum presbyterum ordinatum significat: sed quia ante se alium non habebat, episcopus erat. Unde & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit: neque enim fas erat aut licebat, ut inferior ordinaret majorem: nemo enim tribuit, quod non accepit.

Ex his sic arguit Blondellus. Juxta hunc antiquissimum scriptorem episcopi & presbyteri una Ordinatio est: ergo Episcopi ex Ordinis sui natura non sunt presbyteris superiores.

RES-

Respondeo 1. hunc auctorem, ut ignoti nominis & incertæ ætatis, sic exiguæ admodum auctoritatis esse: imo forte hæreticum esse, & Blondelli judicio fuisse schismaticum: atque adeo ille aut cum cæteris consentit, aut cum ipsis pugnat: si consentit, totus noster est; sin minus, est abjiciendus.

Respondeo 2. Distinguo antecedens: Episcopi & presbyteri una Ordinatio est in sacerdotium; concedo: omni ex parte; nego. Sic quippe statim subdit: " Uterque enim sacerdos est: sed Episcopus primus est, ut omnis Episcopus presbyter sit, non omnis presbyter Episcopus. " Porro juxta eundem primus ille presbyter non fortuito casu & antiquioris morte fiebat Episcopus, sed creatione peculiari: neque nomine tantum ab aliis presbyteris distinguebatur, sed dignitate & auctoritate, quod nuper ex ipsius verbis ostendimus. Sed & hoc in loco idem significatur. De Timotheo enim sic habet: " Timotheum a se creatum episcopum nomine *presbyteri* donat: " *&* *præterea*, " Quemadmodum, inquit, episcopum ordinet, ostendit: neque enim fas erat aut licebat ut inferior ordinaret majorem: nemo enim tribuit quod non accepit "Ergo fiebant Ordinatione episcopi, & fiebant ab Episcopis solis hanc facultatem habentibus, eamque cum solis Episcopis communicantibus: sic Episcopi qui ordinabant alios Episcopos, id tribuebant, quod ipsimet antea acceperant, eoque majores presbyteris erant: quippe qui, utpote inferioris gradus, Episcopos ordinare non possent.

Instabis 1. Contra Ambrosiaster indicat Ordinationis antiquitati delatum esse primatum Episcopatus. Sic enim *ibid.* " Primum, inquit, *presbyteri* Episcopi appellabantur, ut recedente uno sequens ei succederet. " Ergo.

Respondeo 1. si ita sentiret ille scriptor, ipsum non tantum cum Scripturis & omnibus aliis doctoribus, sed etiam secum pugnaturum. Quid enim? an non Mathias in locum Judæ proditoris subrogatus est electionis via? nonne eadem ad sacrum ministerium assumpti sunt septem diaconi? an non Apostolus Timotheum adhuc adolescentem episcopum creavit? an non Jacobo communibus omnium suffragiis successisse dicitur Simeon in sede Hierosolymitana? Quid hic Clementem Romanum commemorem ab Apostolis ordinatum, & qui ipse ait ab Apostolis constitutos fuisse Episcopos quos ipsi probassent? Taceo Damam juvenem Magnesianorum episcopum. An non ipse Ambrosiaster asserit Timotheum ab Apostolo fuisse creatum episcopum, & Episcopos ab Episcopis solis ordinari consuevisse? Ordinabantur ergo & creabantur ipsi ab aliis, non vero pér aliorum obitum casu fortuito & ipso, ut ita dicam, facto Episcopi evadebant.

Respondeo 2. Distinguo propositionem: recedente uno sequens succedebat, id est, alter ex eodem ordine, sed non citra novam Ordinationem; concedo: antiquissimus necessario, & citra novam Ordina-

tionem; nego. Non ergo Ambrosiaster ait, cum Episcopus mortem oppeteret, ei necessario jure successisse, & citra ullam electionem aut novam consecrationem, qui forte ei antiquitate proximus in clero reperiebatur, sed decedente eo presbytero, qui episcopus factus ipse fuerat electionis via, & novæ inaugurationis beneficio, ei successisse sequentem, hoc est, alium ex eodem collegio, & ab eodem electum: quomodo si dicat aliquis legem hanc esse, ut non nisi cardinales eligi possint in summos Pontifices, atque adeo uno mortuo eligi sequentem, id est, quempiam alium. Nempe is scriptor respexit ad peculiarem Ecclesiæ Alexandrinæ consuetudinem, in qua, ut mox videbimus, nefas erat olim episcopum ex alio, quam presbyterorum Ordine assumere: aut eundem ubique morem principio religionis christianæ viguisse existimavit.

Respondeo 3. etiam si ille falso sibi persuasisset antiquiores presbyteros Episcopis mortuis certa lege ac consuetudine semper successisse, non tamen adversaturum ipsum nobis, modo non negaverit postea accessisse & accedere debuisse consecrationem & Ordinationem peculiarem qua episcopi dignitatem ac propriam potestatem acquireret. At istud certe non negavit: imo contra diserte affirmavit. Quapropter in historia forte, sed non in ipso dogmate lapsus fuerit.

Instabis 2. At ille scriptor addit immutatam esse postmodum rationem, "Ut jam non Ordo, sed meritum crearet episcopum, multo-„ rum sacerdotum judicio constitutum." Ergo.

Distinguo antecedens: ut jam non Ordo presbyteratus; concedo: Ordo antiquitatis; nego. Is quidem docet mutationem postmodum contigisse: sed in quo posita illa mutatio erat? in eo videlicet, quod, cum antea ex solis presbyteris & ab iis solis eligerentur Episcopi, ut credidit Ambrosiaster, postea invaluerit, ut non Ordo iste faceret episcopum, sed meritum, hoc est, deinceps ex quocunque gradu etiam diaconorum &c. si meritum insigne foret, cooptari possent, & ut non soli exinde presbyteri suffragia ferrent, sed etiam vicini Episcopi, qui *sacerdotes* hic vocantur. Forte etiam in eo collocavit auctor ille hanc mutationem, quod citra ullam electionem antiquior presbyter olim episcopus semper fieret, non item postea. Quidquid sit, utroque hoc tempore Ordinationem Episcoporum peculiarem agnovit. Itaque ista mutatio, quandocunque explicetur, ad solam pertinuit electionem.

Instabis 3. At juxta hunc scriptorem Timotheus ideo episcopus erat, quia primus presbyter erat & alterum ante se non habebat. Ergo cum fato fungebatur episcopus, hoc ipso episcopus esse censebatur qui inter presbyteros antiquissimus forte occurrebat, & quidem citra novam consecrationem.

Nego consequentiam. Is enim scriptor ait Timotheum quidem fuisse episcopum, quia alios presbyteros ante se non habebat; sed non ait, ob id præcise, quasi nihil intervenisset, quo a presbyteris dignitate & aucto-

auctoritate distingueretur. Nempe juxta Ambrosiastrum omnes Ecclesiæ rectores *presbyteri* tunc nuncupabantur. Cum ergo inter eos Episcopus emineret, is primus presbyter erat, & ideo episcopus erat, quia ante se presbyterum nullum habebat: sed jam eo redit quæstio, qua ratione fieret primus presbyter; an fortuito casu & antiquioris obitu præcise, ita ut nulla episcopi consecratio aut Ordinatio intercederet; an contra: nos vero hoc postremum ex ipsius Ambrosiastri verbis elicimus.

INSTABIS 4. Absente Episcopo presbyteri baptizatos consignabant in Ægypto, eo etiam tempore quo scribebat ille auctor. Ergo.

DISTINGUO antecedens: ex concessione Ecclesiæ; concedo: ordinaria potestate; nego. Id tantum probat presbyteros esse posse extra ordinem Confirmationis ministros, talesque in Ægypto tunc extitisse, quomodo etiamnum apud Græcos: quod non negamus, nec Episcoporum superioritatem evertit.

INSTABIS 5. Idem Ambrosiaster *ibidem* pronunciat initio non fuisse officia distributa, sed omnia omnibus licuisse; postea vero institutum esse, ut non usurparentur ab illis qui ad ea ordinati non essent. Ergo tunc nihil erat quo Episcopi a presbyteris distinguerentur.

RESPONDEO 1. inde etiam consequi presbyteros non fuisse a diaconis ipsisque adeo laicis distinctos, uno verbo nullum Ordinem in Ecclesia tunc extitisse, quod ipse Blondellus noluerit.

RESPONDEO 2. Distinguo antecedens: licebat omnibus quælibet officia exequi quæ per se ac necessario non requirunt altiorem Ordinem, cui addicta erant quo ævo & quibus in locis scribebat Ambrosiaster; concedo: omnia sine ullo discrimine; nego. Scilicet Ambrosiaster videbat ævo suo & in ecclesia sua aut provincia diaconos nec baptizare, nec evangelizare, nec Scripturas explanare: ista autem omnia videbat in Scriptura a diaconis facta: hoc ideo notat; de solis enim diaconis loquitur, cum ait omnia omnibus licuisse. Præterea vero officia baptizandi & docendi de quibus solis mentionem facit, supremo Ordini non per se & necessario affixa sunt, sed etiam diaconis competunt, imo privatim ab unoquoque exerceri possunt.

OBJICIES 5. Hieronymus hanc eandem Episcoporum a presbyteris distinctionem ac superioritatem ævo Apostolorum viguisse non credidit, ut ex pluribus ejus locis constat.

Epist. enim 82. alias 83. *ad Oceanum presbyterum*, " In utraque, in-
„ quit, epistola (ad Timotheum nempe & ad Titum) sive presbyte-
„ ri, sive Episcopi (quanquam apud veteres iidem Episcopi & presby-
„ teri fuerint, quia illud nomen dignitatis, hoc ætatis) jubentur mo-
„ nogami in clerum eligi.

Epist. 101. alias 85. *ad Evangelum* " Audio (1) quemdam, in-
„ quit, in tantam erupisse vecordiam, ut diaconos presbyteris, id est
„ Episcopis, anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat eosdem
„ esse presbyteros quos & Episcopos, quis patiatur mensarum, & vi-

„ duarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum pre-
„ ces corpus Christi sanguisque conficitur? Quæris auctoritatem? Au-
„ di testimonium. *Paulus & Timotheus* .... *omnibus sanctis in Chri-*
„ *sto Jesu qui sunt Philippis cum episcopis & diaconis.* Vis & aliud exem-
„ plum? .... Ad unius ecclesiæ sacerdotes ita Paulus loquitur ....
„ *In quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos*.... Ac ne quis conten-
„ tiose in una ecclesia plures episcopos fuisse contendat, audi & aliud
„ testimonium, in quo manifestissime comprobatur eundem esse episco-
„ pum atque presbyterum. *Propter hoc reliqui te in Creta, ut* ......
„ *constitueres presbyteros per civitates* .... *Si quis est sine crimine* ...
„ *Oportet enim episcopum sine crimine esse* ..... Quod autem postea unus
„ (2) electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium
„ factum est .... Nam & Alexandriæ (3) a Marco evangelista us-
„ que ad Heraclam, & Dionysium episcopos presbyteri semper unum
„ ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, *Episcopum* nomina-
„ bant: quomodo si exercitus imperatorem faciat; aut diaconi eligant
„ de se, quem industrium noverint, & archidiaconum vocent. Quid
„ enim facit (4) excepta Ordinatione episcopus, quod presbyter
„ non faciat? .... Diaconos (5) paucitas honorabiles, presbyteros
„ turba contemptibiles facit ... Presbyter & Episcopus, aliud ætatis,
„ aliud dignitatis est nomen. Unde & ad Titum, & ad Timotheum
„ de Ordinatione episcopi & diaconi dicitur, de presbyteris omnino re-
„ ticetur: quia in episcopo & presbyter continetur. Qui provehitur,
„ de minori ad majus provehitur. Aut igitur ex presbytero ordinetur
„ diaconus, ut presbyter minor diacono comprobetur, in quem cre-
„ scat ex parvo, aut si ex .... diacono ordinatur presbyter, nove-
„ rit se lucris minorem, sacerdotio esse mjaorem. Et ut sciamus
„ traditiones apostolicas sumptas de veteri testamento, quod Aaron,
„ & filii ejus, atque levitæ in templo fuerunt, hoc sibi episcopi, &
„ presbyteri, & diaconi vindicent in ecclesia.

In epist. autem *ad Titum*, " Diligenter, inquit, Apostoli verba
„ attendamus dicentis: *Ut constituas per civitates presbyteros* .... Qui,
„ qualis presbyter debeat ordinari, in consequentibus differens, hoc
„ ait .... *Oportet enim episcopum sine crimine esse* .... idem (1) est
„ ergo presbyter qui episcopus: & antequam (2) diaboli instinctu stu-
„ dia in religione fierent, & diceretur in populis, *Ego sum Pauli*,
„ *ego Apollo*, *ego autem Cephæ*, communi presbyterorum consilio ec-
„ clesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos quos baptiza-
„ verat suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est,
„ ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem om-
„ nis ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Pu-
„ tat (3) aliquis non Scripturarum, sed nostram esse sententiam, epi-
„ scopum & presbyterum unum esse; & aliud ætatis, aliud esse no-
„ men officii. Relegat (4) Apostoli ad Philippenses verba dicentis:

„ *Pau-*

„ *Paulus, & Timotheus . . . . . omnibus sanctis in Christo Jesu qui sunt* „ *Philippis, cum Episcopis & diaconis. . . .* Philippi una est urbs Macedoniæ. Et certe in una civitate plures, ut nuncupantur, episcopi esse non poterant; sed quia eosdem episcopos illo tempore quos „ & presbyteros appellabant; propterea indifferenter de episcopis quasi de presbyteris est locutus. . . . Hæc propterea, (5) ut ostenderemus apud veteres eosdem fuisse presbyteros, quos & episcopos, „ paulatim vero, ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum „ omnem sollicitudinem esse delatam. Sicut (6) ergo presbyteri sciunt „ se ex ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit esse subjectos; ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse majores, & in commune debere ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cum haberet solus „ præesse populo Israel, septuaginta elegit cum quibus populum judicaret. " Ex quibus ita arguit Blondellus. Juxta Hieronymum ævo Apostolorum iidem episcopi erant & presbyteri. Ergo immerito dicuntur semper fuisse distincti.

Respondeo varias esse theologorum de his Hieronymi locis opiniones.

Prima est Michaelis Medinæ, qui *lib. 1. de sacrorum hominum origine & eorum continentia, cap. 5.* existimat Hieronymum in Aerii errorem lapsum fuisse: quam labem non ipsi tantum sed etiam Ambrosio Chrysostomo, Augustino, Theodoreto, Primasio & Sedulio aspergit. Relatis enim eorum sententiis, " Atque ita, inquit, isti viri alioquin sanctissimi, & sanctarum Scripturarum consultissimi, quorum „ tamen sententiam prius in Aerio, deinde in Valdensibus, postremo „ Joanne Wiclefo damnavit Ecclesia. " Imo idem Medina eos irridet qui inter horum hæreticorum, & veterum illorum Patrum sententiam in hac parte ullum esse discrimen putant. Sed iniquum est hoc, falsumque, & homine catholico indignum de tot tantisque Patribus judicium; quod ex dictis jam manifestum est, & ex dicendis manifestius adhuc erit.

Secunda est Durandi *in 4. distinct. 24. quæst. 3.* Alphonsi a Castro *lib. adversus hæreses* verbo *Episcopus*; Dominici Soto *in 4. distinct. 24. quæst. 2. art. 1.* Vasquesii *disp. 140.* & aliorum, qui arbitrantur Hieronymum quidem admisisse magnum presbyteros inter & Episcopos discrimen, illudque optimis de causis institutum; sed tamen ipsum putasse id humano duntaxat jure fuisse inductum. In eo autem, inquiunt, lapsus est citra fidei dispendium, cum ita tunc liberum esset opinari; sed tamen ab Aerio longe discessit, cum Aerius non modo jus divinum negaret, sed etiam improbaret ecclesiasticum. Id quoque probabile esse judicat Sotus *in 4. dist. 5.*

Tertia est Cellotii *lib. 4. de hierarchia, cap. 15.* contendentis supra

allata Hieronymi loca hæreticorum ac fortassis Aerianorum fraude fuisse corrupta.

Quarta aliorum vulgo theologorum qui censent Hieronymum posse exponi, & cum vulgari Catholicorum doctrina non ægre conciliari, quibus assentimur.

Respondeo ergo 2. Distinguo antecedens: Episcopi & presbyteri iidem erant nomine tenus; concedo: reipsa; nego.

Quod enim nomina ipsa respiciat Hieronymus, id patet ex iis quæ proxime consequuntur. *Epistola* enim 83. *ad Oceanum*, " Quia, inquit, illud nomen dignitatis est, hoc ætatis. " *Epist. ad Evagrium*, " Presbyter & Episcopus aliud ætatis, aliud dignitatis est nomen. " *In epist.* denique *ad Titum*, " Aliud, inquit, ætatis, aliud est nomen officii. *Ibidem*, " Eosdem *episcopos*, inquit, illo tempore, " quos & *presbyteros* appellabant, propterea indifferenter de episcopis " quasi de presbyteris est locutus. " Et vero Hieronymus istud probat ex variis Scripturæ locis, quæ de solis nominibus agunt. Ergo.

Quod autem non existimaret eosdem reipsa fuisse, ex his ipsis locis perspicuum est: nam in *epist. ad Evagrium* ex eo colligit presbyteros Ephesinæ ecclesiæ esse a Paulo *episcoporum* nomine donatos, & *in comment. in epist. ad Titum*, idem de Philippensium presbyteris eloit, quia nimirum in una eademque ecclesia non erant nec esse poterant plures veri nominis Episcopi. Ergo primi ordinis antistites in singulis ecclesiis singulares agnoscebat, eosque a presbyteris distinctos, quamvis eodem cum ipsis nomine appellarentur.

Instabis 1. Imo Hieronymus nullum agnoscebat, qui presbyteris auctoritate antecelleret: sic enim habet: " Communi presbyterorum " consilio ecclesiæ gubernabantur. " Ergo.

Distinguo antecedens: communi consilio, sed non eadem auctoritate; concedo: eadem auctoritate; nego. Scilicet, ut non ita pridem advertimus, presbyteros Ecclesiæ habuit Hieronymus tanquam senatores, & Episcopum tanquam principem. Communi ergo omnium consilio Ecclesiæ gubernabantur, quod ex Cypriano etiam ostendimus, sed tamen auctoritas tota, aut præcipua saltem, penes Episcopum residebat. Cæterum si ex eo quod Episcopus nihil ageret nisi de consilio presbyterorum, inde consequitur nullam fuisse utriusque Ordinis differentiam, inde etiam consequeretur ævo Cypriani in Africa nullum fuisse discrimen diaconos inter & presbyteros ac Episcopos, nullum inter clerum & plebem: nihil enim agebat Cyprianus nisi de consilio presbyterorum & diaconorum, ac de consensu plebis.

Instabis 2. At Hieronymi judicio non nisi progressu temporis factum est, & quidem in schismatis remedium, ut unus superponeretur cæteris. Ergo non nisi humano jure hæc Episcoporum distinctio & eminentia obtinuit.

Res-

Respondeo 1. etiam si concederemus Hieronymum ita sensisse, nihilominus hoc ipso ruituram esse Blondelli sententiam. 1. enim Hieronymus saltem agnovit Episcopos singulares ævo Apostolorum, ut modo demonstratum est. 2. In his ipsis commentariis *in epist. ad Titum*, mutationem illam ecclesiasticæ quoad Episcopos disciplinæ, idem Hieronymus referre videtur ad illud circiter tempus, quo dictum est, *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, quod legitur *in epist.* 1. *ad Corinth.* Atqui hæc epistola juxta Blondellum scripta est anno Christi 55. Ergo, si Hieronymo presse adhærescamus, cum Blondello pugnabit, quippe qui non nisi secundo sæculo factum putet ut Episcopi presbyteris superiores evaserint.

Respondeo 2. Distinguo antecedens: ut unus superponeretur cæteris, ad quem solum Ecclesiæ cura & sollicitudo deferretur; concedo: superponeretur precise; nego. Itaque Hieronymus censuit, 1. semper extitisse in ecclesiis Episcopos singulares qui omnibus superiores essent, non tantum humano, sed etiam divino jure; quod modo plenius astruetur: 2. eosdem potuisse etiam ab initio solos totius Ecclesiæ negotia summa, quæ sibi inerat, auctoritate administrare: eos enim comparat cum Moyse, qui solus habebat præesse populo Israel: 3. ipsos tamen inter prima religionis exordia non ista auctoritate usos, sed nihil egisse nisi participatis consiliis cum presbyteris, idque exemplo Moysis ejusdem, qui cum solus haberet præesse populo Israel, sponte tamen septuaginta elegit, quibuscum populum judicaret: 4. cum ex hac agendi ratione plurima incommoda variæque dissensiones orirentur, salubri postea consilio cautum esse, ut ad unum Episcopum omnis Ecclesiæ cura pertineret: cum enim schismata nata inde essent, quod plures simul præpositi communi consilio Ecclesiam administrarent, & unusquisque suos clientes sibi addictos haberet; remedium præsentissimum visum est, si ad unum Episcopum omnis auctoritas referretur, quo melius omnes sub uno eodemque capite in officio ac concordia continerentur. Et vero esse hunc sancti illius doctoris sensum non obscure indicant ipsa verba: "In toto orbe decretum est, inquit, ut unus de presbyteris „ electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura perti„ neret. *Et paulo post*: Ut dissensionum plantaria evellerentur, inquit, „ ad unum omnis sollicitudo delata est. " Loquitur ergo de omni cura & omni sollicitudine, quæ cum in plures antea divisa esset, ad unum exinde delata est; non vero de ipsa superioritate. Uno verbo Hieronymus existimavit eandem semper extitisse Episcoporum superioritatem, sed non eandem Ecclesiæ administrandæ formam.

Quod autem nihilominus censuerit jure divino Episcopos esse, ac proinde semper fuisse, presbyteris superiores, multa sunt argumenta, quæ *supra* attigimus; ac præsertim ista:

Primum, quod juxta Hieronymum *in dialogo adversus Luciferianos*, " „ Ecclesiæ salus in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exsors

„ quæ-

„ quædam & ab hominibus eminens detur potestas, tot in ecclesiis effi-
„ ciantur schismata, quot sacerdotes. " At Christus Ecclesiam fundans, ipsius saluti haud dubie providit & consuluit. Ergo.

Secundum, quod juxta eundem, Episcopi Apostolorum locum teneant, & presbyteri septuaginta discipulorum. At utrique a Christo erant instituti & distincti. Ergo.

Verum ne extra hæc ipsa quæ nobis objecta sunt loca evagemur,

Tertium est, quod solis Episcopis ordinandi potestatem attribuat. "
„ Quid facit, inquit, excepta Ordinatione Episcopus, quod presbyter
„ non faciat. " At ibi jus divinum respicit. Si enim præsentem Ecclesiæ usum spectasset, certe multa alia erant Episcopis facta propria, ut virginum & ecclesiarum consecratio &c. imo ne Confirmationem quidem commemorat, quamvis ea solis Episcopis ordinario jure competeret, idque ex apostolica traditione, ut ipsemet notat *in eodem contra Luciferianos dialogo*. Quorsum ergo illam Ordinationi non adjungit? quia nempe ex Ecclesiæ concessione ac dispensatione presbyteris committi potest. Ergo contra Ordinatio ita Episcopis affixa est, ut ne Ecclesia quidem eam possit presbyteris concedere: posset autem dubio procul, si jure tantum humano Episcopis addicta foret. Ergo hæc ordinandi facultas Episcopis propria ex divina voluntate & auctoritate profluit.

Quartum, quod juxta eundem, Episcopi sint in Ecclesia id quod Moyses in populo Israel, & presbyteri quod septuaginta viri a Moyse delecti. Atqui Moyses haud dubie ipsis divino jure superior erat. Ergo & presbyteris Episcopi.

Quintum, quod, ut idem ipse ait, id in Ecclesia sint Episcopi, presbyteri & diaconi, quod Aaron olim & filii ejus atque levitæ. Atqui reliquis divino jure superior erat Aaron summus Pontifex. Ergo.

Sensit Blondellus postremi hujus argumenti vim: itaque *pag.* 8. pollicetur se hanc epistolæ Hieronymianæ partem *sectione* 6. elucidaturum. Interim tamen opus suum tribus sectionibus absolvit, desperans nimirum fore ut facere satis posset.

Sensit & Salmasius, cum sub fictitio Walonis Messalini nomine de ecclesiastico Ordine scriberet, & istius difficultatis solutionem jubet ut a Salmasio expectemus; quasi vero alius ipse a Salmasio esset: sed hanc frustra omnes expectarunt.

Sensit denique Alphonsus a Castro, qui idcirco dicere ausus est, Hieronymum sibi non constare. At quanto satius fuisset ipsum ita explicare, ut secum cohæreret?

Et vero Theologi, qui superiores esse presbyteris jure divino Episcopos definiunt, nullis aliis, quam Hieronymus, exemplis aut argumentis utuntur.

Instabis 3. Contra significat Hieronymus nullum hactenus fuisse electum e presbyteris, qui superior omnibus foret: ait enim. " In

„ toto

„ toto orbe decretum est, ut unus ex presbyteris electus superponere„ tur cæteris. " Ergo.

DISTINGUO: unus e presbyteris electus, idest, qui jam electus erat; concedo: qui tum primum electus fuerit; nego.

INSTABIS 4. At *ibidem* addit Hieronymus: " Sicut ergo presbyte„ ri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, „ esse subjectos; ita Episcopi noverint se magis consuetudine, quam „ dispositionis dominicæ veritate presbyteris esse majores, & in com„ mune debere Ecclesiam regere. " Ergo &c.

RESPONDEO: tria hic affirmat Hieronymus diligenter observanda.

Primum est, presbyteros esse Episcopis subjectos: id autem nobis favet.

Secundum, Episcopos esse presbyteris majores partim Ecclesiæ consuetudinē, partim dispositionis dominicæ veritate (utramque enim commemorat & agnoscit) quod jus divinum luculenter probat.

Tertium vero, quod nempe Episcopi sint magis consuetudine, quam dispositionis dominicæ veritate majores; distinguo: quoad jurisdictionis modum; concedo: quoad potestatem Ordinis aut ipsammet jurisdictionem præcise; nego. Tria ergo in Episcopis sunt distinguenda: ac 1. quidem potestas Ordinis, qua fit ut soli ordinare & confirmare possint: ea autem a Christo est, utpote cujus solius fuerit Sacramentorum ministros designare: 2. potestas jurisdictionis generatim: illa vero ab eodem Christo proficiscitur: ab ipso enim positi sunt Episcopi regere Ecclesiam Dei: 3. jurisdictionis istius exercendæ peculiaris modus, presbyteris nempe adscitis vel exclusis: in eo autem ultimo capite mutatio facta erat. Cum enim primo nihil omnino in Ecclesia gereretur, nisi communi presbyterorum * consilio, illud postmodum ex parte mutatum est. Ea vero Ecclesiæ gubernandæ ratio ad disciplinam spectat, & varia esse potest, atque ex Ecclesiæ decretis suspensa est. Quapropter cum de hoc ultimo duntaxat capite loqueretur Hieronymus, haud mirum quod dixerit presbyteros ita esse Episcopis subjectos magis ex consuetudine Ecclesiæ, quam dispositionis dominicæ veritate. Præ oculis enim habebat eam, quæ ævo suo invaluerat, consuetudinem. Jam vero quod ad hanc jurisdictionem pleniorem, qua tum fruebantur Episcopi, Hieronymus respiceret, id ex consequentibus patet: statim enim subdit; " Et in commune debere ecclesiam regere, imi„ tantes Moysen, qui cum haberet solus præesse populo Israel elegit „ septuaginta, cum quibus populum judicaret. Quibus verbis episcopos

„ * S. Cyprianus *epist.* 5. Ad id quod scripserunt, mihi compresbyteri nostri, „ inquit, ... solus rescribere nihil potui, quando a primordio episcopatus mei „ statuerim nihil sine consilio vestro & sine consensu plebis, mea privatim sen„ tentia gerere. Sed cum ad vos per Dei gratiam venero, tunc de iis ..... in „ commune tractabimus.

copos hortabatur sanctus ille doctor ut pristinum morem revocarent; & communicatis cum presbyterorum cœtu consiliis Ecclesiam gubernarent.

INSTABIS 5. Atqui, quod *ibidem* subjicit Hieronymus ecclesiæ Alexandrinæ exemplum, id evincit nullum fuisse jure divino episcopos inter & presbyteros discrimen.

NEGO subsumptum. Imo vero duo sunt in hoc exemplo, quibus Blondelli doctrina pessundatur. 1. enim cum Hieronymus asserat a Marco evangelista ad Heraclam & Dionysium usque, unum semper fuisse episcopum Alexandrinum, in excelsiori gradu collocatum, & e presbyteris electum; hinc constat & primo sæculo, & ipsa Apostolorum ætate, singulares in ecclesiis episcopos extitisse, eosque non fortuito antiquitatis ordine, sed libera electione factos: quæ duo Blondellus nolit. Cum addat *ibidem* hunc Episcopum ita se habuisse in Ecclesia, qua ratione se habet imperator in exercitu, illinc etiam colligitur quanta ille in omnes auctoritate, primis etiam illis temporibus, esset.

INSTABIS 6. At eo loci indicat Hieronymus ex presbyteris solis factum esse, & ab ipsis solis nominatum esse episcopum: ergo citra novam consecrationem, aut hanc consecrationem ipsi impertiebantur presbyteri; quod perinde valet, ad ostendendam presbyterorum cum episcopis jure divino æqualitatem.

DISTINGUO antecedens: factum, id est electum; concedo: id est, consecratum; nego. Hic duo duntaxat ait Hieronymus: primum ex presbyteris solis Episcopum Alexandrinum electum fuisse: alterum ab iisdem presbyteris, cum in excelsiori sede collocatus esset, fuisse nominatum episcopum: de cæteris silet. Hæc autem pertinent ad peculiarem, qui in ea Ecclesia vigebat, electionis modum, non ad consecrationem, de qua ne mentionem quidem facit.

Verum ut ista dilucidius perspiciantur, jam videndum est 1. quid in electionis hujus ratione esset peculiare ecclesiæ Alexandrinæ, quo factum sit ut ipsius morem speciatim allegaverit Hieronymus: 2. an exinde episcopus sic electus ab aliis Episcopis non consecraretur.

Quod ergo 1. spectat ad electionis modum ipsiusque consectaria, Alexandrinæ ecclesiæ hæc propria erant:

Primum, quod statim ab Episcopi morte electio fieret, cum alibi diutius differretur: causam indicat Epiphanius *hæresi* 49. " Alexan„ driæ autem, inquit, consuetudo est, ut post Episcopi mortem suc„ cessor non diutius differatur, sed illico pacis tuendæ gratia subro„ getur, ne aliis hunc, aliis illum postulantibus, in populo jurgia & „ contentiones existerent.

Secundum, quod Alexandrini præsules ad Heraclam & Dionysium usque ex solo presbyterorum ecclesiæ illius collegio assumi possent, cum aliis in ecclesiis ex omni aut saltem diaconorum Ordine eligerentur.

Id

Id conceptis verbis affirmat Hieronymus. Postea vero etiam ex diaconis electi sunt antistites Alexandrini, v. gr. Athanasius.

Tertium, quod soli iidem presbyteri jus suffragii olim haberent in ista sui præsulis electione; cum in regionibus cæteris plebs & clerus omnis, ac vicini etiam episcopi, eo gauderent. Id innuit *ibidem* Hieronymus, per idem temporis intervallum viguisse. Eutychius autem Alexandrinus diserte tradit hunc morem obtinuisse usque ad Athanasium: postea vero sine dubio plebs in electione locum habuit.

Quartum, quod qui electus esset e presbyteris, statim a designatione sua in excelsiori sede collocaretur, & nulla mora interposita a presbyteris *episcopi* nomine donaretur, etiam ante consecrationem suam ab Episcopis factam; cum alibi ante hanc consecrationem, qui electi erant, *episcopi* vulgo non appellarentur. Hoc autem ex Hieronymo colligimus. In eo enim situs esse videtur peculiaris ille ecclesiæ Alexandrinæ mos quem refert. Addit Eutychius eosdem presbyteros manus imposuisse electo. Quod si ita est, adumbrata quædam & anticipata consecratio fuit, qualis ab ipsis fieri poterat, ut ne sine aliqua specie consecrationis *episcopus* dici videretur.

Quintum, Quod etiam ante hanc consecrationem ab Episcopis factam, electus ille presbyter, post aliquot dies, jurisdictione & auctoritate plena frueretur, & quasi episcopus legitime sederet administraretque omnia, quod quidem discimus ex Liberato *in breviario cap.* 20. "
„ Consuetudo quidem est Alexandriæ, inquit, illum qui defuncto suc-
„ cedit, excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram
„ ejus capiti suo imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo
„ beati Marci pallium, & tunc legitime sedere.

Hæc autem, ut liquet, presbyterorum dignitati illustrandæ admodum inserviebant: quapropter ab Hieronymo opportune allata sunt, cum de ea adversus diaconos ageret.

Sed jam eo disputatio recidit, an videlicet ii presbyteri sic electi, deinceps ab Episcopis non ordinarentur eodem quo in alis ecclesiis ritu, saltem per illud temporis spatium quod Hieronymus figit, hoc est usque ad Heraclam & Dionysium, qui tertio circiter sæculo medio floruerunt: nos autem contendimus eos fuisse postea solemni ac vulgari more ordinatos, non ab illis presbyteris, sed ab Episcopis: idque suadent multa argumenta.

Primum petitur ab exemplis. Ut autem in antiquissimis hæreamus, Annianus qui primus post Marcum ecclesiæ Alexandrinæ episcopus fuit, ab eodem Marco est ordinatus. Sic enim testatur vetustissimus auctor *constitutionum apostolicarum lib.* 7. *cap.* 46. qui scripsisse videtur ante Heraclam & Dionysium: " Alexandrinæ Ecclesiæ primus, inquit,
„ Annianus a Marco Evangelista ordinatus est. " Vetus *Marci histo-*
„ *riæ* auctor, B. Marcus, inquit, Annianum ibidem ordinavit episco-
„ pum, & tres presbyteros, & septem diaconos. Imo Hieronymus *in*
Eu-

Eusebii Chronico ad annum Christi 63. " Post Marcum Evangelistam , „ inquit, primus Alexandrinæ ecclesiæ ordinatur episcopus Annianus. " Vide Rabanum Maurum & Notkerum *ad* VII. *cal. Maii*, Chronicon Orientale, Eutychium, Nicephorum, Tillemontium *in vita Marci*, Pearsonium, & alios.

Anniano successit Abilius , qui a Luca evangelista consecratus fuit teste eodem *constitutionum apostolic.* scriptore , *ibidem* : " Secundus au- „ tem , inquit, Abilius a Luca itidem evangelista. " Cotelerium vide „ ad istum locum.

Abilium excepit Cerdon. Severus porro, qui Arabice de Episcopis Alexandrinis scripsit, *apud Abrabamum Ecchellensem* , memorat ad ipsius Ordinationem, ut & consequentium præsulum, Episcopos ex ea regione accessisse.

Et vero Hieronymus *in eodem chronico ad annum Christi* 107. " Alexandrinæ ecclesiæ quartus episcopus ordinatur nomine *Primus*.

Secundum sumitur ex testimoniis scriptorum Alexandrinorum qui Heracla & Dionysio antiquiores sunt.

1. est Clemens Alexandrinus *supra*, qui tres Ordines ac gradus recenset, Episcoporum nempe , presbyterorum , & diaconorum : ac proinde juxta ipsum tam diversus fuit a presbyteratu Episcoporum Ordo , quam presbyterorum a diaconatu : & sicut diaconi ac presbyteri suam singuli consecrationem habuere, ita & Episcopi.

2. est Origenes Heraclæ & Dionysii magister : is autem *homil.* 20. *in Lucam*: " An ego, inquit, non subjiciar Episcopo, qui mihi a Deo ordinatus est pater?

Tertium ex conciliis Alexandrinis, Epiphanio , aliis Patribus , ipsoque adeo Hieronymo depromitur.

1. enim concilia Alexandrina IV. sæculo habita , & a nobis *supra* memorata, cum de Ischyra agunt, ideo probant ipsum nec esse , nec esse potuisse presbyterum, quia a presbytero Collutho esset ordinatus . An vero ita locuti fuissent, si in ipsa ecclesia Alexandrina non ita pridem in more fuisset, & quidem ab initio religionis christianæ, ut presbyteri ipsi facerent Episcopos?

2. Epiphanius vicinus his locis ac temporibus , cum dimicat adversus Aerium, qui ex Apostoli loco *ad Timotheum* ostendere volebat a presbyteris olim factos Episcopos, id confidenter negat aut unquam factum esse aut etiam fieri potuisse.

3. Scriptores ecclesiastici in eo consentiunt ad unum omnes; ea enim causa est cur has apostoli voces, *Cum impositione manuum presbyterii* , non de presbyteris, sed de Episcopis esse intelligendas docuerint . An vero cuncti ignorassent celeberrimam illam ecclesiæ Alexandrinæ consuetudinem?

4. Denique ipse Hieronymus statim subjicit , " Quid enim facit , excepta Ordinatione, Episcopus , quod presbyter non faciat ? " Non pu-

putat ergò presbyteris inesse facultatem aliorum presbyterorum, ac multo minus Episcoporum, ordinandorum. Illic porro ad jus ipsum divinum respicit, ut *supra* notavimus.

Instabis 6. Sed Hieronymus *ibidem* asserit ita factum esse episcopum Alexandrinum a presbyteris, quo pacto fieret imperator ab exercitu, & archidiaconus a diaconis. Atqui in his postremis exemplis nulla esset consecratio. Ergo.

Distinguo majorem: eodem modo quoad electionis rationem, quia nempe Episcopus ex presbyterorum collegio assumebatur, qua ratione ex numero militum imperator, & ex numero diaconorum archidiaconus; concedo: eadem omnino ratione, ita ut excluderetur Episcopi sic electi consequens consecratio; nego.

Instabis 7. At Hieronymi sententia exinde fuit apud scriptores Latinos pervulgata: quippe qui ipsius etiam verba plerique exscribant. De eodem enim argumento differentes usurpant *epistolæ ad Evagrium* membrum quidem 1. & 2. Auxilius *defensionis suæ lib.* 2. *cap.* 26. 3. Alcuinus *de divinis officiis cap.* 37. 2. vero & 3. Hervæus *in caput* 1. *epist. ad Philipp.* 4. his duobus posterioribus conjungit Amalarius *lib.* 2. *de divinis Officiis*, *cap.* 13. 5. cum superioribus membris omnibus addit Gratianus *dist.* 93. *cap.* 24. *Legimus*; *Ex commentariis* vero *in epist. ad Titum* profert membrum quidem 1. 2. & 5. Sedulius; 2. 3. & 4. synodus Aquisgranensis; 2. & 3. duntaxat Alcuinus; 1. 2. 3. 4. & 6. Amalarius; 2. 4. 5. & 6. Hervæus; 1. 2. & 6. Gratianus; integrum vero locum Æneas Parisiensis *in opere adversus Græcos*, *objectione* 7. *tom.* 7. *Spicilegii*, *pag.* 114. Ergo.

Respondeo illos omnes, si nihil adjiciant, eodem prorsus modo, quo Hieronymum explicuimus, esse exponendos.

Instabis 8. Atqui Alcuinus & Amalarius Ecclesiæ Alexandrinæ morem post Hieronymum commemorantes, satis aperte significant nullam accessisse Episcopo e presbyteris electo, consecrationem novam.

Alcuinus nimirum relata Episcoporum Ordinatione, qualis ævo suo in Ecclesia usurpabatur, sic addit: " Qualis esset antiquitus consecra-
„ tio Episcoporum ostendit Hieronymus in epistola ad Evagrium, A-
„ lexandriæ, inquiens, . . . presbyteri . . . . unum ex se electum . . . .
„ Episcopum nominabant; quomodo si diaconi eligant de se quem in-
„ dustrium noverint, & archidiaconum vocent: archidiaconus autem
„ eandem consecrationem habet quam cæteri diaconi, sed electione fra-
„ trum præponitur.

Amalarius similiter & iisdem fere verbis, " Qualis esset, inquit,
„ eorum Ordinatio Hieronymus in epistola ad Evagrium exponit.
„ Nam & Alexandriæ . . . . presbyteri . . . . ex se . . . episcopum
„ nominant, quomodo si . . . . diaconi . . . . . archidiaconum vo-
„ cent. Archidiaconi consecratio nobis notissima est: archidiaconus
„ can-

„ eandem consecrationem habet quam cæteri diaconi, sed electione fra-
„ trum præponitur.

Ergo pariter episcopus Alexandrinus, & eorum judicio quilibet Episcopus, non aliam olim habebat quam presbyteri consecrationem & Ordinationem, sed sola electione ab ipsis distabat.

Distinguo antecedens: qualis esset consecratio & Ordinatio, id est Ordo, cum eligerentur; concedo: qualis etiam esset imposterum; nego. *Consecrationis* ergo vox & *Ordinationis* illic pro Ordine sumitur, cum de Episcopis electis sermo fit, quemadmodum & ubi de archidiaconis. Cum ergo jam pridem obtineret, ut non solum ex presbyteris, sed etiam ex diaconis eligerentur Episcopi, Alcuinus & Amalarius notant olim alium fuisse morem, ita ut Episcopi ex presbyterorum Ordine semper, sicut ex diaconis archidiaconi, assumerentur. Et vero quis in animum suum inducat Alcuinum & Amalarium in antiquis ecclesiæ monimentis ita fuisse hospites & peregrinos, ut existimaverint nullam fuisse olim Episcoporum consecrationem, quæ post electionem ab aliis Episcopis fieret?

Instabis 9. Ænea Parisiensis respondens Græcis qui Ecclesiæ Latinæ vitio vertebant quod diaconos, omisso presbyteratus Ordine, Episcopos consecraret, ait a nonnullis forte id fieri consuevisse, sed eos existimare posse hac ipsa episcopali consecratione e diaconis etiam presbyteros fieri: in eamque rem integrum laudat Hieronymi locum *in epist. ad Titum*. Ergo una eademque erat Ordinatio, eorum saltem judicio qui ita agerent.

Distinguo antecedens: presbyteros fieri consecratione episcopali, quia, ut putabant, hæc episcopalis consecratio eminenter in se continebat presbyteralem; concedo: quia eadem omnino erat presbyteratus & episcopatus consecratio; nego. Non ergo ipsorum judicio eadem erat presbyteratus & episcopatus consecratio; nam ad presbyteros quidem faciendos, eorum judicio, satis esse poterat episcopalis consecratio; sed nunquam existimassent vice versa Ordinationem presbyterorum ad Episcopos faciendos sufficere: quia arbitrabantur illi episcopali consecratione presbyteralem eminenter contineri, quemadmodum presbyterali diaconalis continetur: atque adeo tam fieri posse e diacono episcopum omisso presbyteratu, quam e clerico posset fieri presbyter omisso diaconatu. " Hoc intelligi volunt, inquit Æneas, quia qui benedictione pontificali persungitur, reliquarum benedictionum honore decoretur... For-
„ sitan .... assertioni B. Hieronymi .... concedere videntur qui
„ officium presbyteri in aliquo comparticipari affirmat ministerio epi-
„ scopali.

Instabis 10. Auxilius *supra* confert presbyterum qui fit episcopus, cum episcopo qui fit papa. Atqui cum Episcopus in papam assumitur, non ideo novam suscipit consecrationem sacramentalem. Ergo nec presbyter cum fit episcopus. Cum enim Auxilio objicerent adversarii

For-

Formosum jam episcopum Portuensem, postquam in Romanum pontificem electus fuisset, " Manus impositionem ita sibi tribui præcepis„ se, ac si episcopus non esset: " & idcirco contenderent ipsum episcopatu propterea excidisse: respondet ille, si id factum sit, " In hac „ manuum impositione non vulnus, sed dignitatis augmentum conspi„ ci; non detrimentum, sed sacri Ordinis incrementum. Ut enim, „ inquit, hoc liquidius pateat audi documentum. Nam quod presby„ ter ipsum sit quod est episcopus, testis est B. Hieronymus in Epi„ stola 85. dicens, Audio &c. ... Ecce probabilibus documentis pa„ tefactum est, quod ipsum sit presbyter quod est episcopus. Igitur „ cum presbyter manus impositionem accipit, ut cæteris præponatur, „ & specialiter Episcopus appelletur; nunquidnum in eo quod est „ presbyter, iterum consecratur, & non potius in ejusdem manus „ impositione augmentum episcopalis ministerii, quod non habet, ac„ cipit? Sic itaque Formosus in illa manus impositione, non id quod episcopus erat, perdidit; sed augmentum apostolicæ dignitatis, quod non habebat, accepit.

Distinguo antecedens: comparat quoad aliqua, id est, in eo quod neuter id perdat quod prius haberet, & quod uterque potestatis augmentum, quod prius non haberet, tunc accipiat; concedo: quoad omnia; nego.

Instabis II. At juxta Auxilium idem est presbyter quod Episcopus

Distinguo: idem nomine; concedo: re; subdistinguo: ex parte; concedo: omnino; nego. Solutio colligitur ex Hieronymi verbis quæ adducit, cum in iis de *Episcopi & presbyteri* nomine agatur; & ex ipsius Auxilii scopo, qui id unum probat, presbyteratum scilicet in Episcopo superesse, nec episcopali consecratione amitti. Cæterum idem ipse novam manuum impositionem esse necessariam agnoscit ad episcopatum, & ea potestatem dari quæ major sit, & quam presbyter non habeat.

Objicies 6. Hieronymiaster, seu *auctor epistolæ ad Rusticum de septem gradibus Ecclesiæ*, declamans adversus quosdam Episcopos, qui eo superbiæ & tyrannidis devenerant, ut neque Eucharistiam a presbyteris consecratam participare vellent, neque ipsis propria munia concederent obire, sacri nimirum faciendi, benedicendi populis, visitandi infirmos &c. ait inter cætera: " Prædicare presbyteros decet, ... „ congruum confirmare, ... atque omnia Dei sacramenta complere „ ..... At sola propter auctoritatem summo sacerdoti Clericorum „ Ordinatio & virginum consecratio reservata sit ..... Presbyteri, addit idem, si necesse est, possunt chrisma conficere, quia in corpo„ re ejus (Christi) chrisma est: siquidem hæc regula etiam nunc serva„ tur a plurimis, atque in ecclesiis multis sic ista faciunt.... Intelligis er„ go in presbytero summam sacerdotii collocari. " Ergo non sunt Epi„ scopi presbyteris superiores.

Respondeo hunc auctorem ignotum, & recentiorem, quantumvis episcopis sit infensus & presbyterorum causam agat, nihil tamen illic commemorare quod presbyteris non competat, aut extra ordinem saltem competere non possit.

Objicies 7. Augustinus *epistola* olim 19. nunc 82. *ad Hieronymum, num.* 33. " Quanquam, inquit, secundum honorum vocabula, quæ jam „ Ecclesiæ usus obtinuit, episcopatus presbyterio major sit; tamen in „ multis rebus Augustinus Hieronymo minor est. " Ergo recenti solum Ecclesiæ usu episcopatus presbyterio major evaserat.

Distinguo antecedens: id est, licet *episcopatus* nomine jam secundum usum exprimatur dignitas presbyterio major; concedo: id est, licet ea, quæ *episcopatus* nomine exprimitur dignitas juxta præsentem usum major sit presbyterio; nego. Usus itaque quem commemorat Augustinus, in vocabula, non in rem ipsam cadit: non enim significare voluit eam dignitatem quæ *episcopatus* nomine exprimitur, recenti duntaxat usu esse presbyterio majorem; sed id unum, quod nempe recentis, non perpetui usus foret, *episcopatus* nomen tribuere ei dignitati quæ major est ac semper fuit presbyterio. Is ergo Augustini sensus fuit: Quamvis juxta morem Ecclesiæ nunc receptum *episcopatus* nomine intelligatur dignitas major ea quæ jam vocatur *presbyteratus*; attamen Augustinus, qui dicitur *episcopus*, minor est in multis rebus Hieronymo qui *presbyter* nominatur, minor pietate, eruditione; non vero charactere aut Ordinatione, de quibus nullatenus agebatur. Nimirum Augustinus existimavit hæc nomina fuisse olim promiscua, atque adeo primi Ordinis dignitatem ab Apostolis donatam esse *presbyteratus* nomine, & contra secundi Ordinis gradum dictum esse *episcopatum*, sed tandem Ecclesiæ consuetudine obtinuisse ut nomine *episcopatus* ea sola intelligeretur dignitas quæ presbyterio major est, & *presbyteratus* nomine duntaxat intelligeretur secundi Ordinis gradus. Id autem rebus ipsis nihil officit.

Objicies 8. Est apud Augustinum *in appendice tom.* 3. ignotus quidam scriptor *quæstionum in vetus & novum testamentum*: Is autem *quæst.* 100. dum cujusdam Falcidii, levitas sacerdotibus, & diaconos presbyteris coæquare contendentis, temeritatem retundit, & presbyterorum dignitatem, quantum potest, amplificat. " Presbyterum, inquit, intelligi episcopum probat Paulus Apostolus, quando Timotheum, quem „ ordinavit presbyterum, instruit qualem debeat creare Episcopum. „ Quid enim est episcopus, nisi primus presbyter, hoc est summus „ sacerdos? .... nam in Alexandria, & per totam Ægytum, si desit „ episcopus, consecrat (seu, ut in aliis codicibus manuscriptis legitur, „ *consignat*) presbyter ..... Multum distare inter diaconum, & sa- „ cerdotem liber approbat, quem dicimus *Actus Apostolorum*. Cum „ enim ex Samaria credidissent Philippo diacono ...... *Miserunt*, „ inquit, *ad Petrum & Joannem ut venirent, & his qui crederent da-*

„ *rent*

„ *rent Spiritum sanctum per manus impositionem*. Ergo presbyter & Episcopus olim idem erant.

Respondeo 1. hunc scriptorem esse levis omnino ponderis. Præterquam quod enim recentior est, variis erroribus scatet. Vide admonitionem ei præfixam.

Respondeo 2. Distinguo consequens: Episcopus & presbyter idem olim erant nomine; concedo: re; nego. Putavit ille auctor cum aliis nonnullis, Timotheum dici ab Apostolo presbyterum factum his verbis: *Cum impositione manuum presbyterii*. Ideo observat *presbyterum* a Paulo dictum esse episcopum.

Instabis 1. At subdit Episcopum nihil aliud esse quam primum presbyterum.

Distinguo: primum presbyterum, sed aliis novæ Ordinationis beneficio præpositum, concedo: aliis parem; nego.

Instabis 2. Imo presbyter in Ægypto absentibus episcopis consecrabat baptizatos.

Distinguo: ex ecclesiæ concessione, concedo: ordinario jure; nego. De quo ad Ambrosiastrum diximus.

Instabis 3. Probat idem auctor sacerdotes esse diaconis majores, quia nempe Joannes, & Petrus iis qui a Philippo diacono baptizati erant, Spiritum sanctum dederunt per manuum suarum impositionem. Ergo omnes sacerdotes possunt sacramentum Confirmationis jure suo administrare.

Distinguo antecedens: sacerdotes generatim, quatenus nempe opponuntur diaconis; concedo: sacerdotes minores; nego. Duplex est Ordo sacerdotii: uni autem competit sacramentum Confirmationis administrare: ergo id sacerdotibus competere dici potest. Cum autem hoc ipsum non competat diaconis, inde sacerdotium esse diaconatu majus ostenditur.

Objicies 9. Inter insulas Britannicas una erat Hiensis, seu Ionensis dicta, in qua anno circiter 565. exstructum est a Columba monacho & presbytero, qui illic evangelium Christi disseminaverat, monasterium, multorum exinde aliorum fons & caput. Jam vero Beda *eccles. hist. lib.* 3. *cap.* 4. " Habere, inquit, solebat ipsa insula rectorem semper abbatem & presbyterum, cujus juri & omnis provincia „ & ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato, debeant esse subjecti, juxta exemplum primi illius doctoris, qui non episcopus, sed presbyter extitit & monachus. Ab hac ergo insula, addit idem Beda *cap.* 5. ab horum collegio monachorum, ad Anglorum provinciam instituendam in Christo, missus est Aidanus accepto gradu episcopatus, „ quo tempore eidem monasterio Segenius abbas & presbyter præfuit. " Ergo Episcopi non sunt jure divino presbyteris superiores, cum presbyteris contra subjecti esse possint.

Respondeo 1. juxta Bedam, hoc insolens fuisse & inusitatum. Quid autem ex ejusmod exemplis colligi potest?

Respondeo 2. id cum Blondello pugnare, quippe qui fateatur tunc temporis gradus illos fuisse distinctos, & episcopos extitisse presbyteris superiores.

Respondeo 3. id nimis, ut loquuntur, probare: inde enim consequens esset presbyteros aliquando fuisse Episcopis superiores, quod nemo hactenus dixit.

Respondeo 4. Distinguo antecedens: abbati subjecti erant ipsi Episcopi, quoad instituta monastica & certum potestatis suæ exercitium; concedo: quoad Ordinem & dignitatem; nego. Itaque cum sanctissimus ille vir multos ad christianam religionem ea in regione convertisset, ut illi in suscepta semel fide persisterent, Columbæ ejusque monasterio attributa est tota illa insula ac provincia quæ nullum habebat Episcopum: cum tamen Episcopis opus esset ad fideles confirmandos, & sacros Ordines conferendos, ei quoque concessum est, ut e suis monachis Episcopos aliquos consecrari curaret, quorum opera uteretur. Atque is mos deinceps obtinuit. Monachi ergo simul & Episcopi erant: quatenus monachi in cœnobio degentes abbati suo subditi erant, quoad instituta monastica: & ipsius rogatu, ubi usus ferebat, functiones Episcopis proprias exercebant. Quod enim præter abbatem in eo monasterio Episcopus esset, id testantur annales Ultonienses apud Usserium *de originibus Britannicarum ecclesiarum*, *pag.* 701. Idem quoque in usu forte erat in aliis ejusdem provinciæ monasteriis quæ a primo illo pendebant. Idem quoque olim fuit privilegium monasterii Sandionysiani & sancti Martini Turonensis, quod ipsemet Blondellus refert, *pag.* 370. *&c.* Ex hoc autem elici non potest istum Episcopum non fuisse, quoad dignitatem & potestatem, ipso abbate suo superiorem. Non enim alia de causa creabatur episcopus, nisi ut, quod abbas, utpote presbyter, facere non poterat, ipse præstaret.

Objicies 10. Eutychius Alexandrinus patriarcha *in historia ecclesiæ Alexandrinæ & vita Marci* sic habet de Hanania primo Alexandriæ post Marcum episcopo, " Baptizavit illum Marcus & constituit eum pa-„ triarcham Alexandriæ, & est primus patriarcha Alexandriæ consti-„ tutus. Constituit etiam Marcus evangelista cum Hanania patriarcha „ duodecim presbyteros, qui adessent patriarchæ, ut decedente patriar-„ cha eligerent unum e duodecim presbyteris, & imponerent reliqui „ undecim presbyteri manus suas capiti ejus, & benedicerent eum, & „ constituerent eum patriarcham: dein eligerent virum aliquem virtu-„ tibus præstantem, illumque sufficerent presbyterum secum loco ejus, „ qui patriarcha suffectus est, ut essent perpetuo duodecim. Neque de-„ sit mos ille presbyterorum Alexandriæ constituendi patriarcham ex „ iis duodecim presbyteris, usque ad tempus Alexandri patriarchæ A-

lexan-

„ lexandriæ, qui erat e numero 318. (Nicænorum Patrum.) Is enim „ vetuit ne presbyteri constituerent patriarcham. Præcepit quoque ut „ mortuo patriarcha, convenirent Episcopi, & patriarcham constitue- „ rent .... Si qui vero percunctati fuerint, cur Patriarcha Alexandri- „ nus vocatur *Papa*: Papa autem *avum* significat: hoc quidem ideo, „ quia a tempore Hananiæ, ... usque ad tempora Demetrii patri- „ archæ Alexandrini, (qui sub initium tertii sæculi vixit) .... nul- „ lus erat in territorio Ægypti episcopus, ... Itaque ..... Deme- „ trius .... tres constituit Episcopos, & est primus Patriarcha qui in „ Alexandria fecit Episcopos. Eo autem defuncto suffectus est ..... „ Heraclas .... qui viginti constituit Episcopos ... Plebs autem au- „ diens episcopos Patriarcham appellantes *patrem*, dixit apud se: Si „ nos episcopum appellamus *patrem*, & episcopus Patriarcham *patrem* „ appellat, oportet ut nos Patriarcham appellemus *Papam*, id est *avum*, „ cum ille sit pater patrum &c.

Ex quibus ita arguunt adversarii: Juxta Eutychium presbyteri Alexandrini episcopum suum creabant. Ergo &c.

RESPONDEO 1. Eutychium nullius aut exiguæ saltem esse fidei. 1. Quia recentior est. 2. Quia fabulis delectatur, quod agnoscit ipse Pocockius, hac in parte non suspectus, a quo publica luce donatus est. Neque id diffitetur Seldenus, qui illius excerptum edidit. Atque hoc sane arguit nominis *papæ* origo, quam ex ipso mox descripsimus. Illud enim vocabulum non *avum*, sed *patrem* sonat. 3. Quia summam præ se fert veteris historiæ & disciplinæ ignorationem, quod multis exemplis demonstrat Pearsonius *pag.* 327. Hic profecto patriarchas collocat primo sæculo, de quibus tamen nihil nisi multo post auditum est.

RESPONDEO 2. Eutychium in iis ipsis quæ hic narrat, cum aliis scriptoribus longe majoris auctoritatis non consentire.

Primo enim quod spectat ad numerum duodecim illorum presbyterorum, in eo quidem habet astipulatorem Georgium Homaidium, quem *Elmacinum* appellant; sed multo plures alios habet sibi adversantes. Tres enim presbyteros duntaxat a Marco institutos memorant, 1. vetus ipsius vitæ scriptor, 2. Severus Alexandrinus, 3. Benerrahebus chronici Orientalis auctor, 4. Ordericus Vitalis, 5. Alfricus & alii. Vide Ecchellensem *in Eutychio vindicato*, 1. *parte*, *cap.* 14.

Secundo quod pertinet ad temporis intervallum quo presbyteri illi jure electionis soli gavisi sunt, in eo longe ab Hieronymo discedit. Is enim terminum figit in Heracla; Eutychius autem ultra provehitur, & hoc privilegium usque ad Nicænam synodum exporrigit. Consule Vanslebium *de ecclesia Alexandrina*.

Tertio quod præcipuum est, dum ait nullos in Ægypto ad Demetrium usque, qui III. sæculo ecclesiæ Alexandrinæ præfuit, Episcopos extitisse, id certe cum ecclesiastica historia non cohæret.

1. Enim quicunque Marci vitam Græci, Latini, & Orientales con-

ſcripſerunt, ii unanimi conſenſu docent a B. Evangeliſta cum in Ægypto eccleſias fundaret in iis conſtitutos eſſe Epiſcopos.

Synaxarion Græcum, " Marcus, inquit, in tota Ægypto & Lybia „ & Marmarica & Pentapoli .... Chriſti verbum prædicavit, ubique „ miracula edens, & Chriſti eccleſias ornans Ordinationibus Epiſcopo- „ rum, aliorumque clericorum. " Sic etiam Metaphraſtes *in ipſius hiſtoria*, & Nicephorus *lib.* 2. *cap.* 43.

Vetus auctor vitæ S. Marci: " Pentapolim pergit, inquit, & ordi- „ nans epiſcopos per regiones illas & clericos, iterum Alexandriam ve- „ nit. " Ita quoque Rabanus Maurus *in Martyrologio ad* VII. *calendas Maii*, Notkerus *ibid.* Alfricus Cantuarienſis *in ſanctorum vitis*, Ordericus Vitalis *lib.* 2. *hiſtoriæ*, Tillemontius, & alii.

Denique Martyrologium ipſum Melchitarum in urbe Alexandrina *ad diem* 25. *Aprilis*, " Aliquandiu, inquit, moratus eſt Marcus in urbe „ Cyrene, ... indeque Alexandriam ..... perrexit: deinde in Bar- „ cam profectus eſt, multaque edidit miracula, & Chriſti eccleſias ex- „ ornavit, conſtituens eis epiſcopos atque his inferiores ſacerdotes. " Ita quoque Severus Alexandrinus *de vitis Patriarcharum Alexandrinorum*. " Ipſe vero Marcus diſcedens, inquit, Pentapolim perrexit, man- „ ſitque ibi duos annos, annuncians & ordinans Epiſcopos, presbyte- „ ros & diaconos in omnibus ejus provinciis.

2. Adrianus imperator circa annum 132. in epiſtola quam *ſupra* laudavimus, plurium in Ægypto Epiſcoporum meminit: " Devoti ſunt Serapi, inquit, qui ſe Chriſti epiſcopos dicunt.

3. Cum Eutychius afferat tres duntaxat a Demetrio fuiſſe epiſcopos conſtitutos, eccleſiaſtica monimenta demonſtrant eo ævo longe plures extitiſſe. Apud Photium enim *codice* 118. Pamphilus refert Demetrium ad damnandum Origenem duas ſynodos habuiſſe: primam epiſcoporum & aliquot presbyterorum, quæ Alexandria quidem Origenem expulit, ſed ipſum tamen ſacerdotio non interdixit; alteram vero ex iis ſolis Ægypti Epiſcopis, qui ſibi faverent, conflatam, quæ judicio ſeveriori Origenem ipſo etiam ſacerdotio exuit. Hæc autem hiſtoria falſi convincit Eutychium. In prima enim ſynodo indefinite epiſcopi & aliquot presbyteri numerantur. Plures ergo erant in ea epiſcopi quam presbyteri: atque adeo incredibile eſt epiſcopos duntaxat tres fuiſſe. Quantæ vero auctoritatis extitiſſet trium epiſcoporum & duorum presbyterorum ſynodus adverſus Origenem, quem multo plures defendebant? Deinde vero ſecundam ſynodum ex aliis epiſcopis ſibi faventibus & Origeni infenſis coegit Demetrius, cum arbitraretur mitiorem juſto fuiſſe prioris ſententiam. Ergo maximus tum erat in Ægypto epiſcoporum numerus. Quid enim fiet, ſi Eutychio credamus? quot ſtatuentur epiſcopi, qui Demetrii conſiliis primo non ex omni parte conſenſerint? ſaltem numerentur duo. Ergo unus jam ſolummodo ſuperfuiſſet epiſcopus, ex quo ſecundam ſynodum conflaſſet Demetrius: quod eſt longe abſurdiſſimum.

4. Cle-

4. Clemens Alexandrinus & Origenes *supra* non solum de episcopis loquuntur ut passim in Ægypto usitatissimis, sed etiam Origenes diserte notat eorum arrogantiam vix potuisse comprimi, qui parentes aut avos episcopos habuissent: quod quidem episcoporum antiquitatem in iis provinciis mirifice astruit.

5. Dionysius, qui sub Demetrio diu vixit & ipsi post Heraclam successit, cum adversus Nepotem quemdam Ægypti episcopum scriberet, qui Millenariorum doctrinam tuitus fuerat & disseminaverat, de eo mentionem facit quasi jam pridem mortuo. Addit hymnos fuisse ab eodem compositos qui ad illud usque tempus, quo ipse scribebat, summo in pretio apud plurimos erant: quæ duo aperte indicant haud parvum temporis intervallum. Ergo episcopi non erant recens in Ægypto a Demetrio instituti. Vide Eusebium *lib. 7. cap. 25.*

6. Ex epistola Alexandri Alexandriæ episcopi constat ante concilium Nicænum in Arii damnationem consensisse pene centum Ægypti episcopos. Quis autem sibi persuadeat intra tam breve temporis spatium tantopere auctam fuisse Episcoporum multitudinem, ut cum per duo sæcula unus tantum fuisset episcopus & initio III. tres tantummodo essent, IV. ineunte sæculo centum numerarentur?

7. Cum Palæbisca & Hydrax, ignobiles Pentapoleos vici, sibi proprios episcopos habere voluissent, reclamarunt ecclesiæ Ægyptiacæ & ad Synesium scripserunt, ex patria & apostolica traditione eos vicos ad episcopum Erythræum pertinere. Ergo V. sæculo, quo Synesius floruit, constans ea Ægyptiorum fides fuit, extitisse semper in Pentapoli Episcopos.

RESPONDEO 3. benigne tamen explicari posse Eutychium: quapropter Distinguo consequens: Presbyteri episcopum creabant, id est eligebant; concedo: id est consecrabant; nego. Quod enim intra electionem jus illud contineretur, id nostro quidem judicio liquet, 1. ex Hieronymo qui illius duntaxat meminit, consecrationem sane non omissurus, si ea perfuncti essent episcopi; id enim fecisset maxime ad dignitatem presbyterorum amplificandam: 2. ex Georgio Homaidio, qui Eutychio quoad cætera consentiens, solam electionem commemorat apud Ecchellensem *cap. 14.*

INSTABIS 1. At juxta Eutychium presbyteri manuum impositione episcopum suum constituebant. Ergo revera consecrabant.

DISTINGUO antecedens: mannum impositione quæ pertinet ad electionem & confirmationem; concedo: ad consecrationem; nego. Id nempe ex Orientalium ecclesiarum ritibus repetendum, apud quas triplex etiamnum manus impositio in usu est: 1. populi totius præsulem suum designantis: 2. presbyterorum, cum eundem simul eligunt & postea electum approbant: 3. denique episcoporum electum & confirmatum consecrantium: de quo Ecchellensis *cap. 2.* Quod enim consecratio solis Episcopis propria esse existimaretur, hoc evincit Ecchellensis

ibidem & cap. 10. cum ex aliis Orientalium scriptis, tum ex ipsis ecclesiæ Alexandrinæ constitutionibus. " Episcopus, inquiunt illæ constitutiones, constituatur die dominico, omnibus consensum præbentibus de ipsius promotione, & populo ac sacerdotibus pro illo attestantibus. Episcopi autem, qui adsunt, ut manus ipsi imponerent, lavent manus suas, deinde consecrent illum, populo adstante cum silentio & timore, & elevent manus suas (id est populus & sacerdotes cum episcopis) super eum dicentes : *Imponimus manus nostras super hunc electum Deo &c.* .... post hæc autem imponat primus episcopus ex illis ei manum, & dicat formulam consecrationis seu Ordinationis; dicatque universus populus, *Amen*. Deinde osculentur eum episcopi, & dicant cuncti sacerdotes & populus: *Dignus*, *dignus*, *dignus*, & osculentur eum omnes, atque adprecentur ipsi pacem & salutem.

INSTABIS 2. At benedictio manuum impositioni adjuncta satis indicat hanc fuisse legitimam Ordinationem. Ergo.

DISTINGUO antecedens : si benedictio illa fuerit formula consecrationis; concedo : si fuerit duntaxat consensus signum, & gratulatio ob novum honorem; nego *Benedictionis* itaque vox plura apud Orientales sonat, videlicet consensum, gratulationem & inaugurationem : priori sensu accipitur, cum ad presbyteros & laicos, posteriori cum ad episcopos refertur, utpote cum episcoporum solummodo foret in Ordinationibus benedictionem dare sacramentalem, ut ostendit idem Ecchellensis *cap.* 3.

INSTABIS 3. At Eutychius *creandi* vocabulum usurpat, quod quidem de consecratione etiam intelligitur. Ergo.

RESPONDEO ambiguam esse hanc vocem, unde & laici ab Orientalibus scriptoribus aliquando dicuntur præsules suos creare : idem *cap.* 4. sic apud Eutychium ipsum Constans imperator dicitur alterum Episcopum ordinasse in locum Martini V. Romani Pontificis : " Cum hæc perpetrasset Constans, inquit, adversus Martianum patriarcham ..... ORDINAVIT (vel creavit) super Roma Patriarcham, hominem virtutibus insignem, qui dicebatur Eugenius. " *Ibidem* de Anastasio imperatore loquens. " Indignatus, inquit, Anastasius imperator exilio multavit Flavianum patriarcham Antiochiæ, & constituit Severum patriarcham Antiochiæ loco ejus. " Cæterum idem ipse probat *ibidem* cum ex veteribus Orientalium ecclesiarum monimentis, tum ex ipsis ecclesiæ Alexandrinæ constitutionibus, ubique, & speciatim in Alexandria, episcopos semper extitisse singulares, a presbyteris distinctos, eisque jure divino superiores, atque hanc fuisse omnium perpetuam fidem.

OBJICIES II. De Novato presbytero loquens Cyprianus *epist.* 49. " Ipse est, inquit, qui Felicissimum satellitem suum, diaconum, nec permittente me nec sinente, sua factione & ambitione constituit. "

Ita

Ita quoque teste Cassiano *collatione* 4. *cap.* 1. Daniel quidam abbas a B. Paphnutio presbytero ad diaconii est prolatus officium. Ergo presbyteri sacros Ordines conferebant.

Distinguo consequens : id est, conferri curabant ; concedo : per se ipsi conferebant ; nego. Quando ergo Novatus & Paphnutius perhibentur diaconos fecisse, id solummodo arguit eos studio & cura sua tantum effecisse, ut diaconi constituerentur. Hujus autem rei multa sunt argumenta.

Primum petitur ex ipsis Cypriani verbis, qui diserte pronunciat Novatum factione sua duntaxat effecisse, ut Felicissimus ad diaconatum eveheretur.

Secundum ex eo quod idem Novatus, qui primo dicitur diaconum fecisse in Africa, postea dicatur in Italia fecisse episcopum Novatianum : " Qui istic, inquit Cyprianus *ibidem*, adversus Ecclesiam diaco„ num fecerat, illic episcopum fecit. " At nemo dixerit episcopos unquam in Ecclesia Romana esse a presbyteris consecratos. Deinde vero ex epistola Cornelii pontificis apud Eusebium novimus Novatianum non a Novato, sed a quibusdam præsulibus imperitis ac temulentis fuisse ordinatum. Eodem ergo modo fecerat ante diaconum, quo postea episcopum fecit, id est, factione sua.

Tertium ex eo quod frequenter dicantur laici & imperatores Episcopos constituisse & ordinasse iis sæculis, quibus disciplina ecclesiastica omni ex parte constituta erat. Ita Epiphanius, qui tam diserte, tam luculenter ordinandi jus solis episcopis ascribit, *hæresi* 73. *num.* 28. refert orthodoxos populos ævo suo sibi episcopos constituisse. Ita teste Marcellino *in chronico* Belizarius Vigilium summum pontificem ordinavit. Sic Guillelmo Tyrio teste *lib.* 1. *historiæ*, *cap.* 1. Heraclius imperator Modestum Hierosolymorum patriarcham ordinavit. An vero illi hos episcopos, patriarchas & pontifices ideo consecrarunt? minime profecto ; sed ut consecrarentur & ordinarentur duntaxat effecerunt. Ergo idem est de aliis judicandum.

CAPUT II.

An Episcopi sint jure divino presbyteris superiores.

ASSERTIO.

Episcopi jure divino sunt presbyteris superiores.

Probatur 1. ex Scripturis, & quidem multipliciter.

Primo ex figuris veteris testamenti, quibus Deus adumbrari voluit novæ legis sacerdotium. Triplicem enim esse jussit apud Judæos tabernaculi ministrorum ordinem : quo, ut Patres monent, futuros in nova lege episcopos, presbyteros, & diaconos expressit.

Secun-

Secundo ex Prophetiis, quæ inspirante Deo editæ sunt. Ex iis enim sancti Ecclesiæ doctores, ut vidimus, episcoporum originem deprompserunt.

Tertio ex institutione ac distinctione Apostolorum ac septuaginta discipulorum a Christo facta: utrisque enim episcopos & presbyteros successisse antiqui testantur.

Quarto ex usu Apostolorum. Quis enim putet Apostolos aliter Ecclesiam constituisse, quam ipsis a Christo mandatum fuisset? At illi, ut ex ipsorum historia & exemplis evicimus, Episcopos singulares in ecclesiis constituerunt, eosque a presbyteris distinctos, & illis superiores. Ergo.

PROBATUR 2. ex communi Patrum doctrina, præsertim autem Clementis Romani, Ignatii martyris, Origenis, auctoris constitutionum apostolicarum, Cypriani, Epiphanii, Ambrosiastri, Hieronymi, Innocentii I. Chrysostomi, Isidori Pelusiotæ, Cyrilli Alexandrini, Synesii, Augustini, Salviani Massiliensis, Primasii, Gregorii magni, Isidori Hispalensis, Bedæ, Alcuini, Amalarii, Theodulfi Aurelianensis, Rabani, Hincmari, Reginonis, & aliorum quos *supra* allegavimus.

PROBATUR 3. ex vulgari Ecclesiæ doctrina. Vide quæ *supra* de Græcorum fidei formulis & synodo Tridentina disseruimus.

PROBATUR 4. ex Theologis. Ita quippe passim semper censuerunt Theologi, licet pauci dissenserint.

PROBATUR 5. ex ratione. Unicam afferemus, quod nempe juxta sanctos Patres ea regiminis forma ecclesiæ saluti necessaria sit, ne schismata oriantur: atqui Christus haud dubie Ecclesiæ suæ in necessariis non defuit. Ergo.

OBJECTIONES.

Quæcunque opponi contra possunt, ea jam dissolvimus, eo duntaxat excepto quod ex synodo II. Hispalensi depromi potest.

OBJICIES itaque. Synodus illa *ex novellis & ecclesiasticis regulis* repetit quod soli Episcopi Ordines sacros conferre, virgines consecrare, & alia id genus facere possint.

DISTINGUO antecedens: & *novellarum regularum* nomine intelligit novi fœderis leges, quas veteris testamenti institutis opponit; concedo: intelligit recentiores a conciliis fixas; nego.

INSTABIS 1. At novellas regulas ecclesiasticis conjungit. Ergo eædem utræque sunt.

DISTINGUO antecedens: conjungit, quod utræque in idem argumentum conspirent; concedo: quod eædem sint; nego. Scilicet ecclesiasticis regulis jus divinum sæpe declaratur: ideo ipsi non infrequenter adjunguntur.

INSTABIS 2. At eodem modo de sacris Ordinationibus, quo de vir-

gi-

ginum & Ecclesiarum consecratione loquitur, sicut & alii plures ex antiquis. Atqui hoc postremum juris est duntaxat ecclesiastici. Ergo & primum.

Distinguo majorem : eodem modo loquitur quoad reservationem ipsam; concedo : quoad jus quo reservatio innititur; nego. Conjungit itaque ista tanquam Episcopis solis reservata : & merito; omnia enim illa pariter Episcopo reservata sunt; sed vario jure, quod veteres non semper exprimunt : quamquam ideo forte synodus Hispalensis novi testamenti regulis ecclesiasticas conjunxit, ut innueret diversa utriusque esse consecrationis fundamenta.

ARTICULUS III.

De jurisdictione, officiis, & gradibus Episcoporum.

SECTIO PRIMA.

De Jurisdictione.

Quæres 1. an Episcopis insit cum in plebem christianam, tum in presbyteros ipsos, uno verbo in omnem Ecclesiam cui præsunt, jurisdictio.

Respondeo ita esse. Actuum enim 2. *Attendite vobis*, inquit Paulus Episcopis, *& universo gregi in quo vos Spiritus-sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*. 1. Petri 5. 1. *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Ita etiam docent sancti Patres, quorum testimonia *supra* laudavimus.

Quæres 2. an istam jurisdictionem a Deo & Christo habeant.

Respondeo ita esse : idque 1. contra Joannem de Turre-cremata, qui *lib.* 2. *summæ de Ecclesia*, *cap.* 54. existimat ipsos etiam Apostolos non a Christo sed a Petro jurisdictionem suam immediate accepisse : 2. contra Bellarminum qui *lib.* 4. *de summo Pontifice*, *cap.* 22. *& seq.* docet Apostolis quidem omnibus tributam fuisse a Christo jurisdictionem, sed Episcopos tamen a solo Pontifice Romano jurisdictionem suam immediate habere.

Probatur 1. de Apostolis. 1. enim Christus omnes Apostolos ipse elegit, *Lucæ 6.* 13. *Joan.* 6. 71. 2. Iisdem omnibus simul ligandi & solvendi potestatem fecit, *Matth.* 18. 18. 3. Ipsos iisdem verbis sacerdotes creavit, *Lucæ* 22. 19. 4. Cunctos simul in universum orbem ad fundandas & regendas ecclesias misit, eodem, quo ipse a Patre missus fuerat, modo, idest cum amplissima jurisdictione, Joan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos :* quem locum mirifice in rem nostram exponunt Chrysostomus, Cyprianus, Theophylactus. 5. Cum Mathias in locum Judæ suffectus est, a nullo auctoritatem accepit; sed una Dei vo-

voluntas & gratia implorata est, qua Apostolus fieret. *6.* Paulus asserit *cap.* 1. *&* 2. *ad Galatas*, se apostolum esse, *non* quidem *ab hominibus neque per hominem*, *sed per Jesum-Christum & Deum Patrem*. Addit eos, qui inter Apostolos præcipui erant, Petrum, Jacobum & Joannem, nihil sibi contulisse; imo hac de causa se ad eos non accessisse statim post vocationem suam. 7. Denique idem Paulus ad Ephes. 4. 11. *Posuit* (Christus, inquit, *in Ecclesia Apostolos*, *&c.* Nemo autem nescit omnes Apostolos summam auctoritatem habuisse, ut patet *ex* 1. *ad Cor. cap.* 5. 6. 7. 11. *&* 14. *&* 2. *cap.* 1. *&c.*

Probatur 2. de Episcopis 1. Quia Apostolis successerunt, ut constans est veterum Patrum doctrina. Jam vero qui succedit alicui, eadem cum ipso jura habet. Et vero cur summus Pontifex primatum habere creditur in universa Ecclesia, nisi quia Petro succedit, cui primatus ille datus a Christo fuerat? Cur ergo idem de Episcopis non statuamus. 2. Quia *Actorum* 20. Paulus Episcopos alloquens *Attendite*, inquit, . . . *universo gregi in quo vos Spiritus-sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*. At regere sonat *jurisdictionem*. 3. Quia antiqui doctores sic tradunt: Ignatius, Origenes, Cyprianus, Bernardus *de consideratione*, & alii. 4. Quia ex synodo Tridentina hierarchia est a Deo instituta. At hierarchia principatum & jurisdictionem arguit: ad hierarchiam autem Episcopos præcipue pertinere idem concilium docet. 5. Quia Apostoli cum fundarunt Ecclesias, in iisque Episcopos constituerunt, nunquam iis mandavere ut a Petri successore jurisdictionem suam peterent, neque id unquam in veteri Ecclesia usurpatum est *6.* Quia ad XIII. sæculum Episcopi, non ut nunc plerisque in locis, *Apostolicæ sedis beneficio*; sed tantum *divina gratia*, *miseratione*, *patientia*, *permissione*, se episcopos nuncupabant. De quo consule Thomassinum *disciplinæ ecclesiasticæ parte* 1. *lib.* 1. *cap.* 59. 7. Quia cum hoc sæculo quidam duas istas propositiones protulisset: I. " Episcopi a summo " Pontifice jurisdictionem accipiunt, quam in populos sibi subditos post- " modum exerceant: "II. Si episcopi a Deo potestatem suam accipiunt, " jam statuenda est omnimoda Episcopos inter & summum Pontificem " æqualitas, omnisque subordinatio perit: " sacra Facultas Parisiensis primam quidem judicavit falsam, verbo Dei contrariam, & olim a sacra Facultate jam reprobatam; secundam vero damnavit ut falsam, temerariam, & præbentem occasionem subvertendi Ordinem hierarchicum, præsertim vero primatum summi Pontificis.

Objicies. Si Episcopi jurisdictionem suam a Christo habeant, æqualem omnes & singuli habebunt, cum Christus singulorum limites non fixerit. Atqui hoc absurdum est. Ergo.

Respondeo 1. revera, ut loquitur S. Cyprianus, episcopatum in omnibus unum esse: *epist.* enim 52. " Est a Christo, inquit, una Ec- " clesia per totum mundum in multa membra divisa: item episcopa- " tus unus Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus. "

De

De unitate autem *Ecclesiæ*, " Episcopatus , inquit , unus est , cujus a „ singulis in solidum pars tenetur: Ecclesia quoque una est, quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur . " Neque vero id summi Pontificis primatui officit : ut enim omnium Apostolorum eadem in universum orbem missio fuit, nec tamen id impedrit quominus omnium caput esset Petrus; ita de episcopis & summo Pontifice proportione servata judicandum est. " Hoc erant utique, inquit idem „ Cyprianus *ibidem*, & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus , pari consortio potiti honoris & dignitatis : sed exordium ab unitate proficiscitur : primatus Petro datur, ut una Christi ecclesia, & cathedra una „ monstretur. Et pastores sunt omnes; sed grex unus ostenditur, qui ab „ Apostolis omnibus unanimi consensione pascatur.

Respondeo 2. cum tamen Christus prævideret Ecclesiam suam amplificandam fore, ipsum voluisse ut episcopi variis affigerentur locis , in quibus solis extra necessitatis casum, eam quam habent in Ecclesia jurisdictionem exercerent. Hinc Ignatius ait episcopos per terminos constitutos esse ex Jesu-Christi sententia.

Respondeo 3. Ecclesiæ deinceps judicio esse relictum , ut unicuique episcopo proprios ac certos limites assignaret, qui idcirco pro variis locis ac temporibus varii esse possunt.

SECTIO II.

De Episcoporum Officiis.

VAria sunt episcoporum officia, quæ hic breviter exequemur.

Primum est in ecclesia sibi commissa residere, quod & Scriptura jubet, & sacri canones decernunt, & ipsa ratio dictat. Vide synodum Tridentinam *sess. 6. cap. 1.* & *sess. 23. de reformat. cap.* item 1. ubi non obscure hæc residentia juris esse divini declaratur.

Secundum illic pascere gregem Dei sacramentorum administratione, & verbi divini, si legitime impediti non fuerint, prædicatione, *Actuum* 20. 1. *Petri* 5. & synodi Tridentinæ *sess. 5. cap. 2.*

Tertium diœcesim sibi creditam frequenter per se ipsos lustrare, *sess. 22. cap. 3. sess. 23. cap.* item 3.

Quartum ita affixos esse gregi suo, ut eum, ne sæviente quidem persecutione aut lue, deserant. Ita docet Cyprianus *de fuga sua*, Augustinus *epist. ad Honoratum*, &c. Adde vitam Gregorii-magni, & S. Caroli Borromæi, nec non & Fagnanum *in lib. 3. decretal. part. 1. pag. 79.*

Alia, quæ satis nota sunt, prætermittimus.

SE-

SECTIO III.

De variis Episcoporum Gradibus.

Quintuplex distingui potest Episcoporum gradus : 1. isque supremus, Romani Pontificis : 2. Patriarcharum : 3. Exarcharum, seu Primatum : 4. Metropolitarum : 5. simplicium Episcoporum.

Ut autem, quæ de iis a nobis breviter dicenda sunt, facilius teneantur, observandum est Ecclesiæ disciplinam, quoad hoc caput, ad imperii formam fere semper exactam esse.

Jam vero in toto imperio Romano unus erat vulgo Imperator.

Sed quemadmodum imperium in duas tribuebatur partes, Occidentalem nimirum & Orientalem; ita sub uno Imperatore duo erant olim præfecti prætorio : postea quatuor; in Occidentali duo, alter Italiæ, alter Galliarum; totidem in Orientali, unus Illyrici (Orientalis,) alter Orientis (speciatim ita dicti.)

Sub dispositione præfecti prætorio Italiæ diœceses erant tres, Italia, Illyricum (Occidentale) & Africa. Italiæ erant provinciæ septemdecim, Illyrici sex, Africæ septem.

Sub dispositione præfecti prætorio Galliarum tres itidem erant diœceses, Hispaniæ, Galliæ, Britanniæ: Hispaniarum provinciæ erant septem, Galliarum septemdecim, Britanniarum quinque.

Sub dispositione præfecti prætorio Illyrici (Orientalis) duæ erant diœceses, Macedonica, & Dacica : Macedonicæ sex erant provinciæ, Dacicæ quinque.

Sub dispositione autem præfecti prætorio Orientis diœceses erant quinque, Oriens (ita stricte dictus,) Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracica.

Orientis (sic stricte dicti) provinciæ quindecim, Syriæ duæ, Palæstinæ tres, Phœniciæ duæ, totidem Ciliciæ, Cyprus, Arabia, Isaurica, Osrhoena, Mesopotamia.

Ægypti provinciæ sex, Libiæ duæ, Thebais, Ægyptus, Arcadia, Augustamnica.

Asiæ vero provinciæ decem erant, Ponticæ decem, Thracicæ sex.

Has diœceses sub præfectis regebant vulgo vicarii; sub vicariis provincias singulas proprii præsides administrabant.

In imperio autem Romano tres primum extiterunt urbes præcipuæ, Roma scilicet, Alexandria, & Antiochia. Istis accessit postmodum Constantinopolis, quæ *novæ Romæ* donata nomine, mox post antiquam primas habuit.

Eo itaque ferme modo

Primo Romanus Pontifex in universo orbe Christiano primatum semper habuit, non honoris tantum, sed etiam jurisdictionis, idque jure divino.

Se-

Secundo tres duntaxat initio extiterunt Patriarchæ, Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus : quanquam id nomen non nisi V. sæculo iis, ac primum quidem Romano Pontifici, ascribi cœptum est. Sed iis postea adjunctus est Constantinopolitanus, ac secundus post Romanum factus. Quintus denique ac omnium postremus creatus est Hierosolymitanus. Qui principio essent Patriarchatus Romani limites, nondum est apud eruditos fixum. Alexandrino autem parebant Ægypti diœceses, ut & Orientis Antiocheno : sed Constantinopolitano tres simul attributæ sunt, Asiana nimirum, Pontica, & Thracica. Tres autem Palæstinæ cum aliis nonnullis ex Orientis diœcesi avulsæ in Hierosolymitanum transcriptæ sunt.

Tertio præter illas tres præcipuas sedes quæ in Ecclesia semper eximiæ fuerunt dignitatis, & duas illis adjectas quæ *patriarchicæ* nuncupabantur, aliæ erant *exarchicæ* seu *primatiales* dictæ. Exarchæ & primates pluribus quoque provinciis præerant, nec minore primo quam Patriarchæ ipsi auctoritate. Insignes præ cæteris erant Ephesinus Asianæ diœceseos, Cæsariensis Ponticæ, & Heracleensis Thracicæ princeps. Hi a nullo Patriarcha pendebant initio; sed postea Constantinopolitano subditi sunt. Non minoris olim nominis & potestatis in Africa fuit Carthaginensis. An aliquos olim primates, & quos habuerit Gallia, adhuc sub judice lis est.

Quartus ergo gradus est Metropolitarum, qui unius solummodo provinciæ curam sustinent.

Quintus denique simplicium Episcoporum, qui Metropolitis subjecti unam in provincia civitatem præcipuam eique contributas parœcias regunt.

Episcopus presbyteros creat, ad synodum vocat, eosque judicat; Episcopos Metropolita; Metropolitanos Primas; Primates Patriarcha : ea saltem sunt eorum jura; quamvis ubique eadem non fuerint. Sed de his alibi fusius.

ARTICULUS IV.

De consecrationis Episcopalis ministro ac ritibus.

QUÆRES 1. an soli episcopi possint alios consecrare.

RESPONDEO id ex antedictis satis superque constare.

QUÆRES 2. quot olim episcopi ad alicujus episcopi consecrationem requirerentur.

RESPONDEO 1. plures vel inter initia religionis nostræ ad id esse adhibitos : sic Apostolus Timotheum admonet ne gratiam negligat sibi datam cum impositione manuum presbyterii : quod de Episcopis explicant antiqui.

RESPONDEO 2. non videri primis temporibus episcoporum numerum ita

ita fixum fuisse: unde canon Apostolicus I. " Episcopus, inquit, a duo-
" bus vel tribus Episcopis ordinetur. " Ita quoque auctor *consti. Apost. lib.9. c.p.27.*

QUÆRES 3. quot deinde necessarii esse judicati sint.

RESPONDEO tres saltem fuisse juxta Ecclesiæ regulas necessarios: ita enim edicunt 1. varia concilia, Arelatense I. *can.* 2. Nicænum I. *can.* 4. Carthaginense II. *can.* 12. III. *can.* 30. Arelatense II. *can.* 5. Nicænum II. *c n.* 3. Aquisgranense I. *can.* 9. Taurinense *cap.* 2. Regense *can.* 1. Arausicanum I. *can.* 1. Constantinopolitanum anno 1170 apud Beveregium *ad can.* 2. *Apost.* quæ quidem postremæ tres Synodi depositionis pœnam ea de causa, si id defuerit, infligunt. 2. Pontifices Romani, Siricius *epist.* 4. *c p.* 1. Innocentius I. *epist.* 2. *cap.* 1. Leo *epist. ad Rusticum Narbon. cap.* 1. Gregorius Magnus *in responsis ad Augustinum Angliæ episcopum*; & Gregorius III. *epist. ad episcopum Mogunt.* 3. Scriptores antiqui non pauci, Isidorus Hispalensis *lib.* 2. *de ecclef. officiis*, Rabanus *de institut. Clericorum*, *lib.* 1. *cap.* 4. Bennasalus *in collection canonum cap.*5. apud Beveregium *supra*.

QUÆRES 4. an plures illi, aut tres episcopi, ita ad id necessarii fuerint, ut episcopatus aliter collatus nullus fuerit,

RESPONDEO non ita necessario fuisse.

Primo enim inter ipsa Christiani nominis exordia verisimile est unumquemque Apostolum per se solum, cum necessitas id postulabat, episcopos in ecclesiis quas fundabat, consecrasse. Ita Clemens a Petro, Annianus a Marco &c. consecrati fuisse perhibentur.

Secundo Auctor *Constitutionum lib.* 8. *cap.* 27. illud idem in eodem casu permittit, ut & Gregorius Magnus *in epistola ad Augustinum*, *ut supra*. Idem insuper Æthiopico Patriarchæ Catholico concessisse fertur Gregorius XIII. Henriques *summæ tom.*4. *cap.* 20.

Tertio nonnulla sunt in eam rem exempla, eaque in Ecclesia probata: sic apud Theodoretum *lib.* 5. *cap.* 23. Paulinus Antiochiæ Episcopus Evagrium in sui locum solus consecravit: sic etiam, teste Anastasio, Pelagius I. summus pontifex a duobus tantum Episcopis, & uno Presbytero est ordinatus. Imo id fuisse Romani Pontificis peculiare jus, ut Episcopos solus ordinare posset, indicat Ferrandus *Breviarii cap.6.*

QUÆRES 5. a quonam olim consecrarentur Episcopi.

RESPONDEO Episcopos simplices ad XII. usque sæculum a Metropolita suo fuisse ordinatos: Metropolitam vero a totius provinciæ Episcopis in synodo, quod vulgatissimum est.

QUÆRES ultimo quinam essent ritus in Ordinationibus episcoporum usurpari soliti.

RESPONDEO plurimos fuisse præter illos quos, ubi de materia & forma episcopatus, recensuimus.

Quod enim spectat ad electionem,

Pri-

Primo, ut mortem oppetierat Episcopus, statim de electione cogitabatur, & ad eam peragendam breviffimum tempus fixum erat. Epiphanius *hæresi 69.* synodus Carthaginensis V. *cap.* 8. Chalcedonensis *canon.* 25. Gregorius Magnus *lib.* 6. *epistola* 14. & 39. Concilium Vernense anno 755. *canon.* 17. Hincmarus *epistola* 12. *cap.* 5. Clerus Remensis *de electione Arnulphi archiepiscopi*; synodus Lateranensis sub Innocentio II.

Secundo ad id Episcopi metropolitani, & sede vacante, Capituli Metropolitani petebatur assensus. Acta Guillelmi Majoris episcopi Andegavensis, *Spicilegii tom.* 10. & Martenius, *pag.* 324.

Tertio electioni prævium erat triduanum jejunium. Synodus Barcinonensis anno 599. *cap.* 3. Acta S. Bassiani Laudensis episcopi *apud Bollandum* 19. *Januarii*; S.Salvii Ambianensis *ibid. die undecima*; Conradi episcopi Constantiensis *apud Surium die* 26. *Novembris*: adde Historiam Episcoporum Altissiodorensium; Vitam S. Consortiæ virg. Aniani Aurelianensis, Evurtii, epistolas Hincmari &c. Aliquando divina revelatio expectabatur.

Quarto electioni intererant vicini episcopi, clerus civitatis, primores ejusdem loci, plebs, ipsique aderant monachi. Severus Sulpicius *in vita B. Martini*; Hincmarus ad Hedenulphum Laudunensem episcopum; Hugo Flaviniacensis *in Chronico*, *pag.* 243. &c.

Quinto electio in ecclesia fiebat. Acta Sancti Nicolai, Concilium Ephesinum *par.* 3. *cap.* 14. vita Guillelmi Majoris episcopi Andegavensis &c.

Sexto electo statim ab omnibus fausta acclamabantur, & electio ex pulpito palam ac publice denunciabatur. Philostorgius *lib.* 6. *cap.* 10. Acta designationis Eradii *inter epistolas Sancti Augustini*, Valesius *ad librum* 6. *Eusebii cap.* 29. Joannes Thiers *in opusculo de Ambone*, &c.

Septimo omnium manibus subscriptum electionis decretum ad Metropolitanum mittebatur: Sozomenus *lib.* 3. *hist. cap.* 16. Concilium Chalcedonense *action* 16. *Appendix tom.* 2. Conciliorum Galliæ; Gregorius Magnus *lib.* 2. *epist.* 19. 38. 61. &c. Hocque decretum ab ipso diligenter expendebatur: Justinianus *in opere adversus Origenis errores tom.* 5. *Conc. pag.* 670. synodus Nicæna II. *can.* 2. acta Concilii Constantinop. sub Nicephoro anno 814. acta Bonifacii Moguntini; Diurnus Romanorum Pontificum; epistola Gerberti; Syn. Toletana XI. *can.* 9. & 10. Adrianus I. *epist.* 7. Rituales antiqui plures, &c.

Quod vero pertinet ad consecrationem, 1. electus a Metropolitano examinabatur, præsertim quoad fidem, cujus formulam proferebat, & super altari reponebat: 2. idem Metropolitano suo obedientiam pollicebatur: 3. præviam Ordinationi diem quodam in secessu jejunus transigebat: 4. ipsius capiti cervicibusque imponebatur codex evangeliorum: 5. eidem Pontifex consecrans manus imponebat, & prolixam

ſimul orationem fundebat : 6. ſequebatur capitis ac manuum unctio , annulique & baculi paſtoralis traditio : 7. Epiſcoporum aut nobilium virorum manibus recens conſecratus ad ſedem epiſcopalem deferebatur : 8. hoſtiam integram a conſecrante accipiebat , ex qua cum eadem die , cum aliis conſequentibus triginta aut quadraginta, corpori Chriſti communicabat: 9. ei tradebatur evangeliorum codex. 10. nomen ſæpe novum aſſumebat.

Poſt conſecrationem denique Epiſcopus recens ordinatus 1. litteras in teſtimonium conſecrationis ſuæ a Metropolitano accipiebat : 2. nudis plerumque pedibus ad civitatem , quam recturus erat, primum accedebat : 3. fidei ſuæ formulam , in teſſeram communionis , ad alios epiſcopos mittebat.

De his conſule Hugonem Menardum *ad ſacramentarium Gregorii*, Martenium *cap.*8. *art.*1. & alios.

A P P E N D I X

De Chorepiſcopis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Chorepiſcoporum nominibus & eorum in Eccleſia uſu.

CHorepiſcopi nomen Græcum eſt ex duobus vocabulis conflatum, *Epiſcopi* nimirum quod *inſpectorem*, & χώρας quod *locum*, *agrum*, *pagum*, *rus*, *provinciam*, ac *regionem* ſonat.

1. Itaque Chorepiſcopi idcirco vocantur *Epiſcopi villani* ſeu *vicani* , in Capitulari Aquiſgranenſi anni 803., *tom.* 1. *Baluz. pag.* 381. & ab Hincmaro *opuſculo* 33. *cap.* 16. *pag.* 427. quia nempe , ut legitur in canonibus Nicænis Arabicis , " Chorepiſcopus eſt loco Epiſcopi ſuper villas , & monaſteria , & ſacerdotes villarum, quæ ſub poteſtate ejus ſunt.

2. Ab alia ejuſdem vocis ſignificatione, ſeu potius officio , nominantur *vicarii Epiſcoporum* , a Ferrando *Breviarii cap.* 79. & 80. Creſconio *cap.* 96. Iſidoro *de officiis lib.*2. *cap.*6. Rabano *de inſtitutione clericorum lib.*1. *cap.*5. Hincmaro *opuſculo* 35. *pag.* 602. & *in capitularibus anni* 789. *cap.*9. *pag.*217. &c.

3. Eadem de cauſa appellantur *miniſtri* , & *adjutores Epiſcoporum* in Capitulari Ludovici Pii anno 828. ſynodo Aquiſgran. an. 836. *cap.*4. & cæteris.

Abſurde autem Rabanus *ſupra* , & Honorius Auguſtodunenſis *lib.* 1. *Gem-*

Gemmæ, *cap.*182. *Chorepiscopos* ita dictos putant, quod essent *de choro sacerdotum*.

Quocirca Chorepiscopi in vicis ac pagis erant constituti, ut omnibus Ecclesiis, earumque ministris ac pauperibus, qui in iis erant, invigilarent vice Episcoporum in urbibus degentium, ad quos præcipua quæque negotia referebant.

Quæres I. quandonam in usu primum esse cœperint.

Respondeo juxta quosdam in Ecclesia semper extitisse Chorepiscopos: ita enim e nostris opinantur nonnulli, v. g. Petrus Maturus *in notis ad Antoninum*, *tit.* 7. *cap.* 2. & alii recentiores, ex heterodoxis autem longe plures, in eo causæ suæ servientes, Godofredus scilicet Vendelinus *in divinatione ad Clementis epistolam tom.* 1. *Cotelerii pag.* 139. Salmasius apud Petavium *de Ordine ecclesiastic. lib.* 2. *pag.* 73. Blondellus *in apologia Hieronymi*; Isaacus Vossius *epist.* 2. *tom.* 2. *Cotelerii pag.* 443. Basnagius *lib.* 1. *hist. cap.* 5. *&c.*

Hujus autem sententiæ non pauca fundamenta recensentur.

Primum, quod Linus, & Cletus a multis veteribus perhibeantur non fuisse Romani post Petrum pontifices, sed ipsius fuisse, dum adhuc viveret, coadjutores, & coepiscopi, seu, ut loquuntur recentiores, *Chorepiscopi*. Ita de Lino & Cleto statuunt auctor epistolarum priscis Pontificibus suppositarum, in Joanne III. Rabanus *de Chorepiscopis*; Haymo *apud Antoninum supra*; Marianus Scotus *ad annum Christi* 59. & 70. Auctor anonymus *compilationis historicæ post Marianum Scotum*, *pag.* 710. Martinus Polonus *in Lino*; idem ipse Antoninus *ibid.* Vincentius Bellovacensis; Hugutio, Cusentinus, Onuphrius *in vitis Romanorum Pontificum*, & alii.

Secundum quod Clemens Romanus *epist.* 1. *nu.* 42. asserat Apostolos dum prædicarent evangelium episcopos constituisse *κατὰ χώρας καὶ πόλεις*, seu, ut ipsi interpretantur, *per vicos & urbes*. Quamvis enim, inquiunt, vox illa *χώρας* ambigua sit & *regionem* ac *provinciam* significare etiam possit; attamen hic urbibus opponitur, atque adeo de *pagis* accipienda est.

Tertium quod apud Eusebium *lib.* 5. *historiæ*, *cap.* 16. Zoticus quidam commemoretur episcopus Comanensis, qui Montanistas confutaverit. Comana autem vicus fuit.

Quartum quod epistola synodi Antiochenæ adversus Paulum Samosatenum *lib.* 7. *historiæ Eusebii cap.* 30. inter ipsius adjutores reponantur *Episcopi vicinorum pagorum & civitatum*, *ἐπισκόπους τῶν ὁμόρων ἀγρῶν τε καὶ πόλεων*.

Quintum quod apud eundem Eusebium *lib.* 8. *historiæ cap.* 13. Sylvanus martyr referatur, *earum quæ circa Gazam erant ecclesiarum episcopus*, *ἐπίσκοπος τῶν ἀμφὶ τὴν Γάζαν ἐκκλησιῶν*.

Sextum quod juxta Epiphanium *hæresi* 30. *pag.* 128. & 136. Judæorum patriarcha Ellel cum morti proximus esset in urbe Tiberiensi, vici-

vicinum hujus civitatis, atque adeo ruris, coepiſcopum ad ſe vocaverit.

Septimum quod ſynodus Neocæſarienſis *can.* 14. dicat Chorepiſcopos eſſe inſtitutos ad ſeptuaginta diſcipulorum formam, atque adeo ipſis ſuccedere debuerint.

Octavum quod *actione 6.* concilii Epheſini *pag.* 688. *& actione* 1. concilii Chalcedonenſis, *pag.* 295. quidam extent Quartodecimanorum Chorepiſcopi. Ergo, inquiunt, Chorepiſcopi erant in uſu, antequam hæreſis iſta oriretur: non enim illa a Catholicis mutuata eſſet Chorepiſcopos. Atqui ſub fine ſecundi ſæculi Quartodecimani eruperunt. Ergo primis Eccleſiæ temporibus Chorepiſcopoporum uſus obtinuit.

Verum iſta levia ſunt, aut ad rem non pertinent.

Ac primum quidem nihil probat, idque triplici de cauſa: 1. enim qui allegati ſunt *ſupra* ſcriptores, ii ſunt recentiores, quam ut contra veterum teſtimonia in tanta antiquitate fidem facere poſſint: 2. non de Chorepiſcopis, ſed, ut loquuntur, de Coepiſcopis intelligendi ſunt. Mirum profecto eſſet Romæ fuiſſe tunc Chorepiſcopos, quo tempore nullibi erant; cum Romæ contra nulli fuerint eo etiam tempore, quo alibi erant frequentiſſimi: nullum enim deinceps occurrit Chorepiſcoporum in Italia veſtigium.

Secundum non magis ferit, tum quia Græca vox non de *vicis*, ſed de *regionibus & provinciis*, ut interpres recte vertit, accipienda eſt; tum quia ſi de *vicis* accipiatur, inde tantum colligi poteſt in vicis, ſicut & in urbibus conſtitutos fuiſſe Epiſcopos, quod non inficiamur; non vero iſtos pagorum epiſcopos fuiſſe epiſcopis urbium ſubditos, & quaſi eorum vicarios, quod omnes *Chorepiſcoporum* nomine intelligunt.

Tertium, quartum, quintum, & ſextum ad rem non faciunt. Hinc enim duntaxat elicere eſt in vicis aliquando collocatos eſſe Epiſcopos propter vulgarem Eccleſiæ diſciplinam; non autem illos fuiſſe aliis ſimplicibus urbium epiſcopis obnoxios, quod, ut modo notatum eſt, inquirimus.

Septimum nullius quoque eſt roboris: quandocunque enim creati fuerint Chorepiſcopi, ad ſeptuaginta diſcipulorum formam, qui in inferiori gradu poſiti Apoſtolis in ſubſidium dati fuerant, inſtitui potuerunt.

Octavum denique imbelle momentum eſt: quid enim obſtat quominus Quartodecimani iſtam Eccleſiæ diſciplinam, ut pote commodam, in ſuum uſum aſciverint? Adde quod ii Quartodecimani forte poſt inſtitutionem Chorepiſcoporum ab Eccleſia receſſerant, circa tempora Concilii Nicæni.

Quocirca longe veroſimilius eſt, quod vulgo ſtatuunt eruditi, Chorepiſcopos videlicet nonniſi longe poſt Apoſtolorum ætatem natos eſſe. Cum enim in omnibus trium priorum ſæculorum monimentis, quæ plurima ſunt, & in conſtitutionibus ipſis apoſtolicis, quæ minima quæ-

que

que recensent, altissimum sit de iis silentium; de iisdem vero contra frequentissima mentio fiat IV. sæculo, eoque ineunte a synodi Neocæsariensi, tanquam in usu jam positi, memorentur; quis ex eo non statim ac sponte eruat hoc eodem sæculo, aut potius paulo ante, institui cœpisse?

QUÆRES 2. ubinam in usu fuerint.

RESPONDEO 1. in Orientali Ecclesia eos fuisse IV. sæculo frequentissimos.

Ac 1. quidem in Pontica diœcesi, ut liquet ex *can.* 14. synodo Neocæsariensis (quæ omnium prima de iis locuta est, *canone* 13. Ancyranæ, *can.* 8. *&* *subscriptionibus* Nicænæ) *canone* 2. Chalcedonensis, Basilio *epist.* 181. *ad Chorepiscopos* & 418. nec non & Gregorio Nazianzeno *in carm. de vita sua*.

2. In Ægyptiaca ex Athanasio *apolog.* 2.

3. In Orientali ex synodo Laodicena *can.* 57. ut quibusdam placet; Antiochena *can.* 10. Nicæna *in subscriptionibus*; Chalcedonensi *pag.* 329. *&* 800. & Theodoreto *epist.* 113. *&* 116.

4. In Asiana ex synodo Ephesina *supra*, & Chalcedonensi *actione* 16. *pag.* 804.

In Thracica vero, quod equidem sciam, non comparent.

RESPONDEO 2. eosdem in Occidentalibus ecclesiis V. sæculo primum memorari, nempe in synodo Regensi anni 439. *can.* 3. ab eo autem tempore universas Gallias pervaserunt, in quibus etiam maximos aliquando motus excitarunt, ut postea videbimus, *ex responsis* Leonis III. *tom.* 2. *pag.* 239. & Nicolao papa *tom.* 3. *pag.* 35. ex synodis Parisiensi VI. an. 829. *can.* 27. Aquisgranensi II. an. 836. *c.* 4. Meldensi an. 845. *c.* 44. & Metensi, an. 888. *c.* 8. ex capitularibus regum nostrorum, Hincmaro, Rabano, & aliis IX. sæculi monimentis.

Speciatim autem celebrantur 1. in Lugdunensi prima. Ecclesiæ enim Lugdunensis duo insignes referuntur Chorepiscopi; primus nomine Agobardus, qui & Leidrado Archiepiscopo Lugdunensi successit, de quo Ado *in Chronico ad annum* 810. alter Audinus, de quo Mabillonius *tom.* 4. *sæculorum Benedictinorum*, *pag.* 582. & tabularium ecclesiæ Gratianopolitanæ *fol.* 14. Ita quoque in tabulario S. Benigni Divionensis e diœcesi Lingonensi Bertilo chorepiscopus abbas nuncupatur: apud Berardum *pag.* 148. 150. 151. *&* 157.

2. In Lugdunensi quarta: de iis enim prolixe agunt synodi Parisiensis & Meldensis in ista provincia.

3. In Belgica prima, cujus caput est civitas Trevirorum: Chorepiscopos enim habuit 1. Ecclesia ipsa Trevirensis, de quibus Brouverius *annalium Trevirensium lib.* 10. *cap.* 11. *&* *lib.* 11. *num.* 112. quos inter eminuit Theganus Trevirensis chorepiscopus, qui vitam Ludovici pii conscripsit, de quo Valafridus, Strabo, Duchesnius *tom.* 2. *historicorum Franciæ*, & Cointius *tom.* 8. *annalium*, *ad an.* 835. *num.* 83. 2. Eccle-

sia Metensis, ut patet ex Metensi Synodo : præterea vero diplomati Angilrami Metensis episcopi subscripsit Fredalius chorepiscopus : 3. Ecclesia Virdunensis : ut enim legere est apud Bercarium *in historia Episcoporum Virdunensium*, *num.* 13. quidam Amalbertus chorepiscopus eam per duodecim annos vacante sede rexit.

4. In Belgica secunda, cujus Metropolis civitas Remorum. In concilio enim Carisiaco an. 849. & Suessionensi an. 853. cum episcopis sedit Rigboldus chorepiscopus sanctæ ecclesiæ Remensis : in priori autem cum ipso Witaus ecclesiæ Cameracensis chorepiscopus.

5. In Viennensi: quandoquidem in ecclesiæ Viennensis tabulario *fol.* 20. mentio fit cujusdam Constantii chorepiscopi. Vide & *tom.* 12. *spicilegii*, *pag.* 154.

6. In Aquitanica prima : sic enim Chronicon Ademari Cabannensis. " Eblus, inquit, trigesimus nonus a B. Martiale episcopus (Le-„ movicensis) fuit, & ad onus episcopale sufferendum ordinavit sub se „ chorepiscopum Benedictum.

7. In Germanica prima. Rabanus enim Moguntinus Regimboldum habuit chorepiscopum, ad quem epistolam scripsit. Adde Rudolfum presbyterum in ejusdem Rabani vita *num.* 13. *parte* 2. *IV. sæculi Benedictini*, Candidum in vita Eigilis abbatis Fuldensis *parte* 1. *ejusdem sæculi*, *pag.* 227. & Brouverium *in antiquitatibus Fuldensibus lib.* 1. *cap.* 3. *& lib.* 2. *cap.* 15. illic enim præter hunc Regimboldum alter ecclesiæ Moguntiacæ chorepiscopus reperitur nomine Humbertus. Ipsum denique Rabanum adi *tom.* 6. *operum*, *pag.* 50. in præfatione libri *de sacris Ordinibus* ad Thiotmarum, quem ut chorepiscopum a se designatum videtur compellare.

8. In Germanica secunda : Joannes enim chorepiscopus a Bartholomæo Fizen *in floribus historiæ Leodiensis*, ubi de Wazone, memoratur.

9. In Germania interiore : in metropoli quippe Salisburgensi *tom.* 1. *pag.* 131. occurrit ecclesiæ Frisingensis chorepiscopus.

In Hispanias quoque, judice Baluzio *in notis ad Capitularia Francorum regum*, *pag.* 1237. Chorepiscopi penetrarunt. Et vero ipsorum juxta multos codices meminit synodus Hispalensis II. *can.* 7. nec ab Isidoro Hispalensi *lib.* 2. *de divinis officiis* prætermittuntur. Negat tamen Morinus *exercit.* 4. *cap.* 1. Chorepiscopos unquam in Hispaniis viguisse. Quidquid autem ea de re sit,

In Britanniis certe quosdam extitisse discimus a Gervasio Dorobernensi *in historia pontificum ecclesiæ Cantuariensis* : narrat enim in ea fuisse Chorepiscopum, qui in ecclesia S. Martini extra Cantuariam manebat.

At quod observatione dignum est, Italiæ, Illyrico, & Africæ penitus ignoti fuisse videntur : in nullis sane harum regionum conciliis aut monimentis deprehenduntur. Quod enim Ferrandus Carthaginensis diaconus, & Crisconius episcopus Afer, eos commemorent, id non ex ec-

clesiæ

clesiæ suæ usu, sed ex aliarum provinciarum synodis, quarum summam exhibere sibi proposuerant, haud dubie deprompserunt.

Quæres 3. quandonam in Ecclesia usurpari desierint.

Respondeo 1. cum VIII. sæculo Chorepiscopi molesti & graves Episcopis suis evasissent, acresque adversus eos querelæ instituerentur, Leonem III. a Carolomagno consultum edixisse, ne Chorepiscopi fierent, ut cernere est in Capitulari anni 799. imo etiam imperasse, ut omnes jam constituti in exilium mitterentur. Sed frustra: nihilominus enim in ecclesiis exinde perseverarunt; sive id Episcoporum humanitate; sive desidia, sive principum benignitate aut avaritia id factum sit.

Respondeo 2. in Germania XII. sæculo jam pridem fuisse extinctos, ita ut viros etiam doctos, quod Chorepiscopi quondam extitissent, plane fugeret. Hinc enim natus est Sigberti error *ad annum* 384. " Damascenus papa, inquit, decrevit ne quid contra Episcopos præ„ sumant archidiaconi, qui dicuntur Chorepiscopi, id est regionum vel „ villarum episcopi: " eos autem ubique per Occidentales ecclesias hoc ipso aut etiam XI. sæculo abolitos fuisse docet Gervasius Dorobernensis *supra*. Cum enim ipse XII. sæculo vixerit, de Lanfranco qui XI. floruit loquens, " Habebat etiam quondam, inquit, Cantuariensis „ Archiepiscopus Chorepiscopum quemdam, qui in ecclesia S. Martini „ extra Cantuariam manebat, qui adveniente Lanfranco deletus est, „ sicut ubique terrarum factum esse audivimus. " Hinc etiam Wazo Leodiensis qui XI. quoque sæculo magna sanctitatis opinione vixit, *in epistola ad Joannem præpositum*, apud Anselmum *in historia Leodiensi cap.* 8. " Coepiscopos, inquit, & archidiaconos ob insolentiam removit „ Ecclesia: unde & his caret usque in præsens metropolis Colonia & „ tota provincia. " Id enim de Chorepiscopis intelligendum esse plures censent, quod tamen cum iis, quæ *supra* de Chorepiscopis Leodiensibus dicta sunt, ægre conciliatur.

Respondeo 3. eadem circiter ætate Chorepiscopos in Oriente passim exolevisse. Id enim testatur Balzamon, qui XII. & XIII. sæculo vixit, *in can.* 1. *synodi Ancyranæ*: cum nempe is canon de Chorepiscopis aliquid decernat, ut intelligatur, Balzamon lectores remittit ad synodum Neocesariensem & Basilium: tum vero sic pergit: " Ac de „ præsenti quidem canone, inquit, quædam scribere volebamus, sed „ quoniam Chorepiscoporum gradus omnino exolevit, neque nos ina„ nem frustra laborem suscipere voluimus.

Respondeo 4. in patriarchatu Alexandrino Chorepiscopos etiamnum obtinere: imo juxta Cyrillum, qui hoc sæculo Alexandriæ Patriarcha fuit, cujusque litteras anno 1612. ea de re in Walachia scriptas commemorat Petrus de Marca *lib.* 2. *Concordiæ*, *cap.* 14. ad finem, hos solos jam cum Patriarcha ibi esse, deletis Episcopis, quod ab annis circiter ducentis factum esse Cyrillus ille asseverat. Vide & Morinum

cap. 6. num. 4. An autem hæc cum Vanslebio teste oculato *in historia ecclesiæ Alexandrinæ* cohæreant, aliorum esto judicium.

RESPONDEO 5. eosdem adhuc in usu videri esse apud Syros & alios Orientales populos : de quo consule librum ritualem Maronitarum 2. *parte Morini*, *pag.* 415. *& ipsius notas*, *pag.* 491. canones Arabicos, qui in his ecclesiis maximæ sunt auctoritatis *tom. 3. perpet. fidei*; Wanslebium, &c.

RESPONDEO 6. Chorepiscopos etiamnum extare in ecclesiis Trevirensi & Coloniensi; sed a priscis Chorepiscopis diversæ omnino conditionis. In ecclesia enim Trevirensi sunt adhuc quatuor eo nomine dignitates, supremus Chorepiscopus S. Petri &c. in Coloniensi vero, teste Molano, *lib. 2. de Canonicis*, *cap. 32. Chorepiscopus* vocatur subdiaconorum primus : in omnibus autem Coloniæ ecclesiis præcentor eodem nomine appellatur, quod nempe choro præsit. De postremis ejusmodi Chorepiscopis consule synodum Coloniensem anni 1260. *cap. 9. & 20.*

QUÆRES 4. quinam in eorum locum, cum abrogati fuere, substituti sint.

RESPONDEO 1. apud Græcos Chorepiscoporum locum deinceps Exarchos tenuisse : id enim perhibet scholiastes Harmenopuli *ad titulum 9.* " Chorepiscopi, inquit, sunt qui nunc vocantur *Exarchi*, sive ad " Patriarcham spectent, sive ad Metropolitanum. " Ii porro Exarchi sunt quidam a Patriarchis vel Metropolitis ad visitanda monasteria, ad Monachorum mores corrigendos, litesque dirimendas delegati : de quibus lege *librum 6. juris Græco-Romani*, Cangium *in Glossario Græco*, &c.

RESPONDEO 2. in occidentali ecclesia ipsis successisse præ cæteris archidiaconos : hinc Wazo *supra* & Sigebertus eos cum archidiaconis confuderunt : sic in Metropoli Salisburgensi *tom. 3. pag.* 340. quidam refertur Chorepiscopus sive archidiaconus Ratisponensis ecclesiæ : imo jam ab anno 1049. ecclesiæ Metensis archidiaconus major *Chorepiscopi* nomine donabatur, ut conspicere est apud Meurissium *in illius ecclesiæ historia pag.* 255.

ARTICULUS II.

De officiis & juribus Chorepiscoporum.

DE Chorepiscoporum officiis libellum edidit Ebbo archiepiscopus Remensis, qui extat *in appendice ad Flodoardum* a Jacobo Sirmundo publica luce donatum.

Ex illo nos & antiquis Conciliis ecclesiasticisque scriptoribus præcipua duntaxat breviter attingemus.

Primum itaque fuit regere creditas sibi ruris ecclesias. Synodus Antio-

tiochena *can.* 10. de Chorepiscopis, " Sanctæ, inquit, synodo placuit ut „ modum proprium recognoscant, ut gubernent sibi subditas ecclesias" &c. qui quidem canon ab omnibus fere qui de Chorepiscopis deinceps egerunt exscriptus est. Adde canones Arabicos concilii Nicæni 58. 64. &c.

Secundum easdem visitare. Synodus Laodicena *can.* 57. " Non oportet, inquit, in vicis & pagis Episcopos constitui, sed Periodeutas, hoc est circumcursatores: " quod quidem de Chorepiscopis vulgo docti accipiunt: quanquam id in dubium, nec immerito sane, revocari potest: de quo consule Græcos interpretes. Quidquid sit, liquet secundum hoc officium ex primo necessarie sequi.

Tertium singularem pauperum curam habere. Synodus Neocæsariensis *can.* 13. Basilius *epist.* 418. Rabanus *lib.* 1. *cap.* 5. canones Arabici 55. &c.

His autem aliisque Chorepiscoporum officiis plura annexa erant jura.

Primo enim peregrinantibus formatas seu canonicas aut pacificas ad Episcopos litteras dabant. Synodus Antiochena *can.* 8. " Chorepiscopi inquit, nulli reprehensioni affines dent pacificas.

Secundo etsi in pagis degebant, clero tamen civitatis erant ascripti, & in ea offerre & sacrum facere poterant. Synodus Neocæsariensis *can.* 13.

Tertio minores Ordines conferebant ad diaconatum usque. Synodus Antiochena *can.* 10. " Constituant autem, inquit, lectores, hypodiaconos, & exorcistas, & eorum promotionem sufficere sibi existiment: nec presbyterum nec diaconum ordinare audeant absque urbis episcopo, cui subjicitur ipse & regio. " Subdiaconatum tamen excipiunt aliquando Galli. Vide capitulare anni 799. *nu.* 2. *&c.*

An vero minores hos Ordines conferrent propria potestate & ordinario jure, non consulto prius Episcopo civitatis, quæstio est inter eruditos.

Liberam hancce facultatem concedere eis videtur synodus Antiochena: in eo enim minores istos Ordines opponit majoribus, quod majores conferre non possent Chorepiscopi citra licentiam & mandatum Episcopi: ergo alios citra ejusmodi mandatum largiri poterant. Et vero hunc canonem ita interpretantur Isidorus *lib.* 2. *de officiis*, *cap.* 6. synodus Aquisgranensis I. *can.* 9. Harmenopulus *in epitome canonum*; Balzamon, Zonaras, & alii.

Sed alia ex parte contradicit Basilius, *epist. ad Chorepiscopos*: de ministris enim id genus loquens, " Hæc quidem, inquit, examinabant „ presbyteri & diaconi, qui cum eis versabantur: referebant autem ad „ Chorepiscopos, qui acceptis suffragiis a sinceris testibus, & eorum „ admonito episcopo, ministrum deinde in sacerdotalem (ecclesiasti- „ cum) numerum cooptabant. *Ibidem* addit ita ab antiquis conciliis

esse

esse definitum : tum ut hoc ipsum deinceps observetur imperat : sic, quod notat idem Harmenopulus *supra*, concilium VII. *can.* 14. Chorepiscopis quidem potestatem facit lectoris constituendi, sed non sine consensu episcopi.

Omnia hæc simul conciliabuntur, si dixerimus diversos variis temporibus ac locis mores extitisse. Monere tamen juvat non hoc ita accipi oportere, quasi hac auctoritate Chorepiscopi privari non potuerint : synodus enim Regensis *can.* 3. Armentarium quidem Chorepiscopum fieri permittit, sed ea lege ut nunquam in civitatibus offerre præsumat, nec ordinare vel ultimum clericum.

Quarto majores etiam Ordines conferebant, si tamen Episcopi civitatis consensus, & mandatum prius accessisset : id colligitur ex *can.* 10. synodi Antiochenæ *supra*, & iis omnibus sive conciliis, sive scriptoribus, a quibus hic canon allegatus est.

At gravis controversia est, an id omnibus Chorepiscopis competeret; an vero illis tantum, qui forte episcopali Ordinatione ornati fuerant : quod postmodum expendemus.

Quinto confirmationis Sacramentum etiam administrabant & quidem multo magis. Id enim Armentario mox nominato conceditur. Idem ipsis permitit Rabanus *supra*.

Sed de hoc capite eadem est quæ de superiori disputatio.

Verum cum hoc utrumque jus nec omnibus Chorepiscopis, ut nobis quidem videtur, nec nisi extra ordinem quibusdam competeret; ideo antiqui canones generatim ac vulgo pronunciant non licere Chorepiscopis majores Ordines aut sanctum chrisma conferre, virgines aut ecclesias consecrare : quod postea passim videbimus.

QUÆRES an unus & idem Chorepiscopus omnium ruris ecclesiarum, Episcopo cuipiam subjectarum, curam sustineret.

RESPONDEO 1. unicum vulgo in unaquaque diœcesi Chorepiscopum extitisse, qui omnibus vicorum & pagorum ecclesiis simul præesset. Veteres enim in unaquaque diœcesi singulares Chorepiscopos appellant : hinc etiam Chorepiscopus dicitur *villanus episcopus*. Quod etiam asserit Thomassinus *parte* 3. *lib.* 1. *cap.* 11. *num.* 1.

RESPONDEO 2. plures aliquando Chorepiscopos sub uno eodemque civitatis Episcopo fuisse : Gregorius enim Nazianzenus *in carmine de sua vita*, testis est Basilium quinquaginta sub se Chorepiscopos habuisse. Idem erui potest ex Athanasio *Apologia* 2. *num.* 85. ubi sic ait : " Mareotes, inquit, regio est Alexandria, in qua nunquam episcopus fuit, " aut Chorepiscopus, sed universæ illius regionis ecclesiæ Alexandrino " parent episcopo. Presbyteri autem singuli suos habent vicos maximos, qui decem circiter sunt, imo plures numero. " Atque adeo innuit sanctus doctor in tractu illo Mareotico Chorepiscopum esse potuisse. Ergo variis diœceseos Alexandrinæ regionibus, nisi quid obstaret, præpositi erant & affixi Chorepiscopi.

RES-

Respondeo 3. Chorepiscopum aliquando uni duntaxat ruris ecclesiæ præfuisse. Ita synodus Regensis, sæpe jam memorata, Armentarium quidem creari Chorepiscopum permittit, sed ea tamen conditione ut intra unius Ecclesiæ limites sese contineat, nec duarum simul administrationem obtinere possit.

ARTICULUS III.

An Chorepiscopi per sese veri nominis Episcopi forent.

Non quærimus hic an e Chorepiscopis aliqui forte episcopi extiterint, id enim in dubium nullus revocat; sed an omnes Chorepiscopi tales fuerint; uno verbo an Chorepiscopi per sese & ex officii sui natura episcopi essent; an vero per accidens duntaxat, ut loquuntur scholæ.

ASSERTIO.

Chorepiscopi per sese presbyteri tantum erant, & per accidens duntaxat episcopi.

Probatur 1. ex synodo Ancyrana, quæ omnium prima de Chorepiscopis mentionem fecit: ea autem *can.* 13. sic habet: " Chorepiscopis non licet presbyteros & diaconos ordinare. " Ergo Episcopi non erant: inauditum enim est Episcopis legitime institutis, nec officio per Ecclesiasticam censuram interdictis, presbyteros & diaconos ordinare non licuisse, cum opus foret, in locis sibi subjectis. Atqui, si adversarios audimus, Chorepiscopi omnes veri nominis episcopi erant, legitime instituti ad pagorum ecclesias regendas: atque adeo consequens est, ut, nisi censura aliqua intercessisset, in his ecclesiis diaconos & presbyteros ordinare possent, cum usus id flagitabat. Atqui Ancyrana tamen synodus eis Ordinum istorum collationem, quæ Episcopis propria est, interdicit. Ergo non erant veri nominis Episcopi.

Nec dicas id esse datum civitatum dignitati, ut earum Episcopi soli presbyteros & diaconos ordinarent.

Hoc enim falsissimum est. Nempe in vicis aliquando constituti fuerunt veri nominis Episcopi, qui a Metropolitano solo ut civitatum Episcopi pendebant, quamquam præter communem Ecclesiæ disciplinam, ut ex historia ecclesiastica novimus: idque in Arabia præsertim & Africa, frequentatum fuit. At constat hos Episcopos in vicis constitutos, quandiu ibi tolerabantur, ordinandi potestatem plenam habuisse. Ergo id non erat civitatibus proprium ac singulare. Cum itaque hi ordinarent, quia episcopi erant; si non ordinabant Chorepiscopi, ex eo consequitur ipsos episcopos non fuisse.

Pro-

PROBATUR 2. & quidem efficacius, ex synodo Neocæsariensi : *canone* enim 13. " Presbyteri ruris, inquit, in ecclesia civitatis, Episco-„ po præsente vel presbyteris urbis ipsius, offerre non possunt. . . Si „ vero absentes hi fuerint, & ad dandam orationem vocentur, soli da-„ re debebunt. Chorepiscopi quoque ad exemplum quidem & formam „ septuaginta videntur esse : ut comministri autem, propter studium „ quod erga pauperes exhibent, honorentur (seu, ut græce est, *offe-„ rant honorati*.)

Quo quidem in loco, ut vis ejus pateat, duo observanda sunt.

Primum, idque præcipuum, quod nempe Chorepiscopi dicantur hic in Ecclesia fuisse ad formam septuaginta, sive seniorum, illorum, qui Moysi a Deo in subsidium dati sunt, sive potius eorum discipulorum, quos Christus post Apostolos elegit ad sacrum ministerium.

Jam vero eo sæculo, quo synodus Neocæsariensis habita est, & consequentibus, pervulgatissima hæc duo apud omnes extiterunt: primum, hos septuaginta seniores Moyse, & hos septuaginta discipulos duodecim Apostolis fuisse Ordine & gradu inferiores ; alterum, eorum septuaginta locum tenuisse exinde presbyteros, Moysis autem contra & Apostolorum Episcopos : quod quidem, etiam ipsis tacentibus, ex primo necessarie sequeretur. Si enim septuaginta discipuli alterius ab Apostolis Ordinis & gradus fuerint, id est secundi & inferioris, iis soli certe succedere possunt presbyteri, qui in eodem quoque secundo ac inferiori gradu & Ordine positi sunt ; non vero Episcopi, qui in supremo fastigio collocati, ab omnibus idcirco statuuntur Apostolis successisse. Itaque utrumvis dicatur, perinde est : ambo enim eodem recidunt : nemo etenim potuit existimare discipulos illos fuisse in alio quam Apostolos & inferiore Ordine, quin idem simul senserit eosdem in Ecclesia formam & figuram fuisse presbyterorum. At constans vulgo omnium hæc doctrina semper extitit, ut ex *supra* allegatis Patrum testimoniis liquet. Vide quarto sæculo Gregorium Nyssenum, & Ambrosium, si tamen verus est sermonis ibi adducti parens ; quinto Hieronymum & Chrysostomum ; sexto Gregorium magnum, quem laudat Amalarius ; septimo Isidorum Hispalensem ; octavo Bedam, qui addit neminem hac de re dubitare ; nono Amalarium, Theodulfum, Rabanum, Hincmarum, & Ordinem divinorum officiorum, quo cuncti tunc & a multo tempore utebantur ; decimo Reginonem ; undecimo Theophylactum ; duodecimo Hugonem Victorinum.

His nunc adjunge scholas theologicas, quæ inde Episcoporum a presbyteris distinctionem & eminentiam derivarunt, necnon & eos qui de hoc capite adversus postremas hæreses decertarunt, qui eodem illas telo confodiunt.

Denique idem profecto sentiebant Neocæsariensis synodi Patres : cur enim aliter quam omnes ea de re sensisse existimarentur ? Præterea an

non

non illud innuit tacita ea Chorepiſcoporum cum presbyteris ruris comparatio : " Chorepiſcopi quoque , inquiunt , ad exemplum quidem " &c. Quid deinde aliud ſignificat tacita inſuper , quæ ſequitur , oppoſitio inter hunc Chorepiſcoporum gradum , & honorem qui ipſis nihilominus tribuitur ? quaſi nempe dicerent ii Patres : Chorepiſcopi quidem ſunt & ipſi quoque , ſicut & presbyteri ruris de quibus modo dictum eſt , ad imaginem ſeptuaginta diſcipulorum : quamvis autem ſint ex eo duntaxat Ordine, & præterea per ſeſe non fiat ex presbyterio civitatis; attamen propter ſtudium quod exhibent erga pauperes , in ipſa civitate nihilominus offerre poterunt , & quidem honorari, hoc eſt præ ipſius civitatis presbyteris.

Quapropter qui inde non colligit Chorepiſcopos non fuiſſe ſimplices presbyteros, is 1. Præſulum Neocæſarienſium mentem non ſatis capit : 2. idem Catholicorum adverſus hæreticos cauſam incautus prodit: 3. tandem conſtanti Patrum ſententiæ adverſatur.

Neque vero eſt quod dicas veteres de hac presbyterorum origine a ſeptuaginta diſcipulis derivanda non cogitaſſe ; ſed octavo demum aut nono ſæculo iſtud ſcriptoribus eccleſiaſticis in mentem forte incidiſſe ut aſſererent presbyteros ſeptuaginta diſcipulis , Epiſcopos autem Apoſtolis ſucceſſiſſe.

Præterquam quod enim id minus vere dicitur, ut ex modo prolatis ſcriptoribus conſtat , eſto id octavo demum aut nono ſæculo ſit excogitatum : inde ſemper effloreſcet , noſtro quidem judicio , invictum argumentum , quanquam non ejuſdem cum ſynodo Neocæſarienſi antiquitatis . Nam ii ipſi qui illa ætate id dixerunt de presbyteris, iidem ſimul definierunt Chorepiſcopos his ſeptuaginta diſcipulis ſucceſſiſſe ; in eamque rem hunc ipſum ſynodi Neocæſarienſis canonem adduxerunt . Ergo 1. quidem illi putarunt ſynodum Neocæſarienſem Chorepiſcopos pro presbyteris duntaxat habuiſſe : 2. ſaltem ipſi in ea ſententia verſati ſunt: alioquin pugnaſſent ipſi ſecum . Si enim Apoſtolis ſoli Epiſcopi , & ſeptuaginta diſcipulis ſoli presbyteri ſucceſſerunt , hinc evidenter conſequitur Chorepiſcopos idem omnino cum presbyteris eſſe , ſaltem juxta illos qui ita de presbyteris pronunciarunt . At qui octavo & nono ſæculo , fatentibus etiam adverſariis , utrumque paſſim pronunciatum eſt . Ergo communis erat tum hæc de Chorepiſcopis doctrina . Atqui iidem adverſarii confitentur non aliam fuiſſe octavo & nono ſæculo de Chorepiſcopis doctrinam , quam antea fuiſſet . Ergo perpetua hæc fides extiterat: imo , quod adhuc luculentius eſt , plerique ea ætate hanc ſynodi Neocæſarienſis ſententiam uſurparunt , ut probarent Chorepiſcopos non epiſcopos , ſed ſimplices presbyteros eſſe. Ergo ipſi ita ſentiebant , & juxta eoſdem , etiam ſynodus Neocæſarienſis.

Ac proinde ex primo illo capite non mediocre robur accipit aſſertio noſtra.

Se-

Secundum autem quod observatione dignum esse notavimus, est ratio quam affert synodus, cur scilicet Chorepiscopi in ipsa civitate offerre debeant cum presbyteris ejusdem civitatis. Hanc enim desumit ex eo quod Chorespiscopi pauperum curam habeant, & ideo debeant honorari. At inepta esset hæc ratio, si Chorepiscopi præterea veri nominis extitissent episcopi: nam episcopatus ipse longe potior titulus ac ratio fuisset, cur ita honorari debuissent. Quorsum ergo episcopatum filet, in quo is honor longe potiori jure fundari potuisset? Ideo sane quod nullus esset: alias absurde omnino essent locuti, qui levem sanctionis suæ causam allegassent, & firmissimam, quæ obvia erat omisissent.

PROBATUR 3. ex synodo Antiochena. *Canone* enim 10. " Ii, inquit, qui sunt in vicis & regionibus, vel qui *Chorepiscopi* nominantur; etiamsi impositionem manuum Episcoporum acceperint, placuit sanctæ synodo ut suum modum sciant, & sibi subjectas Ecclesias administrent, earumque cura & moderamine contenti sint. Constituant autem lectores & subdiaconos & exorcistas, & eorum promotionem sibi sufficere existiment: presbyterum autem, & diaconum ordinare non audeant sine Episcopo civitatis, cui ipse & regio subjicitur: . . . Chorepiscopus autem fiat ab Episcopo civitatis cui subjicitur.

Hoc autem in canone, quemadmodum in superiori, duo notanda veniunt.

Primum est, duplex Chorepiscoporum genus non obscure hic secerni: primum, eorum qui non fuerant ut episcopi consecrati: alterum contra eorum qui hanc consecrationem forte acceperant: hæc enim particula, *etiamsi*, quandam indicat exceptionem, præsertim autem græce ubi cum optativo modo conjungitur, & quandam potentialitatem extraordinariam, ut ita loquar, sonat, εἰ καὶ χειροθεσίαν εἶεν ἐπισκόπων εἰληφότες, quod ita vertit Dionysius Exiguus: " Quamvis manus impositionem Episcoporum acceperint, & ut episcopi consecrati sint.

Et vero si notum fuisset & ubique pervulgatum omnes, & sine ullo discrimine Chorepiscopos veri nominis episcopos fuisse, superfluum fuisset id addere, & notare: cum ergo hæc nota, & additio a Patribus posita dici nequeat, nulla alia causa afferri potest cur ea posita sit, quam quod Chorepiscopi ea Ordinatione insigniti non essent.

Atque id profecto pro sua sagacitate, & linguæ græcæ peritia acute senserunt Balzamon, & Zonaras græci hujus canonis interpretes: " Quia vero, inquit Balzamon, nonnulli ex Chorepiscopis conabantur ordinare sacerdotes . . . . quod episcopalem manuum impositionem accepissent " &c. Zonaras, " Ne quem, inquit, in vico aut parva urbe episcopum liceat constitui, sexto Sardicensis synodi canone

none decretum est. Pro iis ergo in ejusmodi locis presbyteri vel Chorespiscopi creabantur. Hos ergo Chorepiscopos ultra potestatis suæ li-
„ mites progredi vetat . . . . Lectores, hypodiaconos, exorcistasque
„ constituant : a diaconis sacerdotibusque creandis absque urbani Epi-
„ copi facultate abstineant, etiamsi episcopali Ordine aliquando insi-
„ gniti fuissent : (græce κἂν ἔτυχον etiamsi forte aliquando insigniti
„ fuissent.) Atque adeo, juxta hos Græcos interpretes, nonnulli duntaxat e Chorepiscopis hanc Ordinationem acceperant, nec per se & semper ea erant insigniti, sed forte tantum & aliquando. Generatim autem Chorepiscopi non erant Episcopi; sed potius cum Episcopos in pagis constitui non liceret, eorum loco subrogati sunt eadem qua presbyteri ratione. Id autem adeo verum est, exceptionem scilicet hic fieri, ut Ferrandum *cap.* 79. exceptione omissa, ex eo canone sicut & Ancyrano *supra*, nihilominus colligat generatim Chorepiscopis nec diaconos nec presbyteros ordinare licuisse.

Secundum est, Chorepiscopum hic in universum dici ab uno tantum Episcopo consecrari : quod quidem alterum assertionis nostræ luculentissimum argumentum est. Constat enim juxta canones & sanctos Patres pro legitima nunquam his sæculis habitam esse Episcoporum Ordinationem ab uno, imo & a duobus solum Episcopis factam : adeo ut non tantum improbaretur illa Ordinatio; sed etiam irrita esse decerneretur : ut patet ex synodo Regensi *can.* 3. Arausicana I. *can.* 21. &c. Episcopi ergo canonice debebant a tribus saltem Episcopis consecrari. Atqui contra Chorepiscopi canonice ab uno tantum consecrari poterant, & vulgo consecrabantur. Ergo veri nominis Episcopi non erant.

Nec dicas Ordinationes Episcoporum aliquando esse factas ab uno duntaxat aut duobus Episcopis.

Id enim non negamus : sed ante Nicænum concilium, quod legem fixit; aut si post, in casu necessitatis. At Chorepiscopi extra necessitatis casum post Nicæni concilii tempora passim, & vulgo ab uno Episcopo ordinabantur. Ergo nedum hinc elicere quis possit Chorepiscopos veri nominis episcopos extitisse, contra ex eo colligere quivis potest illos tales non fuisse.

Nec addas hujusmodi consecrationem episcopalem ab uno factam non fuisse nullam.

Fatemur enim non fuisse nullam; sed canonica saltem non erat nec legitima: at canonica contra & legitima erat Chorepiscopi consecratio ab uno peracta : ergo hæc non erat episcopalis consecratio.

Certe si Chorepiscopi veri nominis erant episcopi, non minus a tribus Episcopis debebant ordinari, quam illi Episcopi, qui in pagis & vicis aliquando creati sunt; eadem enim est utrorumqne ratio juxta adversarios. Atqui certum est ad ejusmodi Episcoporum creationem non minus tres Episcopos fuisse requisitos, quam ad consecrationem

nem illorum qui in urbibus constituebantur: canones enim non distinguunt Episcopos urbium & pagorum, sed generatim & nullo discrimine pronunciant episcopum esse non posse, qui non fuerit saltem a tribus Episcopis consecratus.

Deinde ex Hispanicæ Ecclesiæ historia novimus improbatam maxime fuisse consecrationem Episcopi alicujus, qui ab unico Episcopo, etiam in vicino pago, constitutus fuerat. Ergo &c.

Gallicani sane præsules cum VIII. & IX. sæculo evincere voluerunt Chorepiscopos veri & nominis episcopos non esse, eo maxime argumento usi sunt, quod non a tribus Episcopis pro vulgari more Ecclesiæ & regula, sed ab uno tantum ordinarentur.

PROBATUR 4. ex synodo Laodicena: *canone* enim 57. " Non oportet, inquit, in vicis & regionibus Episcopos constitui, sed circuitores: eos autem qui prius constituti fuerunt, nihil agere sine consensu Episcopi civitatis: similiter autem & presbyteros nihil agere sine consensu Episcopi.

Hic tria, quæ nobis favent, animadvertenda sunt.

Primum est, a synodo Laodicena improbari & damnari pravum illum morem, qui ibi inoleverat, Episcopos in pagis & vicis constituendi; & contra regulam figi ne in posterum id fiat.

Quæ quidem regula in utraque deinceps Ecclesia firmius obtinuit: canon enim Laodicenus in codicem universæ Ecclesiæ relatus, magnæ ubique auctoritatis fuit. Præterea vero idem sancitum ante fuerat a synodo Sardicensi, atque id ex veteri consuetudine. Ut enim *supra* vidimus Athanasius *Apologia* 2. asserit in Mareotico tractu numquam episcopum esse constitutum, quod in eo nulla civitas esset, sed aliqui tantum pagi; imo ne Chorepiscopum quidem. Vide insuper Leonem Magnum *epist.* 85. Zachariam pontificem *epist. ad Bonifacium*; concilium Parisiense anni 573. Toletanum XII. *can.* 4. &c. Hinc tot querelæ adversus Episcopos in pagis aut castellis constitutos, quas historia ecclesiastica suppeditat. Hæc itaque regula exinde pervulgatissima fuit, ne in vicis & pagis constituerentur Episcopi. Atqui contra juxta Ecclesiæ regulas in pagis & vicis constituebantur Chorepiscopi, & post synodum Laodicenam, Sardicensem & alias constituti sunt. Ergo Chorepiscopi ab Episcopis diversi erant.

Nec dicas nonnullos tamen exinde referri Episcopos in pagis collocatos.

Id enim non inficiamur: sed præter communem Ecclesiæ disciplinam, aut urgente necessitate. At contra ex communi Ecclesiæ diciplina, & vulgo, Chorepiscopi in iisdem pagis, unde abesse debebant Episcopi, creabantur. Ergo ipsi episcopi non erant.

Atque hoc etiam momentum adversus Chorepiscopos torquent Gallicani præsules ac synodi: quod arguit quanti sit illud roboris.

Secundum est, quod Episcoporum loco in vicis creari jubeantur

dein-

deinceps circuitores, quod plerique de Chorepiſcopis intelligunt: quod ſi ita eſt, inde conficimus, non epiſcopos, ſed ab epiſcopis diverſos fuiſſe Chorepiſcopos: ſed eo lubenter ſuperſedemus, quippe qui non niſi certa confectemur.

Tertium, quod qui in pagis antea epiſcopi conſtituti erant nec ab Epiſcopis civitatum pendebant, ii impoſterum Epiſcopis civitatum ſubjiciantur: ac proinde ex epiſcopis Chorepiſcopi fiant. Ex quo perſpicuum eſt, hos Chorepiſcopos ex priori Ordinatione ſua epiſcopos veros extitiſſe. Eo autem aſtruitur, quod *ſupra* explicuimus, duplex Chorepiſcoporum genus, quorum alii epiſcopi non erant; alii vero per accidens, fortuito caſu, & aliam ob cauſam epiſcopali conſecratione inſigniti reperiebantur.

PROBATUR 5. ex Theodoreto. *Epiſtola* enim 113. *ad Leonem ſummum pontificem* ſcripta, poſtquam multis de Dioſcoro Alexandrino conqueſtus eſt, a quo per vim, nulla ſervata judiciorum forma, abſens condemnatus & epiſcopatu dejectus fuerat: " Hæc, inquit, per reve- „ rendiſſimos Deoque chariſſimos presbyteros Hypatium & Abramium „ chorepiſcopos, & Alypium monachorum, qui apud nos ſunt, exar- „ chum, ſanctitati veſtræ ſuggeſſi. " *Epiſtola* autem 116. *ad Renatum Romanæ urbis presbyterum*, poſt multa de eodem judicio dicta, " Pro- „ pterea Deo chariſſimos presbyteros Hypatium & Abramium chore- „ piſcopos . . . . . ad pietatem veſtram miſi. " Utrobique, ut manifeſtum eſt, Hypatius & Abramius *presbyteri* nominatur. Atqui tamen iidem dicuntur *Chorepiſcopi*. Ergo omnes Chorepiſcopi veri nominis epiſcopi non erant; ſed tantum vulgo presbyteri.

PROBATUR 6. ex ſynodo Hiſpalenſi anni 619. *canone* 7. non qualis ex nonnullis codicibus editus eſt a Loaiſa & conſequentibus Conciliorum compilatoribus; ſed qualis in antiquis eorumdem editionibus a Merlino & Crabbo adornatis, comparet, qualis ab Iſidoro Mercatore VIII. ſæculo exſcriptus eſt, qualis denique etiamnum extat in antiqua collectione canonum, quæ eodem VIII. ſæculo non poteſt eſſe recentior. Vide *tomum* 11. *ſpicilegii*, *in præfatione & pag.* 170. ibi ergo " „ Septimo examine relatum eſt nobis, inquiunt Patres, veneratiſſimum „ quondam Agapium Corduenſis urbis epiſcopum frequenter Chorepiſ- „ copos vel presbyteros deſtinaſſe (qui tamen juxta canones unum ſunt,) „ qui abſente pontifice altaria erigerent, baſilicas conſecrarent: quod „ quidem non eſt mirum id præcepiſſe virum eccleſiaſticis diſciplinis „ ignarum " &c.

De hoc quidem canone lis eſt inter eruditos. Cum enim codices varient, & alii quidem, quos edidit Loaiſa *Chorepiſcoporum* vocabulum & parentheſim non habeant, alii autem contra, diſputatio non levis eſt utra lectio ſit verior: aliis *Chorepiſcoporum* nomen, poſtquam odioſi Epiſcopis evaſerant, a quibuſdam ſynodo temere inſertum fuiſſe aſſerentibus; aliis contra *Chorepiſcoporum* vocem ibi, ut in pleriſque aliis mo-

 nimen-

nimentis, deletam post extinctos ubique Chorepiscopos existimantibus, quibus favet Isidorus qui VIII. sæculo ita canonem exscripsit, & laudata a nobis collectio canonum ejusdem cum Isidoro ætatis aut eo etiam sorte antiquior, quæ ipsum eodem exhibet modo. Vide Blondellum *de Episcopis pag.* 75. Quesnellum *tomo* 2. *operum S. Leonis*, *pag.* 631. Petrum de Marca *lib.* 2. *Concord. cap.* 13. Daguire *in notis ad hanc synodum*; Baluzium *in notis ad capit. tom.* 2. *pag.* 1237.

Quidquid sit, inde constat VII. sæculo, quo celebrata est synodus illa, Chorepiscopos a præsulibus pro presbyteris esse habitos: aut si hæc lectio postmodum synodo inserta est, id saltem VIII. sæculo, quo ita passim legebatur, hanc fuisse vulgarem de Chorepiscopis sententiam.

PROBATUR 7. ex epistolis Damaso, Leoni magno & Joanni III. ascriptis, in collectione Isidori Mercatoris.

Damasus itaque *epist.* 5. " De Chorepiscopis, inquit, de quibus nos „ consulere voluistis, quale sit eorum ministerium, ...: vel si liceat „ eos fieri, an non; quia audivimus eos jam esse prohibitos, nihil vo- „ bis certius respondere videtur nobis, quam olim a prædecessoribus „ nostris decretum reperimus, ut eis ad veniam nihil aliud prorsus re- „ servetur, quam privatio sacri ministerii quod illicite assumpserunt, „ quia prohibiti tam ab hac sacra sede, quam a totius orbis fuerant „ Episcopis . . . . . . Quod ipsi iidem sint qui & presbyteri suf- „ ficienter invenitur, quia ad formam, & exemplum septuaginta in- „ veniuntur prius instituti . . . . . . Quod enim episcopi non sint, „ qui minus quam a tribus sunt ordinati Episcopis, omnibus patet " &c.

Leo I. *epistola* 88. idem habet cum canone VII. synodi Hispalensis II. quem modo protulimus: " Relatum est nobis, inquit, quod „ quidam . . . . Episcopi frequenter Chorepiscopos (qui juxta cano- „ nes Neocæsarienses, sive secundum aliorum decreta Patrum, iidem „ sunt qui & presbyteri) vel presbyteros destinarent, qui absente „ Pontifice altaria erigerent, basilicasque consecrarent . . . . . . Hæc „ omnia illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum & formam septua- „ ginta discipulorum esse noscuntur, vel presbyteris qui eandem gestant „ formam, quoniam, quanquam consecrationem habeant, pontificatus „ tamen apicem non habent.

Joannes III. *epistola unica* " Perlatum est, ait, ad sedem apostoli- „ cam, quod quidam Chorepiscopi . . . . donum sancti spiritus per „ impositionem manuum tradant, & alia, quæ solum Pontificibus „ debentur, contra fas peragant, præsertim cum nullus ex septuagin- „ ta discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt, legatur donum „ Spiritus sancti per manus impositionem tradidisse . . . . . . Omnia „ quoque concilia affirmant eum non Episcopum esse, qui minus „ quam a tribus Episcopis fuerit factus Episcopus . . . . . . Si ergo

„ Epi-

„ Episcopi non sunt, & presbyteri . . . . . . esse despiciunt, quid „ erunt?

Hæ epistolæ, ut manifestum est, diserte pronunciant Chorepiscopos, non veri nominis episcopos, sed presbyteros tantum extitisse. Sed de his an genuinæ sint dubitatur: imo quin suppostitiæ sint, fere non dubitatur.

Si genuinæ porro essent, id argumentum foret omni exceptione majus.

At etiamsi existimentur adulterinæ, nihilominus huic momento sua vis constabit. Cum enim VIII. saltem sæculo prodierint, & tantam ubique statim apud omnes, præsertim autem summos Pontifices & illos qui ipsis favebant, auctoritatem obtinuerint, ut brevi temporis spatio jus in Ecclesiam novum introduxerint, hinc saltem colligemus VIII. sæculo, & deinceps vulgatissimam hanc fuisse de Chorepiscopis fidem. Neque enim credibile est auctorem, qui eas finxit, aliter de Chorepiscopis docuisse, quam communis opinio ferret. Quod si tamen quis dicat hoc esse illius auctoris commentum, quod exinde aliis persuaserit, inde saltem habebimus Chorepiscopos deinceps pro simplicibus presbyteris habitos esse.

PROBATUR 8. ex communi sedis apostolicæ & ecclesiæ Gallicanæ de Chorepiscopis decreto.

Cum enim in Gallia frequentes Chorepiscopi essent, iique Episcopis suis graves & molesti, ut jam diximus, evasissent, Pipinus anno circiter 747. Zachariam, & anno 799. Carolus Magnus Leonem III. summos pontifices super iis cousuluerunt.

Et Zacharias quidem, cum Pipino respondit, nihil aliud attulit, quam synodi Neocæsariensis & Antiochenæ canones, ut videre est *tom. 1. Concil. Galliæ*.

At Leo III. rem accuratius definiit: itaque pronunciavit Chorepiscopos non esse, nisi presbyteros: atque adeo nullas esse Ordinationes presbyterorum, & diaconorum ab ipsis factas, nullam ab iis datam Confirmationem, nullam virginum aut ecclesiarum ab iisdem peractam consecrationem: imo omnes Chorepiscopos ob insolentiam, & arrogantiam, qua adversus Episcopos efferebantur, damnavit, & in exilium mitti jussit.

His acceptis a Leone III. responsis, Carolus Magnus ea de causa Concilium Ratisponense, seu in Reginisburg urbe, habuit, in quo eadem ab Episcopis Gallis, exilio excepto, de Chorepiscopis decreta sunt. Vide Capitulare anni 799. & anni 803. ubi ipse Carolus magnus hanc narrat historiam.

Capitularis autem primi hæc sunt decreta ad rem nostram pertinentia.

Primum " Placuit ne Chorepiscopi a quibusdam deinceps fiant, &c.

Secundum " Hominum Confirmatio, ecclesiarum, altarium, virgi-
" num, chrismatum, presbyterorum, diaconorum, & subdiacono-
" rum consecrationes a Chorepiscopis factæ, ab Episcopis, qui ca-
" nonice ordinati sunt, reformandæ, canoniceque sunt peragendæ:
" quia Chorepiscopi hæc contingere non debuerunt, nec agere potuerunt
" .... Nequaquam enim talis Ordinatio vel consecratio reiteratio esse a
" prudentibus & recte sapientibus videtur, sed irrita indubitanter esse
" agnoscitur.

Quartum " Similiter & hoc statutum est, ut a Chorepiscopis qui,
" juxta sanctorum decreta, locum septuaginta discipulorum, id est
" presbyterorum, tenent, vel ab ipsis presbyteris, nec virginum con-
" secratio, nec sancti Spiritus traditio, nec ecclesiarum vel altarium
" consecratio, vel illa quæ solis Episcopis debentur, fiant: nam si a
" duobus Episcopis Episcopus non potest consecrari, quomodo ille
" episcopus erit, aut aliquid de episcopali ministerio, nisi quantum
" presbyter, cujus locum in Ecclesia tenet, agere poterit? Omnia ergo
" quæ isti præsumptiosi de episcopali ministerio egerunt, irrita esse com-
" probantur: .... ideoque a tribus ordinatis Episcopis ut reformentur
" jubemus.

Quintum " Si quis ab Episcopo & non a Chorepiscopo, qui non Epis-
copus, sed vicarius Episcopi &c.

In altero autem capitulari quod anno 803. editum est, atque, ut videtur, in magna synodo, quando Paulinus patriarcha Aquileiensis vices apostolicæ sedis tenuit in Aquis, tria sunt capitula, quæ ad nos spectant, 4. nempe 5. & 6.

In 4. narrat Imperator, qua ratione, cum non parva quæstio de Chorepiscopis sæpe agitata esset, & Ordinationes ab ipsis factæ, nullæ esse judicarentur & iterandæ, ipse Arnonem archiepiscopum (Juvavensem (ad Leonem (III.) miserit, qui quidem Pontifex responderit Chorepiscopos fuisse non semel " A prædecessoribus suis damna-
" tos, nullum autem esse presbyterum vel diaconum aut subdiaconum
" ab eis ordinatum, nec ecclesiam ab iis dedicatam, nec virginem
" consecratam, nec quemquam confirmatum; ..... sed quidquid ex
" his .... erat præsumptum, omnia a canonice ordinatis Episcopis
" debere rite peragi; .... quia quod non ostenditur gestum, ratio
" non sinit ut videatur iteratum. Prædictos autem insuper Chorepi-
" scopos præceperit damnari, & in exilio detrudi. Ista vero, addit
" Imperator, omnes, maxime regni nobis a Deo commissi, episco-
" pi, cum eodem Arnone .... mitius tractantes, jam dictos villa-
" nos Episcopos inter presbyteros statuerunt .... Decretum namque
" est in synodo quam Reginisburg .... habuimus .... quidquid ab
" his episcopaliter præsumptum est, a canonice ordinatis Episcopis
" peragi debere .... nam Episcopi non erant, quia nec ad quam-
" dam civitatis episcopalem sedem titulati erant, nec canonice a tribus
" Episcopis ordinati.

Ca-

Capitulo 5. " Placuit, inquit idem Imperator, sicut Leonis Papæ, & omnium Episcoporum nostrorum, atque reliquorum fidelium generali, & synodali consulto decrevimus, ut nullus Chorepiscopus per „ manus impositionem Spiritum sanctum tradere, aut sacerdotes vel „ levitas aut subdiaconos sacrare, ... quæ omnia summis Pontifici- „ bus, id est cathedralibus Episcopis debentur; & non Chorepiscopis vel „ presbyteris, quorum formam juxta sanctorum canonum decreta Cho- „ repiscopi gerunt.... Si autem hi aliquid ex his agere tentaverint, irrita „ erunt quæ ab eis geruntur &c.

Capitulo 6. eadem decernuntur: tum hæc affertur causa: " Episcopi „ namque non fuerunt, quia nec a tribus episcopis, nec ad aliquam epi- „ scopalem cathedram ordinati fuerunt &c.

Eadem vide *lib.* 5. *capitularium*, *cap.* 320. & 321. *lib. 6. cap.* 121, 369. *lib.* 7. *cap.* 98. 260. 402. 424.

Hinc Ludovicus pius anno 828. Chorepiscopos deinceps nominat inter adjutores ministerii episcoporum, cum archipresbyteris, archidiaconis, &c.

Hinc denique Isaac episcopus Lingonensis, qui eadem ætate vixit, *titulo* 11. *cap.* 30. " Si quis, inquit, non ab Episcopo, sed a Cho- „ repiscopo qui non est Episcopus, sed vicarius Episcopi, priusquam „ prohibiti essent, fuerit confirmatus, reiterari aliis benedictionibus „ debet. Nam Chorepiscopi .... non ex numero Apostolorum, sed ex „ septuaginta discipulorum, ut sacri canones testantur, Ordine erant: " sic & *cap.* 31.

Horum porro Capitularium summa est auctoritas & fides: quippe quæ IX. sæculo & deinceps ab omnibus scriptoribus sive Conciliis, non sine eximia veneratione, laudata fuerint. Primi autem & secundi speciatim meminit Hincmarus, eodem ævo archiepiscopus Remensis, quo nemo melius Regum nostrorum acta rescire potuit.

Probatur 9. ex concilio Parisiensi VI. an. 829. *lib.* 1. *cap.* 27. " „ Episcopos, inquit, locum Apostolorum, Chorepiscopos autem exem- „ plum & formam tenere septuaginta discipulorum, & liber Actuum „ Apostolorum & canonica auctoritas aperte demonstrat. Cum hæc ita „ se habeant, emersit quidam reprehensibilis . . . usus, eo quod qui- „ dam Chorepiscopi ultra modum suum progredientes, & donum san- „ cti Spiritus per impositionem manuum tradant, & alia quæque quæ „ solis Pontificibus debentur, contra fas peragant: præsertim cum nul- „ lus ex septuaginta discipulis, quorum speciem in Ecclesia gerunt, „ legatur donum Spiritus sancti per manus impositionem tradidisse. „ Quod a solis Apostolis eorumque successoribus proprii sit officii tra- „ dere Spiritumsanctum liber Actuum Apostolorum docet . . . Et ec- „ ce aperte demonstratur, quod non septuaginta discipuli, quorum for- „ mam tenent Chorepiscopi, sed Apostoli, quorum successores sunt E- „ piscopi, tradebant Spiritum-sanctum . . . Unde . . . . providendum

„ summopere Episcopis est, ut ulterius eorum Chorepiscopi tale quid, „ quod nec eorum ministerio, nec auctoritati divinæ concordat, face„ re pertentent " &c. Ita Synodus epistolarum Isidori & capitularium verba ipsa exscribens, & sententiam adsciscens, quod indicat quanta utriique jam tum inesset auctoritas. Quod autem Chorepiscopi non possint Confirmationis sacramentum, & alia quæ Episcopis propria sunt, administrare, id hujus Concilii Patres non tantum ex canonica auctoritate, sed etiam ex divino jure, & Chorepiscoporum ipsorum Ordine, origine & successione repetunt.

PROBATUR 10. ex concilio II. Aquisgranensi an. 836. *capitulo 2. can. 4. tom. 2. Conc. Galliæ, pag.* 582. " Comperimus, inquit, quorumdam E„ piscoporum ministros, id est Chorepiscopos, archipresbyteros & ar„ chidiaconos, . . . avaritiam . . . exercere. " Quod quidem ex iisdem capitularibus desumptum est, & eorumdem antiquitatem & auctoritatem arguit Chorepiscopi ergo non episcopi, sed Episcoporum ministri sunt, & quidem eodem, quo archipresbyteri & archidiaconi, modo: Unde Isaac Lingonensis & Carolus-magnus *supra*, " Chorepis„ copus, inquit, qui non est episcopus, sed vicarius episcopi &c.

PROBATUR 11. ex synodo Meldensi an. 845. " Ut Chorepiscopus, „ inquit, modum suum juxta canonicam institutionem teneat, & nec „ sanctum chrisma nec sanctum Paracletum, solis Episcopis, juxta de„ creta Innocentii, tribuere debitum tentet " &c. Chorepiscopos ab Episcopis secernit, & quod non possint Chorepiscopi sacrum chrisma tradere, id ex Innocentio, qui Scripturas allegat, depromit, & ex eo quod jus illud solis Episcopis competat. Ergo hujus concilii judicio Chorepiscopi non erant Episcopi, & in eo Ordine erant, cui jure divino interdicta est sacramenti Confirmationis administratio.

PROBATUR 12. ex Hincmaro. Is ergo *opusculo* 45. *num.* 16. "Qui„ dam Episcopi, inquit, . . . ordinantes Chorepiscopos, & eis, quæ „ summis Pontificibus conveniunt, agere permittentes, quos apostolica „ sedes sæpius reprobavit, ... sicut in decretalibus eorum, qui vo„ luerit recensere, inveniet: inter quos Damasus Papa " &c. *Opusc.* autem 46. *pag.* 765. Arnonis archiepiscopi ad apostolicam sedem iter, Leonis III. responsum, & Caroli-magni de Chorepiscopis edictum commemorat, ne quis de iis dubitare audeat. Itaque Hincmarus quoad Chorepiscopos in eadem cum Damaso (supposititio,) Leone III., & Carolo-magno sententia fuit. Et vero teste Flodoardo *in historiæ Remensis lib.* 3. *cap.* 10. epistolam ad Leonem IV. misit, in qua de his quos temeritas Chorepiscopalis ordinare, vel quod Spiritum-sanctum consignando tradere præsumebat, requisivit &c.

PROBATUR 13. ex concilio Metensi an. 888. *can.* 8. " Ut basilicæ, „ inquit, a Chorepiscopis consecratæ ab Episcopis consecrentur, robo„ ratum est, quia juxta decreta Damasi Papæ, Innocentii, & Leonis, „ vacuum est atque inane quidquid in summi sacerdotii episcopali ege-

„ runt

„ runt ministerio: & quod ipsi iidem sint, qui & presbyteri, sufficien-
„ ter invenitur. " Quid luculentius?

PROBATUR 14. auctoritate canonum Arabicorum qui quidem in Oriente maximi sunt ponderis. *Canone* ergo 54. describitur Chorepiscopi electio & consecratio, quam satis patet ab episcopali longe diversam esse: " Debet Episcopus, inquit canon, recitare super electum „ orationem consuetam & benedicere illi. *Canone* 55. *&* 56. docetur qua ratione visitet ecclesias, & presbyteros bis quotannis ducat ad salutandum Episcopum. *Canone* 57. praescribitur quo ordine cum Episcopo esse debeant archidiaconus, Chorepiscopus & archipresbyter: primus autem locus ad dexteram tribuitur archidiacono, secundus Chorepiscopo, tertius archipresbytero. An vero ita res esset, si Chorepiscopi forent veri nominis Episcopi? *Canone* 58. Chorepiscopus & archidiaconus dicuntur duae manus Episcopi, & duae alae quibus Episcopus volat. Ista autem comparatio Chorepiscopi cum archidiacono in his canonibus perpetua, arguit sane ipsum non esse Episcopum *Canone* 60. edicitur, ut si qui sint ad sacerdotium evehendi, eos primo examinent Chorepiscopus & archidiaconus, deinde eosdem adducant ad Episcopum, qui imponat eis manus & benedicat, eosque ordinet. Ergo Chorepiscopi ipsi non ordinabant. *Canone* autem 65. ut quando moritur Episcopus, Chorepiscopus & archidiaconus praeeant funeri, ut filii praeeunt funeri patris. Filii ergo sunt Episcoporum utrique, non fratres.

PROBATUR 15. ex ipsa Chorepiscoporum consecratione. Certum enim est quandam fuisse ad Chorepiscopos instituendos Ordinationis speciem, saltem in Orientalibus ecclesiis, cum de ipsa mentio fiat in synodo Antiochena, canonibus Arabicis &c. Qualis autem ea fuerit, rituales Graeci pariter ac Latini prorsus tacent: sed extat etiamnum in libro rituali Maronitarum, in quo, ubi ventum est ad majores Ordines describitur Ordinatio 1. diaconi, 2. archidiaconi, 3. presbyteri, 4. archipresbyteri, 5. Chorepiscopi, 6. Episcopi, a priori discrepans, 7. Patriarchae. Ac proinde Chorepiscopi Ordinatio diversa est ab Episcopali. At qui Ordinatione insignitus non est, Episcopus dici non potest. Ergo &c.

Nec dicas hanc quoque Chorepiscopi Ordinationem a presbyterali aliam esse.

Nam Chorepiscopus non potest esse Episcopus, nisi Episcopali consecratione inauguratus sit: potest autem esse Ordine tantum presbyter, etsi postea ad peculiare munus novam manus impositionem accipiat. Scilicet in iis ritualibus distinguenda sunt, Ordo, & Ordini adjunctum singulare officium: quod quidem officium non minus quam Ordo manuum impositione confertur. Primo itaque referri solet Ordo ipse, qui accessuris officiis veluti fundamento est; deinde additur peculiare munus seorsim ab Ordine: sic in iis describitur primo Ordina-

tio diaconorum, postea autem Ordinatio archidiaconorum : sic etiam primo memoratur Ordinatio Episcoporum; deinde seorsim sequitur Ordinatio Patriarcharum. Pari ergo ratione primo describitur Ordinatio presbyterorum, ac deinde archipresbyterorum & Chorepiscoporum. Ut ergo archidiaconatus non est Ordo distinctus a diaconatu, sed officium ipsi superadditum; sicut Patriarchatus non est Ordo distinctus ab episcopatu, sed dignitas & potestas major episcopatui accedens : ita archipresbyteratus & Chorepiscopatus non erunt Ordines a presbyteratu distincti, sed munera huic Ordini adjuncta. Si enim Chorepiscopatus Episcopatum supponeret, & peculiaris duntaxat provincia & administratio esset, absurdum esset Chorepiscopatum episcopali Ordinationi præmittere.

PROBATUR 16. communi judicio eruditorum. Vulgo enim ita de Chorepiscopis senserunt, v. gr. Petrus de Marca *lib. 2. concordiæ, cap.* 13. &c. Morinus *exercit.* 4. Hallerius *parte 2. sect.* 5. *cap.* 2. *sectione* 3. *&* 4. Petavius *lib.* 2. *de hierarchia*, *cap.* 11. Thomassinus *parte* 1. *lib.* 1. *cap.* 18. Cangius voce *Chorepiscopus*; Cointius *in annalibus Francorum &c.* E Græcis adde Zonaram, Balzamonem, Matthæum Blastaren *in syntagmate alphabetico*, *litt.* E, *capite* 31. & alios.

PROBATUR 17. ratione. Nempe Chorepiscopi ab urbium Episcopis constituebantur : tales ergo erant quales eos esse volebant ii a quibus creabantur: non poterant ergo esse episcopi, nisi ante Episcopi urbium eos episcopos consecrare voluissent. At certum est VIII. & IX. sæculo, si non omnes, saltem plurimos Episcopos urbium extitisse, qui Chorepiscopos cum presbyteris idem esse sanciverint, nec eos Episcopos esse voluerint, ut constat ex Capitularibus & Conciliis *supra* laudatis. Ergo ii Chorepiscopos episcopali consecratione non ornabant. Ergo non omnes Chorepiscopi Episcopi erant, sed plerique tantum presbyteri.

OBJECTIONES.

OBJICIES 1. Synodus Ancyrana *can.* 13. sic habet : " Fas non est Chorepiscopos ordinare presbyteros vel diaconos, sed neque urbis presbyteros, nisi cum litteris ab Episcopo permissum fuerit, in aliena parochia. " Græce, *Χωρεπισκόπους μὴ ἐξεῖναι πρεσβυτέρους ἢ διακόνους χειροτονεῖν, ἀλλὰ μηδὲ πρεσβυτέρους πόλεως, χωρὶς τοῦ ἐπιτραπῆναι ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου μετὰ γραμμάτων ἐν ἑτέρᾳ παροικίᾳ*. Ergo Episcopis consentientibus presbyteros & diaconos ordinare poterant Chorepiscopi, ac proinde episcopi erant.

RESPONDEO 1. canonis hujus ambigui & intricati non unam eandemque lectionem semper extitisse.

1. enim antiquissimus codex ecclesiæ Romanæ, quem IV. sæculo aut V. ineunte editum putant docti, sic habet, apud Quesnellum *tom.* 2. *ope-*

operum S. Leonis, *pag.* 44. " Vicariis Episcoporum, quos Græci *Chorepiscopos* dicunt, non licet presbyteros vel diaconos ordinare, sed nec „ presbyteris civitatis sine Episcopi præcepto aliquid amplius imperare, vel sine auctoritate litterarum ejus in unaquaque provincia aliquid agere.

2. Vetustissima collectio canonum V. sæculo haud recentior, *apud Justellum tom.* 1. *pag.* 278. " Chorepiscopis, inquit, non licere presbyteros aut diaconos ordinare, sed neque presbyteris civitatis sine jussione episcopi, sed cum eisdem litteris eundi ad singulas parœcias.

3. Ferrandus diaconus *in breviatione canonum* VI. ineunte sæculo facta, antiquissimam numeri primi versionem secutus, sic canonem Ancyranum refert *num.* 79. & 92. " Ut Chorepiscopi, id est vicarii Episcoporum, nec presbyteros, nec diaconos ordinent, ... ut presbyteri „ civitatis sine jussu Episcopi nihil jubeant, nec in unaquaque provincia aliquid agant.

4. Dionysius Exiguus, qui eadem circiter ætate novam Græcorum canonum versionem adornavit, " Chorepiscopis, inquit, non licere „ presbyteros, & diaconos ordinare sed nec presbyteris civitatis sine „ præcepto Episcopi vel litteris in unaquaque provincia. " Ita in veteri editione Moguntiaca & castigatissima Justelli *tom.* 1. *pag.* 120. & in pulcherrima Pithœi non ita pridem vulgata: in aliis tamen codicibus, sed minus accuratis, olim legebatur: " Non licet Chorepiscopis presbyteros & diaconos ordinare, sed neque presbyteros urbis " &c. de quo vide Rabanum *infra*: imo alii sunt codices, profecto mendosi, qui ejusdem Dionysii nomen & eandem quam *num.* 1. exhibuimus interpretationem præ se ferunt. Vide editionem Conciliorum a Binio factam, & eas quæ postea consecutæ sunt.

5. Joannes Scholasticus, Antiochiæ primum presbyter, deinde Constantinopoleos patriarcha a Justiniano imperatore factus, eodem circiter ævo, *tit.* 21. *tom.* 2. *Justelli pag.* 545. ita in suis codicibus Græcis hunc canonem legebat: " Chorepiscopis (χωρεπισκόποις) non licet „ presbyteros vel diaconos ordinare, sed neque urbis presbyteris „ (πρεσβυτέροις) nisi cum litteris ab Episcopis permissum fuerit, in „ unaquaque parochia.

6. Adrianus I. *in epitome canonum*, quam Carolo Magno obtulit anno 774. antiquissimæ versioni adhærens, " Ut Chorepiscopi, inquit, presbyterum vel diaconum non ordinent, nec presbyter aliquid agat in parochia sine præcepto Episcopi.

7. Isidorus Mercator iisdem insistens vestigiis, ipsam quoque antiquissimam versionem verbatim exscribit ut *nu.* 1 exhibita est.

8. Eadem plane ratione legitur in Capitulari Aquisgranensi an. 789. *num.* 9.

9. Balzamon XII. sæculo canonem, qualis jam est, refert, nec ullatenus explicat.

10. Zo-

10. Zonaras ipsius æqualis, non alio quam Balzamon modo ipsum repræsentat; sed ita exponit, ut Chorepiscopis liceat non tantum presbyteros & diaconos ruris, sed etiam urbis presbyteros constituere cum Episcopi consensu, quemadmodum, & postea decrevit synodus Antiochena.

11. Auctor *Epitomes canonum* his coætaneus, quem scholiis eadem ætate illustravit Aristenus (si tamen ipse non est auctor,) quemque refert Simeon Logotheta, totum hunc canonem de Chorepiscopis interpretatur, " Chorepiscopus, inquit, non ordinat sine Episcopi per„ missione.

12. Matthæus Blastares *in syntagmate alphabetico lib. 2. cap.31. XIV. sæculo, tom.2. Beveregii*, singulari numero *Presbyterum* habet & accusandi casu; sed *urbis* non habet: " Sin autem, inquit, per Episcopi lit„ teras illi (Chorepiscopo) fuerit permissum, presbyterum vel in alieno „ vico ordinabit.

Respondeo 2. ex his tam variis lectionibus plures enatas esse, easque multifariam divisas, de isto canone eruditorum opiniones, aliis sincerum illum qualis jam legitur, aliis autem corruptum aut maneum esse existimantibus, & utrisque rursus secum invicem, aut de sensu, aut de emendatione litigantibus.

1. enim aliqui arbitrantur non solum hodiernam lectionem esse omnibus præferendam, sed etiam canonem uno spiritu sine ulla distinctione esse legendum hoc sensu: Chorepiscopis non licet presbyteros, & diaconos ordinare, imo nec ipsis licet ordinare presbyteros urbis &c. Ita nostri hac in parte adversarii, quibus ex antiquis favent, aliquatenus saltem, Dionysius Exiguus in nonnullis codicibus, Rabanus *infra*, Balzamon, Zonaras, Aristenus.

2. Alii in eadem hærentes lectione, contendunt contra canonem hunc in duas partes esse dividendum: unam, quæ vetet ne Chorepiscopi presbyteros & diaconos ordinent: alteram, quæ presbyteris urbium hoc ipsum interdicit, nisi de Episcopi consensu. Sic itaque canonem contexunt: Chorepiscopis non licet presbyteros & diaconos ordinare, sed neque presbyteris urbis (id licet,) nisi cum litteris ab Episcopo permissum fuerit in aliena parochia. Ita Salmasius, Blondellus & Basnagius, qui ex eo eliciunt presbyteros ordinandi facultatem aliquando habuisse.

Atque hæ sunt eorum, qui canonis lectionem sinceram putant, interpretationes duæ.

Quod autem ad illos pertinet, qui mendosum aut mancum esse definiunt, ii secum invicem non omnino concordant: alii enim aliquid ex eo resecant, alii contra ipsi addunt; alii quippiam mutant, alii mutant & adjiciunt.

3. Ergo Matthæus Blastares nomen *urbis*, quod *presbyteris* adjunctum non mediocrem difficultatem creat, prorsus tollit.

4. Pe-

4. Petavius *in animadversionibus ad Epiphanium hæresi 69.* has simul duas voces *presbyteros urbis* expungi jubet, quia his ademptis sensus aptissimus erit.

5. Morinus *exercit.* 4. *cap.* 4. *num.* 9. aliter huic loco medetur, hæc enim eadem vocabula *presbyteros urbis* ad canonis calcem transfert, & particulam *neque* in *nullatenus* vertit, hoc modo canonem contexens: Chorepiscopis non licet presbyteros & diaconos ordinare, nisi cum id ipsis ab Episcopo permissum fuerit: nullatenus autem presbyteros urbis (ordinare ipsis licet.)

6. Denique Petrus de Marca *lib.* 2. *de concordia cap.* 14. aliquid & mutat & addit: mutat quidem hanc vocem ἑτέρα *aliena*, eique substituit ἑκάστῃ, *unaquaque*: secundæ autem canonis parti ad explendam sententiam addit τὶ πράττειν, *aliquid agere*, sicque integrum canonem constituit: Chorepiscopis non licet presbyteros vel diaconos ordinare; sed neque presbyteris civitatis, nisi cum ab Episcopo ipsis scripto permissum fuerit, in *unaquaque* parochia *quidquam agere*: qua ratione synodus Laodicena postmodum *can.* 57. " Oportet, inquit, presbyteros nihil „ agere sine consensu Episcopi.

Jam vero ut de iis breviter mentem nostram aperiamus;

Respondeo 3. contra primam sententiam hunc canonem non esse uno eodemque spiritu, sine ulla distinctione legendum, ita ut de Chorepiscopis solis totus accipiatur:

1. Quia ipsum in duas partes ad duodecimum usque sæculum tribuerunt omnes græci pariter, & latini interpretes, quod constat ex dictis.

2. Quia in eo esset aliquid superfluum. Cum enim hic canon ipso in aditu prohibeat generatim, ne Chorepiscopi presbyteros, & diaconos ordinent; inutile profecto erat presbyteros urbis postea speciatim adjicere, cum hi eodem genere continerentur.

3. Quia in eo foret etiam aliquid absurdi: in hoc enim canone gradatio quædam apparet, non quidem a minori ad majus, sed contra a majori ad minus, ut loquuntur: vetat enim ne Chorepiscopi citra Episcopi consensum ordinent presbyteros, & diaconos, imo nec presbyteros urbis: quasi vero quidpiam majus esset presbyteros quosvis, & diaconos etiam ruris ordinare, quam presbyteros urbis ordinare; quasi minus requireretur consensus, & auctoritas Episcopi ad creandos in civitate, quam in villis presbyteros. Atqui hoc ridiculum est. Ergo.

4. Quia, si ita capiatur canon, ex eo sequitur aliquid ab ecclesiastica disciplina omnino alienum. Quid enim sibi vult lex ista. Ne Chorepiscopi in aliena parochia presbyteros & diaconos ordinent; imo nec presbyteros civitatis citra Episcopi auctoritatem? quid, inquam, ista significat alienæ parochiæ peculiaris exceptio? Ergone poterant Chorepiscopi in Episcopi proprii parochia ordinare presbyteros, & dia-

diaconos : imo & presbyteros civitatis citra Episcopi ipsius consensum ? Quid a canonibus & Ecclesiæ moribus magis discrepans ? Canon certe Antiochenus Chorepiscopis non permittit presbyteros & diaconos ordinare citra Episcopi mandatum , etiam iis in ecclesiis ruris quæ Chorepiscopis subjectæ erant: quanto minus ergo id ipsis permisisset in civitate quæ ad Chorepiscopi curam non spectabat? Imò in diœcesi Pontica, intra cujus limites Ancyra posita erat, ne quidem Chorepiscopis licebat, ut ex Basilio liquet, minores Ordines conferre in ipsis villarum ecclesiis injussu Episcoporum : imo nullum vestigium est Ordinationis sacræ quæ ab ipsis , quolibet tandem modo , collata sit. Ergo.

RESPONDEO 4. si duo hujus canonis commata distinguantur, secundo commati esse addendum aliquid, in eoque supplendum.

1. Quia alioqui suspensa manet sententia . Quid enim hoc sibi vult , " Sed neque presbyteris civitatis in aliena parochia, nisi cum ipsis scripto " ab Episcopo permissum fuerit?

2. Quia aliquid suppleverunt, ut aliquis canonis sensus constaret, ipsimet, qui verbis ex officio inhærent, interpretes.

RESPONDEO 5. nec supplendum, nec intelligendum esse in hac secunda canonis parte *ordinandi* verbum quod ex priori membro revocant Salmasius, Blondellus & Basnagius, quasi nimirum presbyteris urbis licuerit ordinare presbyteros & diaconos in aliena parochia cum Episcopi consensu.

1. Quia inauditum est presbyteros ordinandi facultate præditos unquam fuisse: multo minus hac functi esse IV. sæculo dici queunt : qua de re Athanasium , Epiphanium, Ambrosiastrum , Hieronymum, & alios *supra* consule.

2. Quia inde consequens foret hos ipsos urbis presbyteros ordinandi potestatem habuisse in sua diœcesi citra Episcopi consensum: quæ enim additur alienæ parochiæ exceptio aut supervacua est, aut hoc, quod dicimus , arguit . Esto enim , demus presbyteros ordinandi facultatem tunc habuisse: hoc etiam posito, quis, nisi in historia ecclesiastica plane hospes & peregrinus , opinetur presbyteros ista ætate eam exercuisse citra Episcopi præceptum? quis in animum suum inducat presbyteros, inconsulto episcopo suo, ipsi & Ecclesiæ alios sacerdotes & diaconos ingessisse? Quis nescit per id ævi presbyteris citra Episcopi mandatum nihil omnino agere licuisse , ut ex synodo Laodicena *can.* 57. manifestum est? quanto minus ergo ordinare?

3. Quia aliud omnino suppleverunt veteres interpretes . 1 omnium enim antiquissimus substituit *imperare* & *agere*; secundus *ire*; Adrianus Pontifex *alquid agere*.

RESPONDEO 6. his constitutis , jam loco hujus vocis *aliena* , reponendum videri *unaquaque* : 1. quia ita legit Joannes Antiochenus græcorum interpretum antiquissimus: 2. quia hanc vocem in codicibus græ-

cis repererunt Latini omnes, qui varias hujus canonis verſiones ediderunt: 3. quia hoc ipſum poſtulat hujus canonis ſententia.

Respondeo 7. ad finem ſecundæ partis addendum eſſe aut intelligendum *quidpiam agere*: 1. quia ita vertit primus interpres, quem alii plures ſecuti ſunt: 2. quia nihil eſt quo melius perfici queat ſententia: 3. quia ſic concilium Ancyranum cum Laodiceno congruet, in quo, ut *ſupra*, notatum eſt, prohibetur ne presbyteri injuſſu Epiſcopi ſui quidpiam agant.

Respondeo denique, etiamſi concederemus totum hunc canonem de Chorepiſcopis accipi oportere, nihil hinc colligendum fore, quo aſſertio noſtra labefactetur: diceremus enim in eo canone agi de Chorepiſcopis illis qui Epiſcopi erant: nos autem ſponte ac lubenter confitemur aliquos id genus Chorepiſcopos extitiſſe: quapropter quæ hactenus de eo diſſeruimus canone, ea ſtudio veritatis inquirendæ ducti, non cauſæ neceſſitate aſtricti diſputavimus.

Objicies 2. Synodi Neocæſarienſis Patres *canone* 13. appellant Chorepiſcopos *comminiſtros*, græce συλλειτουργοὺς. Atqui Epiſcopi συλλειτουργὺς ſeu *comminiſtros* non vocabant niſi qui eſſent Epiſcopi. Ergo.

Nego minorem: presbyteri enim poſſunt recte dici Epiſcoporum *comminiſtri* & συλλειτυργοὶ: imo & diaconi eo nomine donari poſſunt. Ita II. ſæculo presbyteri Romani patrem Marcionis, qui epiſcopus erat, apud Epiphanium *hæreſi* 42. *num.* 1. *collegam* & συλλειτυργὸν appellant: ita III. ſæculo ſynodi Antiochenæ Patres epiſtolam adverſus Paulum Samoſatenum *lib.* 7. *Euſebii cap.* 30. inſcribunt *Omnibus per univerſum orbem comminiſtris ſuis*, συλλειτυργοῖς. *Epiſcopis, presbyteris & diaconis*: ita V. ſæculo *in Liturgia Chryſoſtomi apud Goarum in euchol. pag.* 98. Epiſcopus antequam divinum Chriſti corpus ſumat, diaconum alloquens, Frater & comminiſter, inquit, συλλειτυργὲ condona mihi peccatori. Vide inſuper Pachymerem Goari *pag.* 12. & Cangium voce συλλειτυργός. Hinc antiquiſſimus auctor latinæ horum canonum verſionis, quem *ſupra*, *num.* 1. allegavimus, & Iſidorus Mercator & alii, συλλειτυργὺς interpretantur *conſacerdotes*.

Objicies 3. Synodus Antiochena *can.* 10. *ſupra*, poteſtatem Chorepiſcopis facit presbyteros & diaconos ordinandi, modo accedat Epiſcopi civitatis conſenſus. Ergo.

Distinguo antecedens: Chorepiſcopis, qui ut Epiſcopi conſecrati erant; concedo: omnibus; nego. Itaque, ut ad illud concilium nuper admonuimus, duplex olim fuit genus Chorepiſcoporum: alii enim presbyteri tantum erant; alii vero aliquando & fortuito caſu epiſcopi: multiplici enim caſu fieri poterat ut Chorepiſcopi veri nominis epiſcopi forent.

Et 1. quidem cum aliquis ab hæreſi Epiſcopus ad Eccleſiam catholicam

licam revertebatur, ne in una eademque civitate duo simul Episcopi existerent, si cum Ordinibus suis suscipiebatur, ex Episcopo Chorepiscopus aliquando fiebat. Ita de Novatianis Episcopis edixit synodus Nicæna *canone* 8. " Providebit ei (Novatianorum Episcopo reduci,) aut Chorepiscopatus aut presbyterii locum, ut in clero prorsus esse videatur, ne in una civitate duo Episcopi probentur existere.

2. Si quis præter Ecclesiæ regulas in villis constitutus fuisset Episcopus, non ei character Episcopalis auferebatur, sed nihilominus in Chorepiscopi gradum redigebatur, ita ut deinceps ab Episcopo civitatis penderet in muniis obeundis: quod *ad synodi Laodicenæ canonem* 7. non ita pridem observavimus.

3. Idem usurpabatur quandoque, cum quispiam a duobus tantum Episcopis contra Ecclesiæ decreta consecratus fuerat: sic concilium Regense Armentarium ea ratione ordinatum Episcopali exuit dignitate; sed ei tamen Chorepiscopatus locum *can.* 3. dari permisit: ita ut Confirmationis quidem Sacramentum administrare posset, sed nullum vel infimum clericum ordinare. Lege *canonem* 3.

Alias, cur id VIII. ac IX. sæculo acciderat, causas *infra* recensebimus.

Objicies 4. In synodo Ephesina *act. 6. tomo* 3. *Concil. pag.* 688. E quidam Jacobus appellatur *Chorepiscopus*. Atqui idem paulo ante *pag.* 686. C. *episcopus* vocatus fuerat. Ergo.

Distinguo minorem: *episcopus* vocatus fuerat amanuensium vitio; concedo: quod talis revera esset; nego. Utrobique ergo cum eadem omnino formula sit, *Chorepiscopi* nomen debet legi: quod autem hic Jacobus Chorepiscopus non episcopus, sed presbyter tantum foret, id liquido patet ex ipsa præfatione *pag.* 674. *lit.* B, & synodo Chalcedonensi *act.* 1. *pag.* 291. E: ibi enim Jacobus dicitur presbyteri locum in Ecclesia tenere. Unde novum exurgit in gratiam sententiæ nostræ argumentum, idque egregium & illustre, parisque cum Theodoreto auctoritatis. Qui enim Jacobus conceptis verbis primo dicitur fuisse *presbyter*, postea idem eodem tempore appellatur *Chorepiscopus*. Ergo Chorepiscopi per se nihil aliud erant quam presbyteri.

Objicies 5. Synodus Chalcedonensis *can.* 2. " Si quis Episcopus, „ inquit, ... propter pecunias ordinaverit Episcopum, vel Chore- „ piscopum, vel presbyterum, vel diaconum, vel aliquem eorum qui „ in clero numerantur; vel propter pecunias promoverit œconomum, „ vel defensorem, " &c. Ergo Chorepiscopi sunt presbyteris superiores, atque adeo Episcopi.

Distinguo consequens: sunt superiores presbyteris vulgaribus, idque officio & munere, quod nimirum pluribus simul ecclesiis præessent; concedo: Ordine & charactere; nego. Nam pari ratione ex hoc cano-

none colligere possemus Chorepiscopos non esse episcopos, utpote qui infra Episcopos collocentur.

INSTABIS 1. At Chorepiscopi inter Ordines ecclesiasticos numerantur. Ergo.

Nego antecedens: sed in clero duntaxat recensentur ut peculiares Ecclesiæ ministri: alioqui ex eo consequens foret medium quemdam Ordinem esse episcopatum inter & presbyteratum.

INSTABIS 2. At Chorepiscopi illic secernuntur ab Ecclesiæ ministris, œconomo, defensore, &c. Ergo.

DISTINGUO antecedens: ab Ecclesiæ ministris qui rerum temporalium cura duntaxat occupantur; concedo: secus; nego. Simile quid vide codicis Justiniani *lib. 1. tit. 3. lege* 42.

OBJICIES 6. Isidorus Hispalensis *supra* de Chorepiscopis agens, satis significat ipsos cum Episcopi consensu presbyteros & diaconos ordinare potuisse: sic & alii Patres. Ergo.

DISTINGUO antecedens: Isidorus Antiochenæ synodi canonem tantummodo afferens, eique nihil de suo addens; concedo: suam ipse aperiens mentem; nego. De aliis idem esto judicium.

OBJICIES 7. Agobardus ex Chorepiscopo Lugdunensi factus est anno 814. ejusdem Ecclesiæ archiepiscopus sine nova Ordinatione, & Leidrado in monasterium Suessionense concedenti successit: de quo Cointius *ad annum* 813. *&* 814. Ergo antea Episcopus erat factus; ac proinde Chorepiscopi veri nominis Episcopi erant.

DISTINGUO consequens: Chorepiscopi quidam; concedo: omnes; nego. Agobardus ergo non tam Chorepiscopus erat quam Coepiscopus, seu, ut loquitur Severtius *in hist. eccl. Lugd.* suffraganeus; isque a tribus episcopis consecratus, sic procurante Leidrado, qui ipsum sibi in subsidium adsciscebat: unde postea, cum quidam hoc factum reprehenderet, quod nempe Chorepiscopus in archiepiscopum esset assumptus, & duo simul essent ejusdem Ecclesiæ præsules; alii responderunt, non eandem haberi oportuisse Agobardi rationem ac reliquorum Chorepiscoporum, quippe qui a tribus Episcopis inauguratus fuisset: "Quidam, inquit Ado *ætate 6. ad an.* 814. & post ipsum Hugo Flaviniacensis *in Chronico, tom.* 1. *Bibliothecæ Labbæi, pag.* 118. hoc defendere volentes, dixerunt eundem venerabilem Agobardum a tribus Episcopis in sede Lugdunensi, jubente Leidrado fuisse ordinatum:" quasi dixissent non eandem Agobardi & reliquorum vulgarium Chorepiscoporum rationem haberi debuisse, quia nempe ipse a tribus Episcopis fuerat consecratus, atque adeo Leidrado succedere recte poterat.

OBJICIES 8. Ebbo *in descriptione officii ecclesiæ Remensis ministrorum*, quam Sirmundus edidit *ad calcem historiæ Flodoardi*; postquam de Episcopi officio, Ordinationibus, Confirmatione, & aliis id genus egit: "Quibus, inquit, in causis, nisi jussus Chorepiscopus

„ nul-

„ nullatenus excedat. Ergo jubente saltem Pontifice his omnibus defungi poterat Chorepiscopus.

Distinguo consequens : Chorepiscopus qui Ordinatione episcopali fuisset insignitus; concedo : Chorepiscopus vulgaris; nego . Non ergo inficiamur, imo confitemur, nonnullos fuisse tunc Chorepiscopos qui episcopalem consecrationem erant consecuti : talis fuit eo fere tempore, & in ipsa Remensi Ecclesia, Rigboldus, qui variis in Conciliis una cum Episcopis sedit, quique Gothescalcum presbyterum ordinavit: de quo vide synodum Carisiacam an. 848. *tom.* 2. *Canc. Gall. pag.* 65. & Suessionicum an. 853. *ibid. pag.* 80. Hincmarum *lib. de prædest. cap.* 2. Flodoardum *lib.* 3. *cap.* 14. Rabanum *in epist. synodica &c.* Cur autem per id temporis plures Chorepiscopi episcopali Ordinatione ornati reperiantur, variæ causæ afferri possunt, iis , quas *supra* ad synodum Antiochenam *pag.* 310. & 311. allegavimus, adjiciendæ.

Prima erat, voluntas (aut potius error) ipsorum Præsulum, qui cum falso sibi persuasissent Chorepiscopos juxta canones veri nominis Episcopos esse oportere, eosdem reipsa Episcopos aliquando consecrabant : id satis colligitur ex historia Capitularium quam *supra* retulimus. Adde Rabanum *infra* referendum, *in opusc. de Chorepiscopis* , *in appendice ad lib.* 4. *Petri de Marca de concordia imperii & sacerdotii*.

Secunda erat plerorumque illius ætatis Episcoporum desidia . Cum enim illi voluptatibus & hujus vitæ oblectamentis indulgere vellent , in Chorepiscopos omne Episcopatus pondus rejiciebant , quos ideo Episcopali dignitate augebant. Carolus-magnus *in capitulari an.* 799. *nu.* 1." „ Placuit ne Chorepiscopi, inquit, a quibusdam deinceps fiant , quo„ niam hactenus a . . . . suis quietibus ac delectationibus inhærentes „ (inhærentibus) facti sunt. " Hincmarus *epist.* 45. *cap.* 16. "Quidam, „ inquit, Episcopi etiam a longe præcedentibus temporibus scandalum „ pro sua quiete voluptatibusque in Ecclesiam intromiserunt, ordinan„ tes Chorepiscopos, & eis, quæ summis Pontificibus conveniunt, age„ re permittentes. " Non absimili ratione Principes & Episcopi Germani suos habent suffraganeos : de quo Cointius *anno* 813.

Tertia erat Principum avaritia , qui vacante sede electiones multo tempore differebant, ut Ecclesiæ facultatibus diutius gauderent : interim vero Chorepiscopos constitui curabant , qui omnia Episcoporum munia explere possent : sic Hincmarus teste Flodoardo *lib.* 3. *historiæ cap.* 10. " Leonem IV. de his , quos temeritas Episcopalis ordinare ... „ præsumebat, requisivit : & quod terrena potestas hac materia sæpe „ offenderet , ut videlicet Episcopo quolibet defuncto per Chorepisco„ pum, solis Pontificibus debitum ministerium perageretur , & res ac „ facultates Ecclesiæ sæcularium usibus expenderentur : sicut & in no„ stra Ecclesia jam secundo actum fuisset.

Non mirum ergo si non pauci tunc Chorepiscopi occurrant qui Episcopalia munia obirent: sed tales non erant universi. Sic , ne ab Ec-

cle-

clesia Remensi degrediamur, hujus rei luculentissimum argumentum habemus Theodoretiano non impar. Anno enim 835. post Ebbonis depositionem, Ecclesia Remensis Fulconi Chorepiscopo & abbati San-Remigiano commissa est, ut narrat Cointius *ibid. num.* 13. An vero Fulco Episcopus fuit? nequaquam. Testatur enim Flodoardus eum fuisse duntaxat presbyterum. *Libro* enim 3. *cap.* 1. " Anno, inquit, ...
" 845. Carolus synodum .... convocavit, ubi inter cætera de Remen-
" sis Ecclesiæ desolatione, quæ Fulcone presbytero diu illam tenente
" &c." Ergo.

Objicies 9. Rabanus *in epist.* seu *opusc. de Chorepiscopis* ad Drogonem episcopum Metensem, in eos Episcopos acriter & prolixe invehitur, qui Chorepiscopis episcopalia munia non permitterent, sed contra ab ipsis ordinatos iterum consecrarent. Ergo.

Distinguo antecedens: qui Chorepiscopis episcopali consecratione donatis; concedo: omnibus; nego. Itaque licet multi sint qui Rabanum deserant, & revera deseri ille possit citra grave assertionis nostræ damnum, quandoquidem ipse plurimum valere non potest adversus tot synodos & Patres; attamen ipsius opusculum paulo diligentius inspicienti mihi visus est non ægre explicari posse de iis Chorepiscopis solis, qui per ea tempora episcopali consecratione donati reperiebantur.

Nempe, ut jam notum est, in hoc Galliæ & Germaniæ de Chorepiscopis dissidio, ex Episcopis nonnulli Chorepiscopis favebant, ipsos propter causas *supra* allegatas insigniebant episcopali Ordinatione; alii vero contra aut nullos ipsi, aut presbyteros duntaxat vulgo constituebant. Attamen aliquando contingebat ut hi ipsi episcopi Chorepiscopis non faventes, Chorepiscopos episcopali consecratione præditos haberent, seu ipsos in ecclesiis suis jam constitutos invenissent (sicut Hincmarus Rigboldum reperit in ecclesia Remensi,) seu ipsos episcopos ambiguitate canonum decepti fecissent: sed utrisque nihilominus illi munia episcopalia prorsus interdicebant: imo nonnulli eo provehebantur, ut Ordinationes ab hujusmodi Chorepiscopis contra canones factas, iterarent.

Rabanus porro, si paulo accuratius expendatur, non præcise pugnat, ut omnes Chorepiscopi veri nominis episcopi esse existimentur; sed ut iis, qui vere ut episcopi consecrati erant, officium episcopale permittatur: " Vanum est, inquit, quemquam consecrationem episcopalem
" habere, si ministerium episcopi ei non licet agere. Ad quid ergo
" invocatur Spiritus-sanctus ab episcopo ordinatore, ... si ipse invo-
" cator, ... post consecrationem quam rite peregit, mox reprehende-
" rit? ..., Ad quid enim episcopus cujuslibet civitatis Chorepiscopum
" sibi vult ac decernit ordinare, si ipsam Ordinationem suam nullam ef-
" ficaciam arbitratur habere?

Sed de his quisque statuat ut volet.

Objicies 10. Nicolaus I. a Rodulpho Bituricensi archiepiscopo de Chorepiscopis consultus, sic respondet *tom. 3. Conc. Gall. pag. 235. nu. 1.* "„ A Chorepiscopis, inquit, asseris multas esse in regionibus vestris Or„ dinationes presbyterorum & diaconorum effectas, quos quidam epi„ coporum deponunt, quidam vero denuo consecrant. Nos vero dici„ mus nec innocentes oportere percelli, nec ullas debere fieri reordi„ nationes, vel iteratas consecrationes. Ad formam enim septuaginta „ Chorepiscopi facti sunt: quos quis dubitet episcoporum habuisse of„ ficia? Sed quia sacri canones vetant, ne omnes sibi omnia vindi„ cent, ac per hoc dignitas episcoporum ad Chorepiscopos suos videa„ tur transferri, fiatque vilior honor episcopi, decernimus nihil in hoc „ præter regulas ulterius fieri. " Ergo.

Respondeo 1. Thomassinum existimare primam epistolæ hujus partem, in qua de Chorepiscopis sermo est, supposititiam esse.

Hujus quidem sententiæ non levia momenta sunt.

1. Enim nemo hujus partis meminit.

2. Ne verisimile quidem est Nicolaum a Rodulpho Bituricensi post tot sedis Apostolicæ & Conciliorum decreta de Chorepiscopis iterum esse consultum.

3. Longe adhuc minus probabile est Nicolaum aliter, quam tot summi Pontifices responderant hactenus, responsurum fuisse.

4. Idem epistolis Isidori summam fidem habuit & haberi voluit, quod alibi demonstratur. At illæ diserte pronunciant Chorepiscopos cum presbyteris idem omnino esse. Ergo non in alia opinione versabatur.

5. Qui asserit septuaginta discipulos episcoporum habuisse officia, is constanti scriptorum ecclesiasticorum doctrinæ repugnat. Quis autem credat summum hunc Pontificem ab ea, quam ipsi Traditio monstrabat, via sponte recessisse: imo cum ab ea recederet pronunciare ausum, neminem de eo, quod asserebat, dubitare?

6. Post istius Nicolai definitionis tempus, synodus Metensis anni 888. prioribus decretis insistens, rursum statuit Chorepiscopos cum presbyteris eosdem esse & Ordinationes ab ipsis datas esse iterandas. An ergo synodus Nicolai sanctionem contempsit? nequaquam: sed nondum illa conficta erat.

Respondeo 2. Nicolaum I. de iis Chorepiscopis, quibus, licet episcopi forent, munia tamen episcopalia a civitatum episcopis interdicebantur, explicari posse.

Respondeo 3. si ita scripserit Nicolaus nec ita exponatur, id ipsi condonandum esse & silentio obvolvendum, quod synodus Metensis fecit: præsertim cum, ut ipse loquitur, variis negotiis occupatus, saltim tantum ac perstrictim Rodulpho responderit.

Objicies 11. Non pauci in historia ecclesiastica reperiuntur Chorepiscopi, qui ordinandi facultatem habuerint & exercuerint. 1. enim

Basilius *epist. ad Chorepiscopos*, ipsis potestatem facit, cum episcopi consensu, Ecclesiæ ministros ordinandi. 2. Palladius Helenopolitanus *in historia Lausiaca cap.* 106. quemdam abbatem, nomine Elpidium, commemorat, qui a Timotheo Cappadociæ Chorepiscopo presbyteratu donatus fuit. 3. Adalmatus quidam Amalarii archiepiscopi Trevirensis Coepiscopus, seu, ut alii loquuntur, Chorepiscopus, Frotarium episcopum Tullensem cum Vulfario Remensi archipræsule, & Herilando aut Austranno Virodunensi consecravit. De quo vide Flodoardum *lib.* 2. *cap.* 18. Brouverum *in annalibus Trevirensibus lib.*8. *nu.* 23. & Cointium an. 813. *nu.* 344. & 345. 4. In Ecclesia Moguntinensi alter extitit Chorepiscopus, nomine Regimboldus seu Regimbaldus, qui memoratur *in vita Rabani*, quique idem esse videtur cum Reginaldo cui Rabanus suos *de ecclesiastica disciplina* libros dicavit, seu Reginario cujus mentionem facit Liudolfus: de quibus consule Mabillonium *sæculo* IV. *Benedictino*, *parte* 2. *pag.* 17. 20. 62. & 63. Ad hunc autem Reginaldum scribens Rabanus, in ipsa præfatione docet ipsum quo pacto sacros Ordines conferre debeat. 5. Rigboldus Remensis Chorepiscopus Gothescalcum presbyterum ordinavit, de quo Hincmarus *tom.* 2. Flodoardus *lib.* 3. *cap.* 14. Rabanus *in epist. ad Hincmarum*. Ergo Chorepiscopi veri nominis episcopi erant.

Distinguo antecedens: non pauci Chorepiscopi Ordines contulerunt minores; concedo: majores; subdistinguo: cum episcopali consecratione præditi essent; concedo: omnes; nego. Itaque ut ad singula reponamus,

Primo Basilius non loquitur nisi de iis ecclesiæ ministris, qui presbyteris & diaconis erant inferiores: quod ex ipsa epistolæ lectione manifestum est.

Secundo Timotheus Cappadociæ Chorepiscopus, ut plerique alii, fortuito casu episcopus simul erat.

Tertio Adalmatus non tam ecclesiæ Trevirensis Chorepiscopus fuit quam Coepiscopus, ut vocatur, seu, ut interpretatur Brouverus, suffraganeus, quo nempe ut adjutore ad omnia episcopalia munia utebatur Amalarius, qui Francorum regibus carus persæpe a provincia sua aberat, & reipublicæ negotiis distentus ecclesiæ suæ satis invigilare non poterat. Admonere tamen non abs re fuerit, id, quod de Adalmato narratur, non esse certum ac necessarium episcopalis consecrationis argumentum: nam Pelagius I. *supra* a duobus episcopis tantum & uno presbytero inauguratus est: atque id in casu necessitatis fieri potest. Non levis autem tunc necessitas ingruebat ob episcoporum in ista provincia penuriam, quæ tanta erat, ut ad Archiepiscopum Remensem alterius provinciæ metropolitam recurrere oportuerit: de quo Cointius *supra*.

Quartum exemplum non nisi conjecturis innititur. 1. enim non constat an Regimbaldus seu Regimboldus, qui ecclesiæ Moguntinensis Chorepiscopus fuit, idem sit cum Reginaldo. Id quidem putat Mabillonius

pag. 7. sed sola nominum similitudine, quæ sæpe fallit, eo adductus. 2. Dubium etiam esse potest an Reginaldus iste sit idem cum Reginario. 3. Denique Reginaldus ille simpliciter appellatur *Episcopus* apud Serarium *in historia Moguntina*, ubi de Otgario *pagina* 632. sic & Reginarius a Liudolfo, imo Regimbaldus *in vita Rabani num.* 16. non *Chorepiscopus*, sed *Coepiscopus* nominatur. Chorepiscopi quidem ita vulgo nuncupabantur; sed proprie tamen ea vox illos duntaxat Chorepiscopos sonat, qui episcopali charactere aucti, non in pagis & vicis degebant, ruri duntaxat addicti, sed in tota diœcesi, etiam in urbe præcipua, Episcoporum vice munia episcopalia obibant: talis enim fuit Regimbaldus: tales hoc etiam ævo sunt in his Germaniæ ecclesiis Coepiscopi seu suffraganei. Nempe jam tum illi Episcopi principem locum tenebant, & operosis regni negotiis implicati, ecclesiæ suæ non admodum vacare poterant. Itaque tunc inolescere incipiebat is usus, qui in Germania passim nunc viget.

Quinto Rigboldus quidem veri nominis erat episcopus; sed ideo, quia post Ebbonem dejectum a Ludovico Pio, in ecclesia Remensi constitutus fuerat, ut donec alter Archiepiscopus eligeretur, interim ipse episcopali munere fungeretur.

Quod autem Chorepiscopi vulgo ordinandi facultate non gauderent, id ex conciliis patet, quæ tentatas ab iis temere Ordinationes rescinderunt, & iterari jusserunt.

Objicies 12. Episcopis semper proprium fuit ecclesias consecrare, & quæ ab iis, qui Episcopi non habebantur, consecratæ erant, eæ rursus ab Episcopis legitimis consecrabantur, ut ex conciliis mox allegatis perspicuum est. Atqui plures sunt Chorepiscopi qui ecclesias sacraverint, v. gr. Humbertus Eistolphi Moguntini archipræsulis Chorepiscopus, teste Candido in vita Eigilis *tom.* 1. *sæculi* IV. *Benedictini pag.* 238. *&* 256. Regimbaldus, idem qui *supra*, in vita Rabani *tom.* 2. *pagina* 17. Audinus Agobardi Chorepiscopus apud Cointium an. 824. *num.* 58. Ergo.

Distinguo antecedens: plures Chorepiscopi vi Ordinationis Episcopalis, qua extra ordinem insigniti fuerant; concedo: vi Chorepiscopatus ipsius; nego. Non negamus itaque quosdam extitisse Chorepiscopos, qui Episcopali charactere præditi Ecclesias sacrare potuerint; sed quærimus an id potuerint omnes. Non potuisse autem cum ex aliis monimentis, tum ex concilio Metensi colligimus, in quo decernitur, ut basilicæ a Chorepiscopis consecratæ iterum consecrentur.

Porro ut de iis, qui mox allati sunt, non nihil dicamus,

1. Humbertus a Candido memoratus, Mabillonio *ibid.* & Cointio ad ann. 818. *num.* 26. *&* 819. *nu.* 14. *&* 19. videtur non fuisse diœceseos Moguntinensis chorepiscopus, sed episcopus contra Wirtzburgensis, Archiepiscopi Moguntini suffraganeus. Coepiscopus ergo dici debet, non chorepiscopus, aut *Chorepiscopi* vox etiam suffraganeum so-

sonat. Certe *Chorepiscopus* insuper vocatur in carmine de vita ejusdem Eigilis *pag.* 256. sed forte etiam illic reponendum est *Coepiscopus*, quod & versus ratio postulat: si quis tamen urgeat importune, non ægre fatebimur Humbertum fuisse simul episcopum, & chorepiscopum ecclesiæ Moguntinæ, idque pro more Germanico.

2. Regimbaldus in eadem ecclesia chorepiscopus fuit, atque adeo pro ipsius consuetudine episcopalem consecrationem acceperat.

3. Audinus ab Agobardo in episcopum consecratus fuerat, ut antea ipse a Leidrado.

OBJICIES 13. Chorepiscopi quondam inter episcopos in Conciliis sedebant, iisque subscribebant: sic synodo Neocæsariensi an. 314. duo Chorepiscopi interfuerunt; Nicænæ anno 325. quindecim, Ephesinæ an. 431. Cæsarius *parte* 2. *act.* 1. Chalcedonensi an. 451. quinque, sed Episcoporum suorum nomine; Noviomensi an. 814. duo, Waltarius, & Sperus; Carisiacensi ann. 846. iterum duo, Rigboldus & Witaus; Suessionensi an. 653. idem Rigboldus; Duziacensi I. an. 871. Birico Tungrensis chorepiscopus, qui sententiam inter Episcopos dixit, & Hincmarum Laudunensem *fratrem* appellavit. Ergo veri erant Episcopi.

DISTINGUO antecedens: Chorepiscopi Conciliis aderant ut Episcoporum legati; concedo: proprio nomine; subdistinguo: ex privilegio, sicut postmodum abbates, qui in postremis Conciliis cum Chorepiscopis vulgo recensentur; concedo: ordinario jure; iterum subdistinguo: quando Episcopi simul erant; concedo: omnes; nego. Qui in synodis jus sedendi aut definiendi habeant, alibi disputatur: interim vero asserimus nihil ex supra relatis exemplis contra sententiam nostram erui posse. Quamvis enim concedamus presbyteros in his conciliis sedendi, & definiendi jus ordinarium non habuisse ad eas synodos admittebantur Chorepiscopi, iisque subscribebant, vel ex privilegio, quod nempe viderentur esse presbyteris superiores, & aliquatenus episcopi, vel quod Episcoporum suorum nomine eo perrexissent: quod si qui sententiam dicant inter Episcopos proprio nomine, & Episcopos *fratres* appellent, ut Birico Tungrensis, ii veri nominis erant Episcopi: quod eà ætate, & iis in locis insolens non erat.

OBJICIES 14. Chorepiscopi *Episcoporum* nomine vocabantur.

Primo enim *supra* in synodo Ephesina Jacobus Chorepiscopus hoc nomine insignitur.

Secundo Theganus, quem nuper observavimus fuisse Chorepiscopum Trevirensem, in historia translationis reliquiarum SS. martyrum Chrysanti & Dariæ, apud Mabillonium 1. *par. quarti sæculi Benedictini*, *pag.*612. appellatur Teganbertus *episcopus*.

Tertio in veteri Chronico monasterii S. Benigni Divionensis, *tom.*1.

Spicilegii, *pag.* 410. *& seq.* & apud Mabillonium *tom.* 1. *saeculo quarti Benedictini, pag.* 338. nec non & apud Stephanum Perardum *de rebus Burgundicis*, tres hujus Cœnobii Abbates referuntur qui simul Chorepiscopi fuerint, primus Herlebertus, secundus Ingelramnus, tertius Bertilo. Jam autem Ingelramnus in quadam permutationis cum Madalgerio charta apud eundem Perardum *Episcopus* nuncupatur.

Quarto denique Aldricus episcopus Cenomanensis, cujus ex antiquissimo scriptore vitam refert Baluzius *tom.* 3. *Miscell. cap.* 44. dicitur Episcopos sacrasse septem, presbyteros 800. & levitas 900. Quinam autem illi fuerunt Episcopi, nisi Chorepiscopi quos in subsidium suum & diœceseos administrationem creaverat? Et vero id satis arguit ipse Aldricus *cap.* 36. in quodam diplomate quod ibi extat: "Aldricus, inquit, Cenomanicæ urbis . . . . . episcopus omnibus in „ nostra diœcesi, & parochia consistentibus episcopis, sacerdotibus, „ diaconibus, subdiaconibus . . . notum esse cupio." Ergo multi erant tunc in diœcesi Cenomanensi Episcopi. Atqui illi non possunt alii a Chorepiscopis esse: an enim alios sub se episcopos habere potuit, qui Metropolita non esset? Ergo.

Distinguo: *episcopi* vocati sunt amanuensium vitio; concedo: quod episcopi revera essent.; subdistinguo: cum e Chorepiscopis facti erant episcopi; concedo: quandiu Chorepiscopi manebant; iterum subdistinguo: alicubi; concedo: ubique; nego. Quæ quidem a nobis universe ita dicuntur ut non solum his exemplis, sed etiam aliis omnibus, quæ afferri possent, fieri queat satis.

Verumtamen ut ad singula exempla aliquid observemus,

Primo Jacobus ille *supra* memoratus codicis certe vitio nominatur *episcopus*, cum paulo ante conceptis verbis dictus esset tantum *presbyter*.

Secundo incertum est an Theganbertus episcopus sit idem cum Thegano chorepiscopo: quod si ita est, Theganus postea ad episcopatum evectus est, aut pro Germaniæ moribus episcopus jam tum erat, cum Treviris chorepiscopum ageret.

Tertio Ingelramnus videtur, ut Jacobus, exscriptorum vitio in eo diplomate dictus *episcopus*. Et vero si quis accurate legat Chronicon Benignianum & Mabillonium, statim, opinor, agnoscet hos Chorepiscopos fuisse abbates tantum, non episcopos. Certe Bertilo Chorepiscopus factus est ab Isaaco Lingonensi: at Isaac *in collect. can.* diserte testatur Chorepiscopos non episcopos, sed presbyteros duntaxat extitisse.

Quarto Aldricus quidem septem Episcopos consecravit, sed aliarum urbium ac fortassis etiam provinciarum. Nempe maxima ille auctoritate in Galliis & apud Ludovicum imperatorem pollebat: præterea acce-

accedebat summa sanctitatis commendatio. Non mirum ergo si Episcopi plures ab ipso per vitam ipsius consecrati fuerint, aut etiam consecrari ambierint.

Quod autem ait in charta mox allegata Episcopis, sacerdotibus, „ & cæteris in diœcesi nostra & parochia consistentibus . . . . notum esse cupio: “ id non de Episcopis Aldrico obnoxiis, sed de aliis, qui in Cenomanensi urbe forte reperiebantur, intelligendum est. Nempe is mos erat tunc temporis Præsulum, ut diplomata sua ab aliis pluribus Episcopis sanciri & firmari vellent. Atque id genus plurima sunt ejusdem Aldrici in eadem urbe Cenomanensi edita, quæ memorantur *in ipsius vita*, potissimum autem *capitibus* 32. *&* 34. & apud Cointium *anno* 837. *numeris* 2. 3. 4. 12. &c. quibus subscripsisse deprehenduntur Metropolita Turonensis & alii diversarum urbium Episcopi. Ea etiam tum vigebat consuetudo ut diplomata sua Episcopi ad robur aliis Episcopis nota esse vellent: sic alter Aldricus eodem tempore Senonensis archiepiscopus apud Cointium *anno* 833. *num.* 57. “ Diploma suum „ notum esse vult reverendissimis fratribus, & Coepiscopis . . . . . . „ & venerabilibus abbatibus . . . . in ditione . . . . . imperatoris „ Lotharii constitutis. “ Jam vero quod Aldricus Cenomanensis septem non haberet Chorepiscopos, id mihi certissimum apparet multis de causis.

1. enim in Galliis illud omnino inusitatum est, ut plures simul sub uno eodemque Episcopo Chorepiscopi essent. Certe Rabanus *supra*, testis est singulis Episcopis unum fuisse duntaxat Chorepiscopum.

2. Ipse Aldricus in suis, quæ plurima sunt, diplomatibus varios cleri sui Ordines sæpe appellat ; & quid unicuique præstandum est, præscribit : de his autem Episcopis nullam unquam mentionem facit.

3. Chartis modo allatis, præsertim *cap.* 32. *&* 34. plures quidem Episcopi aliarum urbium subscribunt, plures etiam Cenomanicæ diœceseos presbyteri: sed unus & idem semper David Chorepiscopus.

4. In actis translationis reliquiarum S.Liberii in Paterbornensem urbem apud Cointium *anno* 836. *num.* 76. perhibetur Aldricus de hac translatione *præsente suo quoque Coepiscopo*, *David nomine*, cum legatis Paterbonensium egisse.

Ac proinde unus & singularis tunc erat in diœcesi Cenomanensi chorepiscopus nomine *David*.

OBJICIES 15. Chorepiscopi manuum impositione ab Episcopo creabantur, non in orientali tantum, sed etiam in occidentali Ecclesia, ut ex concilio Antiocheno, Rabano &c. *supra*, colligitur. Atqui hæc non erat ad presbyteratum conferendum, ut pote quem jam haberent. Ergo ad episcopatum.

DISTINGUO majorem: manuum impositione cæremoniali ad officium conferendum; concedo: sacramentali ad Ordinem largiendum; subdistinguo: aliquando, concedo: semper; nego.

De Chorepiscopis porro scripserunt, præter eos quos *supra*, *ad probationem* 17. allegavimus, 1. Natalis Alexander *in dissertationibus ad sæculum IV.* ubi nobis patrocinatur; 2. Duarenus *lib.* 1. *de sacris Ecclesiæ ministris*, *cap.* 9. 3. Bellarminus *de clericis*, *cap.* 17. 4. Cellotius *lib.* 4. *de ecclesiestica hierarchia*, *cap.* 14. 5. Puccinellus *in Zodiaco par.* 3. *cap.* 16. & alii.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Presbyteratu.

ARTICULUS PRIMUS.

An Presbyteratus sit sacramentum.

ASSERTIO.

PResbyteratus est sacramentum.

PROBATUR 1. ex Scripturis. Ad sacramentum enim tria duntaxat requiruntur; ritus sensibilis, divina institutio, & gratia. Atqui hæc tria in sacerdotio occurrunt. 1. enim est ritus sensibilis, id est, impositio manuum: Act. 14. v. 22. *Cum constituissent illis per singulas ecclesias presbyteros*: græce *χειροτονήσαντες* id est, *cum manuum impositione consecrassent*. 2. Accedit divina institutio: duplex enim est in sacerdotio potestas: altera conficiendi corporis Christi; altera remittendorum peccatorum. Atqui utramque instituit ipse Christus: primam *Lucæ cap.* 22. *v.* 19. secundam *Joannis cap.* 20. 22. 3. Denique gratia non deest: *Ibidem* enim Christus, *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum &c.*

PROBATUR 2. Traditione Patrum, qui idem omnes docent, ut ex iis apertum est, quæ in universum de Ordinis sacramento disputavimus: imprimis autem Tertullianus *de præscript. cap.* 40. Gregorius Nyssenus, Ambrosiaster, Auctor *quæstionum in vetus, & novum testamentum*, Chrysostomus *in libris de sacerdotio*, Sanctus Augustinus *lib.* 2. *contra litteras Petiliani*, *cap.* 30. S. Leo *epistola* 11. *ad Dioscorum Alexandrinum*, Anastasius Pontifex *epist. ad Anastasium Imperatorem*, Gregorius Magnus *homil.* 17. *in evangelia*, & alii. Vide *par.* 1.

PROBATUR 3. omnium theologorum consensione: cum enim circa episcopatum non omnino concordent, nemo unquam fuit, qui de presbyteratu in dubium id revocaverit.

PRO-

PROBATUR 4. ex summorum Pontificum & Conciliorum decretis. 1. enim Eugenius IV. *in institutione Armenorum*, postquam generatim definiit Ordinem esse sacramentum, statim presbyteratum recenset, ne memorato quidem episcopatu. 2. Synodus Tridentina *sess.* 23. *can.* 1. pronunciat esse in Ecclesia sacerdotium quoddam visibile & externum: *canone* 2. præter hoc sacerdotium, esse in eadem Ecclesia alios Ordines majores, & minores, per quos, velut per gradus, in sacerdotium tendatur: *canone* 3. sacram hanc Ordinationem vere, & proprie esse sacramentum: *canone* autem 4. per eam conferri gratiam, & imprimi characterem, ita ut qui sacerdos semel fuit, is laicus deinceps fieri non possit. Ergo juxta synodum Tridentinam sacerdotium est veri nominis sacramentum.

ARTICULUS II.

De Materia Presbyteratus.

UT iis, quæ a nobis hic breviter disputanda sunt, lux major affulgeat, observandum est in Ecclesia Latina, cum Presbyterorum Ordinationes celebrantur, quod intra missarum solemnia fit, post epistolam quidem, & tractum, sed ante evangelium, 1. Pontificem, & post eum omnes sacerdotes qui adsunt, utramque simul manum super caput cujuslibet ordinandi sigillatim imponere: idque silentio.

2. Eosdem manus deinceps extensas super omnes ordinandos simul tenere: interim vero ab Episcopo tres orationes ad Deum fundi, quarum postrema, instar præfationis missæ cani solita, in antiquis ritualibus libris *consecratio* nuncupatur.

3. Pontificem post datam unicuique stolam & casulam, unctasque manus, singulis ex ordine tradere calicem cum vino, & aqua, & patenam superpositam cum hostia, ac dicere: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo.*

4. Denique post expletum sacrum, Pontificem sedentem imponere ambas manus super capita singulorum, ac dicere: *Accipe Spiritum sanctum: Quorum remiseris peccata, remittuntur eis, &c.*

In Ecclesia autem Græca,

1. Pontificem imponere manus ordinando.

2. More solito acclamare: *Divina gratia .... promovet N. .... ad presbyteratum.*

3. Tandem, dum manus extensas tenet, inter ea ipsum preces ad Deum fundere, quibus invocat Spiritum sanctum.

His positis jam quæritur quænam sit materia presbyteratus: de quo tres sunt in scholis sententiæ. Ac 1. quidem eam in sola manuum impositione collocat: 2. contra in sola instrumentorum porrectione, calicis nem-

nempe cum vino & aqua & patena : 3. inter ambas media, in utraque simul. Quam quisque opinionem maluerit, hanc amplectatur: nos primæ adhærebimus. Itaque fit.

ASSERTIO PRIMA.

IMPOSITIO manuum est materia presbyteratus.

PROBATUR 1. ex Scripturis, quæ in manuum impositione Presbyterorum Ordinationem sitam esse aperte significant. Actuum enim 14. 22. *Cum constituissent illis*, inquit Lucas, *per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum jejunationibus*: græce vero clarius: *cum autem per singulas ecclesias presbyteros illis manuum impositione constituissent, orantes cum jejunationibus*. Ibi quippe Ordinationis materia, & forma, ipsiusque peragendi modus depingitur.

1. *Tim.* 5. 22. Timotheum episcopum docens Paulus qua ratione in ecclesia sibi credita Ordinationes Sacerdotum peragere deberet, *Manus*, inquit, *cito nemini imposueris*.

PROBATUR 2. eorum Patrum auctoritate quos, ubi de episcopatus materia & forma, jam allegavimus: præ cæteris vero.

Primo B. Ephrem *de sacerdotio* agentis, qui ait ineffabilem potestatem conficiendi corporis Christi & remittendi peccati, in Sacerdotibus inhabitare per manuum impositionem: " O potestas ineffabilis, inquit, " quæ in nobis dignata est habitare per impositionem manuum sacro- " rum Sacerdotum.

Secundo Epiphanii *hæresi* 75. ubi Presbyterorum Ordinationes, quas Presbyteris tribuebat Aerius, solis Episcopis ipse vindicat, quod soli ad ordinandum manus imponendi jus habeant: " Quinam vero fieri " potest, inquit, ut is (Presbyter) Presbyterum constituat, ad quem " creandum manuum imponendarum jus nullum habeat.

Tertio Hieronymi, qui *in caput* 58. *Isaiæ*, docet clericorum & maxime Sacerdotum Ordinationes, impositione manuum & oratione expleri. " Plerique nostrorum χειροτονίαν, id est Ordinationem Clerico- " rum, quæ non solum ad imprecationem vocis, sed ad impositionem " impletur manus &c.

Quarto Theodoreti *in Philotheo cap.* 13. ubi Macedonii ascetæ, & *cap.* 19. ubi Salamani itidem eremitæ Ordinationes sola manuum impositione & precatione absolutas refert. " Porro Pontifex, inquit *cap.* " 19. civitatis cujus erat vicus, cum viri didicisset virtutem, accessit " volens ei donum dare sacerdotii; & domunculæ perfossa aliqua par- " te est ingressus, manumque imposuit & peregit precationem: & sæ- " pe quidem ei dixit, &, quæ ad eum advenerat gratiam signifi- " cavit.

Quinto Gennadii episcopi, qui ad Danielem Stylitam presbyterum consecrandum manuum impositionem e cœlo accersivit.

Sexto

Sexto Jobi monachi, qui impositioni manuum gratiam sacerdotii alligat.

Septimo Gregorii magni & Bedæ, qui de sacris Ordinationibus disserentes affirmant per manus impositionem Spiritum-sanctum dari.

Octavo Gerberti qui impositione manuum easdem perfici arguit.

Nono Alexandri II. qui idem docet.

PROBATUR 3. specialibus testimoniis.

Primo enim auctor *constitut. apost. lib.* 8. *cap.* 16. " Cum, inquit, " Presbyterum ordinas, episcope, manum super caput ejus impone.

Secundo Synodus Neocæsariensis *can.* 9. " Presbyter, inquit, si im„ puro admisso facinore promotus fuerit & confessus fuerit se ante „ Ordinationem (grece χειροθεσίαν) peccasse, ne offerat &c. ..... „ reliqua enim peccata plerique dixerunt manuum impositione tolli.

Tertio Nicena *can.* 8. " Si qui, inquit, nullo adhibito examine ad „ honorem presbyterii promoti sunt; vel examinati, fassi sunt ipsi sua „ peccata : ... & præter canonem homines incitati, hisce manus im„ posuerunt; illos canon minime admittit.

Quarto Charthaginensis IV. *can.* 3. ex professo Ordinationum ritus describens, " Presbyter, inquit, cum ordinatur, Episcopo eum benedi„ cente & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri, „ qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput „ illius teneant, " nec aliud quidquam addit.

Quinto Chrysostomus ad illa Apostoli verba, *Manus cito nemini imposueris* : " Quod, inquit, maximi momenti & ponderis est, quodque „ ecclesiam imprimis continet, illud intulit de Ordinationibus, scili„ cet : *Manus*, ait, *cito nemini imposueris &c.*

Sexto S. Leo *epist.* 1. alias 83. *ad episcopos Africæ*, easdem exponens voces, " Quid est, inquit, cito manus imponere ? nisi ante ætatem „ maturitatis .... sacerdotalem honorem tribuere non probatis.

Septimo Dionysius, vulgo Areopagita, *de ecclesiastica hierarchia*, *cap.* 5. quo ritu Presbyter consecraretur narrans : " Sacerdos, inquit, fle„ xis ante aram genibus, capiti suo admotam Pontificis manum dex„ teram habet, atque a Pontifice, qui eum consecrat, sanctis precatio„ nibus sanctificatur.

Octavo Synodus Hispalensis II. *can.* 5. de quibusdam clericis loquens. " Quorum, dum unus ad Presbyterorum, duo ad levitarum mi„ nisterium sacrarentur, episcopus eorum, oculorum dolore detentus, „ ferebatur manum suam super eos tantum imposuisse, & Presbyter „ quidam illis, contra ecclesiasticum ordinem, benedictionem dedisse; " hanc Ordinationem irritam & nullam esse declarat. Quorsum autem irrita & nulla esse censetur ; quia nempe materiam quidem Episcopus adhibuerat, non autem formam : nullum enim aliud vitium ad substantiam pertinens assignari potest. Ergo manuum impositio materia est presbyteratus, & benedictio ipsius forma.

Nono

Nono Synodus VII. *can.* 14. Abbatibus potestatem facit lectores constituendi, modo ipsi fuerint Presbyteri ab Episcopo manuum impositione creati. Ergo.

Decimo Synodus Meldensis an. 845. *cap.* 44. " Chorepiscopus, inquit, modum suum .... teneat .... nec ecclesias consecret, neque ecclesiasticos, qui per impositionem manus tribuuntur, id est non nisi usque ad subdiaconatum &c. " Ergo ecclesiastici Ordines subdiaconatu majores per impositionem manuum conferuntur.

PROBATUR 4. ex doctrina concilii Tridentini, quod quidem *sess.* 14. *cap.* 3. extremæ unctionis ministros designans, ait eos esse " Presbyteros: quo nomine, inquit, non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyterii.

PROBATUR 5. omnium ritualium tam occidentalium quam orientalium consensione. In eo enim materia presbyteratus collocanda est, quo semper & ubique presbyteratus collocatus est. At ex testimoniis supradictorum Patrum aperte colligimus semper & ubique usurpatam esse manuum impositionem: quod etiam omnium gentium, Syrorum, Ægyptiorum, Græcorum & Latinorum libri rituales declarant, qui quidem omnes, dum in aliis diffident, in eo mire consentiunt. Ergo dubium esse non debet quin ea manuum impositio ad presbyteratum, ut ipsius materia, pertineat. Cum enim idem sit apud omnes sacramentum, eandem quoque apud universos materiam esse oportuit: hanc autem haud dubie Apostoli tradiderunt ecclesiis, sicut ipsam a Christo acceperant. Perspicuum porro & firmissimum traditionis hujus apostolicæ argumentum est omnium ecclesiarum a variis Apostolis fundatarum in hoc eodem capite ab omni retro tempore consensio.

PROBATUR 6. judicio antiquissimorum & in scholis celebratissimorum theologorum. Ita enim sensit 1. S. Thomas 3. *parte quæst.* 84. *art.* 4. 2. Bonaventura *in* 4. *dist.* 24. *parte* 2. *art.* 1. *quæst.* 4. 3. Guillelmus Altissiodorensis *de Sacramento Ordinis cap.* 1. 4. Durandus *in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 3. 5. Paludanus *ibid. quæst.* 2. *art.* 3. 6. Hosius cardinalis *de Ordinis sacramento*, *cap.* 50. *&* 53. 7. Petrus Soto *in institutione Sacerdotis*, *de sacramento Ordinis*, *lect.* 5. 8. Bellarminus *de sacramento Ordinis cap.* 9. 9. Ledesma *parte* 2. 4. *sententiarum*, *quæst.* 36. *art.* 3. 10. Maldonatus *de Ordine quæst.* 3. *parte* 2. 11. Becanus *de Ordinis sacramento quæst.* 4. 12. Hugo Menardus *ad librum sacramentorum S. Gregorii* 13. Joannes Morinus *exercit.* 7. *cap.* 1. ut eos qui etiamnum vivunt & idem docent, Martenium, Jueninum & alios, pretermittamus.

OBJICIES 1. Christus hanc manuum impositionem non adhibuit. Ergo ad sacramenti essentiam non spectat.

NEGO consequentiam: quamvis enim non adhibuerit, ipsam nihilominus instituit ab omnibus deinceps usurpandam quod Apostolorum & omnium ecclesiarum concordi consuetudine aperte evincitur.

OBJI-

Objicies 2. Innocentius III. *de sacramentis non iterandis*, cap. *Pastoralis*, interrogatus de Ordinatione cujusdam subdiaconi, qui manuum impositione donatus forte non fuerat, respondet, nihil eorum quæ acceperat esse iterandum; sed caute supplendum quod erat omissum: quod idem sancit Gregorius IX. *ibid.* cap. *Presbyter*, *de Ordinatione presbyteri, & diaconi*, addens insuper impositionem manuum esse ritum ab Apostolis introductum. Ergo ad ipsam presbyteratus essentiam non spectat.

Nego consequentiam: nihil enim inde extundi potest quod nobis officiat: tam enim potest suppleri quod ad essentiam pertinet, quam quod extra ipsam est.

Instabis 1. At supplenda quoque fuisset oratio huic manuum impositioni adjuncta, si utraque essentialis est. Atqui de ipsa nihil decernit: & tamen probabile non est orationem illam esse dictam ab eo, qui manuum impositionem omiserat. Ergo satis eo arguit Innocentius neutram sacramenti essentiam ingredi.

Respondeo utramque simul reipsa supplendam fuisse: id tamen conceptis verbis non pronunciatum, quia satis per sese intelligebatur.

Instabis 2. At ritus est ab Apostolis introductus. Ergo.

Distinguo antecedens: mandato Christi; concedo: secus; nego.

Objicies 3. Innocentius IV. in caput *Presbyter*, affirmat Apostolos olim solam inter ordinandum manuum impositionem & orationem adhibuisse; postea autem inventas esse formas quas hodie servat Ecclesia. Ergo manuum impositio, saltem jam, non est materia presbyteratus.

Respondeo Innocentium IV. id scripsisse cum adhuc privatus esset doctor, in eoque, nisi benigne explicetur, errasse: imo nec satis sibi constitisse. Si enim manuum impositio fuit olim presbyteratus materia, eadem deinceps semper esse debuit. Cum enim sacramenta divinæ sint institutionis, in eorum, ut loquuntur, essentiam nihil potest Ecclesia.

Quæres quænam impositio manuum essentialis existimari debeat.

Respondeo 1. triplicem posse distingui in ista Ordinatione manuum impositionem: primam quæ silentio fit; secundam cui adjungitur oratio; tertiam in qua dicitur, *Accipe spiritum-sanctum &c.* aut potius duplicem esse distinguendam, secunda enim non nisi prioris videtur esse continuatio: de quo Martenium vide.

Respondeo 2. postremam non esse essentialem, 1. quia non est in usu apud Orientales ecclesias: 2. quia semper in usu non fuit apud Latinas: ad XI. enim usque seculum nec in conciliis nec in ritualibus libris, nec in iis, qui de divinis officiis & Ordinationibus scripserunt, auctoribus comparet: 3. quia in pontificali libro ante

eam

eam presbyter dicitur *ordinatus* : & ita decernit Dominicus Soto.

RESPONDEO 3. primam, si a secunda dividatur, non esse essentialem : 1. quia Græcis ignota est : 2. quia in concilio Carthaginensi & aliis non reperitur, ut nec in antiquis ritualibus libris : 3. quia nullam habet formam adjunctam, quod tamen materiæ necessarium est.

RESPONDEO ergo 4. solam secundam essentialem esse, & primam, si ut secundæ initium spectetur : quod ex dictis manifeste consequitur.

ASSERTIO II.

PORRECTIO instrumentorum videtur esse tantum presbyteratui accidentalis, non autem essentialis.

PROBATUR 1. Illud enim essentiale non est presbyteratui, quod una cum presbyteratu nec semper nec ubique fuit : illud vero accidentale est, sine quo presbyteratus esse potest. Atqui talis est porrectio instrumentorum, ut constat.

1. Ex Orientalibus Ecclesiis apud quas nec est in usu, nec unquam fuit. Habemus enim earum gentium antiquissimos scriptores, qui ex professo de Ordinationibus scripserunt, Auctorem Constitutionum apostolicarum, Dionysium, vulgo Areopagitam, & alios : habemus euchologia græca, & rituales libros. In iis autem nullatenus occurrit instrumentorum porrectio : quam quidem needum in his ecclesiis frequentari ex Arcudio, Morino, aliisque compertum habemus.

NEC dicas nullas esse Græcorum & aliarum gentium Ordinationes :

NAMQUE eas ut validas ab Ecclesia Latina semper habitas esse, jam pridem demonstravimus. Validæ ergo sunt : & tamen citra hanc instrumentorum porrectionem fiunt. Ergo hæc instrumentorum porrectio ad earum essentiam non pertinet.

2. Ex priscis Ecclesiæ Latinæ Conciliis & libris ritualibus. 1. enim synodus Carthaginensis IV. prolixe describit singularum Ordinationum ritus : manuum vero impositionem in presbyteratu quidem commemorat ; sed de ejusmodi porrectione prorsus silet : imo ubi ad subdiaconos venit, ipsis jubet instrumenta id genus porrigi, quia non habent manuum impositionem : ac proinde ubi talis reperiebatur impositio manuum, isti nullus erat ibi porrectioni locus. 2. Synodus Toletana IV. *can.* 27. edicit ut quando restituitur Presbyter, merito e gradu suo dejectus, ei reddatur orarium & planeta. Ergo nihil aliud in Ordinatione acceperat : quod etiam antiquis ritualibus confirmatur ; in restitutione enim, quæ accepta sunt primo, redduntur. 3. Adde Isidorum Hispalensem, Alcuinum, Amalarium, & omnes Ordinationum codices, Romanos, Gallos, Anglicanos, & alios ad annum saltem 900. in iis sane altum de ista instrumentorum

torum

torum porrectione silentium est: omnes autem contra conceptis verbis impositionem manuum assignant, tanquam id in quo posita est Ordinatio. Ergo hæc porrectio non est de ipsius essentia. Quis enim sibi persuadeat, id, quod essentiale presbyteratui est, per 800. aut 900. annos ab omnibus ubique scriptoribus, veluti conspiratione facta, fuisse prætermissum, præsertim in ejusmodi Ordinibus ubi omnia accurate, & sigillatim describuntur? Ergone id quod essentiale est velut ex compacto tacuerunt? Et quo tandem consilio aliud omnino substituissent?

De his autem Hugonem Menardum, Morinum, Goarium & Martenium, harum rerum viros consultissimos, consule.

PROBATUR 2 eorum testimoniis, qui de hac porrectione instrumentorum primi scripserunt. Iidem enim testantur Ordinationem jam antea fuisse absolutam: eo autem signo Ecclesiam demonstrare voluisse Presbyteris, quam illi potestatem jam accepissent. Hugo Victorinus *lib. 2. de sacramentis parte 3. cap. 12.* " Accipiunt, inquit, calicem ,, cum vino, & patenam cum hostiis, de manu Episcopi, quatenus ,, his instrumentis potestatem se accepisse agnoscant placabiles Deo ho- ,, stias offerendi. Ita etiam Magister sententiarum *lib. 4. dist. 24.* iisdem fere verbis, sed clarius tamen, " Ut per hoc sciant, inquit, se ,, accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi. " Durandus *lib. 2. rationalis cap. 10. nu. 11.* similia habet. Ergo.

OBJICIES 1. Eugenius IV. *in decreto suo* ejusmodi porrectionem assignat ut materiam presbyteratus. Ergo.

DISTINGUO antecedens: ut materiam accidentalem; concedo: essentialem; subdistinguo: mentem suam & opinionem proponens; concedo: definiens; nego. Duæ sunt ad illud decretum responsiones theologorum: alii enim contendunt non loqui Eugenium nisi de materia accidentali: alii vero, quibus incredibile videtur summum Pontificem, cum de materia sacramentorum ageret ex professo, consulto prætermisisse essentialem, & in accidentali hærere voluisse, præsertim cum in aliis sacramentis essentialem assignet, respondent ita sensisse Eugenium, idque reipsa proposuisse ex recepta in scholis sententia: cæterum nihil definiisse. Notandum vero est solutam tunc fuisse synodum, quæ ex Latinis simul & Græcis erat conflata.

OBJICIES 2. Gabriel Philadelphiensis *in opusculo de sacramentis* materiam Ordinis sacerdotalis esse statuit sacratissimum panem, & sacra vasa.

RESPONDEO hunc esse Græculum recentiorem, qui apud Latinos diu versatus hæc e scholis hauserat, & suis popularibus contra veterum doctrinam inferre voluit.

OBJICIES 3. Pontificale Romanum *in rubricis* sic habet, " Moneat ,, episcopus ordinandos, ut instrumenta, in quibus character imprimi- ,, tur, tangant. " Ergo.

RES-

Respondeo hanc rubricam nec antiquam nec universalem esse: quapropter non Ecclesiæ auctoritate, sed a privato quodam Pontificali inserta est. Certe in vulgatis non extat: in antiquioribus vero contra Presbyteri jam consecrati esse supponuntur cum hæc instrumenta tangunt. Vide Martenium *cap.* 8. *art.* 9. *num.* 16. *pag.* 319. in Pontificali enim Romano, quod ibi laudat, instrumenta dicuntur tradi ab Episcopo in manibus ordinati cujuslibet.

ARTICULUS III.

De Forma Presbyteratus.

ASSERTIO I.

Forma presbyteratus, juxta ea quæ de prima opinione dicta sunt, in precibus manuum impositionem comitantibus & præsertim in ea, quæ ideo *consecratio* dicitur, collata est.

Probatur 1. ex Scripturis quæ *Act.* 14. 22. Presbyterorum consecrationem referentes, solius manus impositionis, orationis, & jejunii ipsis adjuncti mentionem faciunt.

Probatur 2. testimoniis eorum Patrum quos ad superiorem articulum allegavimus, præsertim vero auctoris constitutionum apostolicarum, Hieronymi, Theodoreti, Dionysii, vulgo Areopagitæ, Gennadii, Gerberti &c.

Probatur 3. ex Conciliis *ibid.* allatis, præsertim Carthaginensi IV *can.* 3. Hispalensi II. *can.* 5. &c.

Probatur 4. ex antiquissimis ritualibus Latinis, quæ non nisi preces commemorant, & in iis consecrationem Presbyteri reponunt: de quo consule Martenium.

Probatur 5. omnium Orientalium Ecclesiarum usu, quæ ad ordinandos Presbyteros solis precibus utuntur: de quo eundem vide.

ASSERTIO II.

Non levia sunt eorum theologorum momenta, qui putant formam presbyteratus non esse in iis verbis constituendam. *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo: Accipe Spiritum sanctum &c.*

Probatur 1. ex Orientalium Ecclesiarum moribus. Formam enim Presbyteratus eandem apud eos esse oportet, quibus idem est presbyteratus. Atqui in Orientalibus Ecclesiis non usurpantur hujusmodi verba, nec horum similia: quod constat ex euchologiis & ritualibus libris earum gentium.

Probatur 2. ex veteri Latinæ ecclesiæ usu. Si enim synodum Carthaginensem, quæ de sacris Ordinationibus dedita opera egit; si Isidorum, Ama-

Amalarium, Rabanum, Micrologum, Ivonem, & alios, qui tam fuse in iisdem versati sunt; si denique vetustissimos codices ab Hugone Menardo, Morino, Martenio & aliis editos evolvas, ejusmodi verba non comparent. Ergo in his verbis forma presbyteratus sita non est. Ut enim ait idem Martenius, quis credat tot rituales libros, tot insignium Ecclesiarum singulos Ordinationum ritus adeo religiose, & in quibusdam adeo diffuse describentes, in re tam essentiali defecisse?

PROBATUR 3. ex Sancto Augustino *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 26. ibi enim sanctus ille doctor probat Christum esse Deum ex eo quod *Joannis* 20. 22. dixerit *Accipite spiritum sanctum:* & statim addit Apostolos nunquam protulisse hæc verba, neque præpositos Ecclesiæ in sacramentis administrandis ea proferre consuevisse. " Quomodo ergo, inquit, Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? imo quantus Deus est qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manus imponebant; non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia. " Itaque juxta Augustinum in Ordinibus conferendis tunc Ecclesia non dicebat, *Accipe Spiritum sanctum*, sed tantum orabat ut in ordinandos veniret Spiritus sanctus: alioqui ejus argumentum rueret. Eadem vide nono sæculo apud Amalarium *lib.* 2. *de divinis officiis cap.* 12.

OBJICIES. At ea verba diserte significant consecrandi corporis Christi & remittendorum peccatorum tunc dari potestatem. Ergo antea data non erat per impositionem manuum & orationem.

RESPONDENT per hæc verba tanquam per signa exprimi potestatem datam; non vero per ea tanquam per causas conferri.

ASSERTIO III.

Forma presbyteratus apud Græcos non videtur in iis verbis constituenda, *Divina gratia &c.*

PROBATUR ex iis quæ *supra* de episcopatu diximus.

QUÆSTIO TERTIA.

De Diaconatu.

Diaconatus est sacer Ordo, quo Ecclesiæ ministro potestas datur solemni ritu proxime ministrare sacerdoti sacris operam danti.

ARTICULUS PRIMUS.

An Diaconatus sit sacramentum.

Duæ quondam extiterunt in scholis hac de re sententiæ: prima, eaque communis, asserens diaconatum esse vere & proprie sacramentum: altera Durandi *in* 4. *dist.* 24. *quæst.*2. *num.6.* & Cajetani *tom.* 1. *opusculorum*, id negans.

ASSERTIO.

Diaconatus est veri nominis sacramentum.

PROBATUR 1. Is Ordo censeri debet sine dubio sacramentum, qui ministerium quoddam sacrum est, Dei voluntate & Christi jussu constitutum, & gratiam sibi annexam habet. Atqui talis est Diaconatus.

Ac primo quidem ministerium est sacrum: quamvis enim *Actuum 6.* prima fronte videantur tantum creati Diaconi ut mensis ministrarent; attamen certum est aut hoc etiam fuisse sacrum ministerium, aut, si sacrum non fuit, aliud extitisse quod sacrum foret. 1. enim Stephanus e primis Diaconis unus, statim evangelium prædicavit *ibidem*, quod & *cap.* 8. fecisse perhibetur Philippus diaconus alter, & multos præterea baptizasse. Nemo autem sani judicii sibi persuadeat hos sanctissimos viros ea affectasse aut usurpasse officia, quibus non fuissent destinati. 2. Paulus *in epist. ad Philipp. & ad Timoth.* Diaconos ubique adjungit Episcopis, & Presbyteris, & easdem fere in omnibus dotes postulat: atque adeo ejusdem sacri ministerii consortes erant. 3. Ignatius martyr Apostolorum discipulus & institutioni Diaconorum proximus, ejusque dubio procul non ignarus, *in epist. ad Trallianos num.* 2. " Oportet, inquit, Diaconos, mysteriorum Jesu Christi ministros „ omni modo omnibus placere: non enim ciborum & potuum mini- „ stri sunt, sed Ecclesiæ Dei ministri. " Idem asserit *in epist. ad Magnesianos num. 6.* " Quibus, inquit, commissum est ministerium Je- „ su Christi. 4. Polycarpus, Joannis evangelistæ auditor, *in epist. ad* „ *Philipp.* " Diaconi, inquit, inculpati esse debent sicut ministri Christi

&

„ & Dei, & non hominum : " quod ab Apoſtolo certe didicerat. 5. Id etiam conſtat ex uſu & mente Eccleſiæ, qua melior aut luculentior eſſe non poteſt Chriſti & Apoſtolorum mentis interpres. Omnis porro Eccleſia ſemper & ubique deinceps Diaconos in ſacro miniſterio habuit. Ergo non ad vulgare duntaxat, ſed etiam ac præcipue ad ſacrum officium inſtituti ſunt.

Secundo iidem conſtituti ſunt non ſine voluntate Dei & Chriſti mandato. I. enim cum Apoſtoli eos ad ſacrum officium aſciverint, id indubitatum eſt divinæ voluntatis argumentum : quis enim in animum inducat ſuum, Apoſtolos aliter Eccleſias conſtituiſſe & ſacros Ordines, quam ipſis mandaſſet Chriſtus. II. Id diſerte teſtatur Clemens Romanus Apoſtolorum ſocius; eorumque doctrinæ, ſi quis unquam, conſcius, *epiſtol.* I. *ad Corinthios :* " Apoſtoli, inquit, nobis evangelizave- „ runt a Domino Jeſu-Chriſto; Jeſus-Chriſtus a Deo Miſſus eſt ergo „ Chriſtus a Deo, & Apoſtoli a Chriſto. Itaque . . . . acceptis man- „ datis . . . . egreſſi ſunt annunciantes adventurum eſſe regnum Dei „ . . Prædicantes ergo per regiones & urbes, . . Epiſcopos & Diaco- „ nos . . . . conſtituerunt . . . . . Neque hoc nove : a multis enim „ temporibus ſcriptum fuerat (*Iſaiæ* 60. 17.) *Conſtituam Epiſcopos eo-* „ *rum in juſtitia & Diaconos eorum in fide.* " Quo in loco, ut liquet, omnia hæc divinæ voluntati & Chriſti mandatis aſcribit Clemens: imo id a Prophetis, peculiari Dei afflatu, fuiſſe multo ante prædictum affirmat. III. Ignatius martyr *ad Trallianos num.* 3. " Cuncti, inquit, „ revereantur Diaconos, ut mandatum Jeſu-Chriſti, & Epiſcopum ut „ eum qui eſt figura Patris; presbyteros autem ut conſeſſum Dei : ſi- „ ne his Eccleſia Dei non vocatur. " Si porro Diaconi ſunt Chriſti mandatum, & ſine his Eccleſia eſſe non poteſt, profecto ex Chriſti inſtitutione proficiſcuntur. IV. Polycarpus *ad Philippenſes, ſupra,* " Sub- „ jecti, inquit, eſtote presbyteris & Diaconis ſicut Deo & Chriſto. An vero ita loqueretur, ſi Diaconi humanæ prorſus originis forent? V. Hieronymus ipſe Diaconis adeo infenſus *in epiſt. ad Evangelum,* " „ Et ut ſciamus, inquit, traditiones apoſtolicas ſumptas de veteri te- „ ſtamento : quod Aaron & filii ejus atque levitæ in templo fuerunt, „ hoc ſibi Epiſcopi & Presbyteri & Diaconi vindicent in Eccleſia. " Ubi tria ſunt diligenter obſervanda : 1. eſt, Levitas ex ipſa inſtitutione & origine ſua fuiſſe ſacro altaris & tabernaculi miniſterio addictos: 2. hoc ipſum eſſe in nova lege Diaconos, quod in veteri Levitæ fuerant : 3. Diaconos id habere non ex Eccleſiæ conſuetudine, ſed ex Apoſtolica traditione : 4. denique, id etiam eſſe referendum ad figuras legis antiquæ, quibus novæ ſacerdotium Deus adumbrari voluit. VI. Eccleſia diaconatus inſtitutionem & originem ad Chriſtum ſemper retulit : quod manifeſtum eſt ex libris ritualibus antiquis, apud Martenium *pag.* 351. *&c.*

Tertio Diaconatui gratia adjuncta eſt ſicut epiſcopatui & presbyte-

ratui. *Act.* enim 6. Apostoli ad Diaconos constituendos, manuum impositionem & orationem adhibuerunt, ut alibi ad presbyteros & episcopos consecrandos : ea autem oratio gratiæ invocatæ argumentum est: 2. idem exinde semper frequentavit Ecclesia, quod ex iisdem ritualibus patet. Ergo Diaconatui nihil eorum deest quæ ad sacramentum requiruntur.

PROBATUR 2. synodi Tridentinæ judicio, quæ postquam statuit generatim sacram Ordinationem esse Sacramentum, sub hoc deinceps sacræ Ordinationis genere collocat episcopatum, presbyteratum, & diaconatum : deinde *can. 6. sess.* 23. " Si quis dixerit, in Ecclesia catho- „ lica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat „ ex episcopis, presbyteris, & ministris; anathema sit. " Ergo Ministri ad illam hierarchiam divina ordinatione institutam pertinent, ac proinde saltem Diaconi qui inter istos supremi sunt & antiquissimi : atque adeo divina Ordinatione institutus est diaconatus, & quidem ut Ordo sacer. At si quid ipsi deesset quo minus veri nominis existimaretur Sacramentum, maxime divina illa institutio. Atqui hæc non deest. Ergo.

Et vero illic diaconatus confertur cum episcopatu & presbyteratu. Atqui episcopatus & presbyteratus sunt totidem sacramenta. Ergo.

PROBATUR 3. ex eo quod diaconatus episcopatui & presbyteratui semper apud veteres adjunctus reperiatur, &, ab aliis inferioribus, etiam subdiaconatu, longo intervallo separatus. Unde porro hæc eximia dignitas ac tanta veneratio? unde hæc societas tam arcta proficiscitur, nisi quod, sicut episcopatus & presbyteratus, ita & ipse a Christo profectus fuerit, nec ut alii, ab Ecclesia fuerit institutus? Id autem abunde constat ex antiquorum Patrum, quos *supra* laudavimus, testimoniis.

PROBATUR 4. quia tanta erat diaconatus opinio, ut sacerdotii pars esse videretur : non alia enim causa est cur Diaconi ab Optato dicantur in tertio sacerdotio constituti.

OBJICIES 1. Diaconi *Actorum* 6. instituti esse leguntur ad mensarum ministerium; ergo non ad sacrum quoddam officium.

DISTINGUO antecedens : ad ministerium mensarum, quæ etiam sacræ erant ; concedo : vulgarium duntaxat ; subdistinguo : tanquam ad munus secundarium; concedo : primarium; nego. Itaque *ex* 1. *ad Cor.* 11. *v.* 20. & 21. Chrysostomo *hom.* 27. *in hanc epistolam*, &c. colligi potest prima inter Ecclesiæ exordia communibus Christianorum conviviis & mensis admisceri solitam fuisse Eucharistiæ sumptionem, sicut a Christo factum fuerat. Quamvis ergo ad mensarum ministerium electi Diaconi dicerentur, non ideo excluderentur a sacro ministerio. Deinde vero, etiamsi concederemus has mensas non nisi vulgares extitisse, nihil inde confici posset : harum quidem occasione electi esse probarentur ; sed non ob earum duntaxat ministerium. Jam vero quod ad id vulga-

re

re duntaxat ministerium non fuerint assumpti, id sane liquet cum ex prædicatione Evangelii & Baptismatis administratione, quibus statim functi sunt, tum ex eo quo creati sunt modo. Ut enim Baronii verbis utar, " An, quæso, tantum oportuit Apostolos adhibuisse studium
" in deligendis, qui prandia cœnasve pararent, ministris, ut non ex
" trivio quosque petitos viros, sed boni testimonii, plenos insuper Spi-
" ritu-sancto & sapientia . . . eligerent? Quid insuper ad communium
" mensarum ministros instituendos tantis opus fuisset religiosis ritibus,
" ut nonnisi prævia cum communi omnium oratione & sacra manuum
" impositione ad tale munus obeundum idonei censerentur?

Objicies 2. Plures ex antiquis existimarunt eo *Actorum* loco de vulgari tantum officio & Ecclesiæ facultatum dispensatione agi: atque adeo non Diaconos altarium ministros, sed alios, qui egenis & viduis providerent, illic designari: ita Chrysostomus, Theophylactus & OEcumenius *ad hunc locum*, & præterea synodus Trullana *can.* 16.

Respondeo peculiarem esse hanc quorumdam nec probandam opinionem, quæ tamen cum nostra assertione conciliari possit. Ac 1. quidem privata & non probanda ista opinio est. Diaconorum enim altaris ministrorum originem *in Actis cap.* 6. recenseri, constans est cæterorum omnium & Ecclesiæ ipsius sententia, ut liquet ex Cypriano *epist.* 65. synodo Neocæsariensi *cap.* 15. Hieronymo *epist.* 85. Beda *ad hunc locum*, & aliis innumeris Ecclesiæ Latinæ doctoribus, imo & ex vetustis Orientalium Ecclesiarum ritualibus libris. Deinde vero, etiamsi indubitatum esset in hoc *Actorum* capite de Diaconis, quales habemus, mentionem non fieri, an inde sequeretur eos non fuisse ab Apostolis jubente Christo in Ecclesiæ ministerio constitutos? minime profecto: cum alia nobis divinæ horum originis nec pauca argumenta suppetant.

Objicies 3. Cyprianus *epist.* 65. *ad Rogatianum* de quodam superbo diacono, " Meminisse autem Diaconi debent, inquit, quoniam A-
" postolos, id est episcopos & præpositos, Dominus elegit: Diaconos
" autem post ascensum Domini in cœlos, Apostoli sibi constituerunt
" episcopatus sui & Ecclesiæ ministros. Ergo.

Distinguo antecedens: constituerunt, id est assumpserunt & ordinarunt; concedo: id est instituerunt; nego. Aliud enim est Diaconos instituere, aliud instituere diaconatum: hoc Christi est; illud Apostolorum: in quo opponuntur Episcopis, qui sub Apostolorum nomine a Christo ipso constituti sunt. Hoc autem ait Cyprianus ad Diaconi cujusdam arrogantiam comprimendam: quod reipsa Episcoporum dignitatem mirifice commendat.

Objicies 4. Hieronymus *epist.* 85. *ad Evangelum*, Diaconos vocat *mensarum ministros*. Ergo.

Distinguo: appellat ab officio secundario, ut eorum superbiam frangat; concedo: quasi ad id tantum instituti fuerint; nego.

Quæres an aliter de diaconatu jam opinari liceat.

Respondeo 1. meo quidem judicio temeritatis, aut etiam erroris nota eum esse afficiendum qui aliud sentiat, propter synodi Tridentinæ auctoritatem.

Respondeo 2. Dominicum Soto, Bellarminum & alios arbitrari nondum id esse in fidei dogma susceptum; propterea quod aliquatenus explicari posset synodus Tridentina, quæ quidem pronunciat divinitus esse institutam hierarchiam, quæ constat episcopis, presbyteris, & ministris; sed non quatenus iis omnibus constat: de quo Vasquesium vide.

ARTICULUS II.

De Materia Diaconatus.

IN Ordinatione Diaconorum apud Latinos quatuor notanda sunt. 1. enim Episcopus manus eis imponit: dum autem manus extensas tenet, prolixam orationem fundit, quæ in antiquis ritualibus *consecratio* nominatur: in hujus porro orationis medio, filum abrumpens, singulis ait, *Accipe Spiritum ad robur, ad resistendum diabolo & tentationibus ejus.*

2. Idem unicuique tradit stolam, dicens, *Accipe stolam.*

3. Quemlibet induit dalmatica, his verbis, *Induat te Dominus, &c.*

4. Omnibus porrigit librum evangeliorum, *Accipe*, inquiens, *potestatem legendi evangelium.*

Hinc quintuplex Theologorum sententia de diaconatus materia exurgit.

Prima, quæ jam multum invaluit, in sola manuum impositione ipsam collocat: ita olim censuerunt Bonaventura, Durandus, Scotus, & hac nostra ætate Morinus, Martenius, Jueninus, & alii plures.

Secunda solam contra agnoscit libri evangeliorum traditionem: ita Ricardus *in* 4. *dist.* 24. Paludanus, Major, Tapperus, &c.

Tertia utramque conjungit: ita S. Thomas *qu.* 37. *&* 38.

Quarta addit stolam: ita Durandus *lib.* 2. *rationalis cap.* 9. *num.* 18. Sichardus Cremonensis *lib.* 2. *de institutis Ecclesiæ cap.* 2. Paulus Jadrensis *apud Morinum.*

Quinta adjicit insuper dalmaticam: sic Michael Medina *de continentia lib.* 1. *cap.* 39.

ASSERTIO PRIMA.

Impositio manuum est materia diaconatus.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ manuum impositione primos septem Diaconos constitutos perhibent.

Probatur 2. omnium Ecclesiarum in ea deinceps usurpanda constanti consensione, quæ ex earum ritualibus jam constat.

Pro-

PROBATUR 3. ex peculiari Ecclesiæ Græcæ usu, quæ nec dalmaticam nec librum evangeliorum Diaconis tribuit, ut patet ex memoratis ritibus, sed sola hactenus manuum impositione usa est: quæ tamen Ecclesia dici non potest diaconatu semper caruisse. Stolam quidem tradit Episcopus: sed cur illa non possit esse diaconatus materia, postmodum aperiemus.

PROBATUR 4. *ex lib.* 8. *const. apost. cap.* 17. " Diaconum, inquit auctor, efficies, Episcope, imponens ei manus, ... & orans dices &c.

PROBATUR 5. ex synodo Carthag. IV. quæ *can.* 3. solam impositionem manuum & benedictionem, idest, orationem præscribit.

PROBATUR 6. ex Dionysio, vulgo Areopagita, qui eandem Diaconorum Ordinationem depingens *cap.* 5. " Diaconus, inquit, . . . dex„ teram manum Pontificis qui eum consecrat, super caput habet, ab „ eoque consecratur iis precationibus, quibus ministri consecrari so„ lent.

PROBATUR 7. ex synodo Hispalensi II. *cap.* 4. ubi Episcopus ad Levitas consecrandos manuum impositionem adhibuisse fertur (materiæ loco,) dum presbyter benedictionem (seu orationem) daret (tanquam formam:) " Ad cognitionem nostram, inquiunt Patres Aniani Ega„ brensis Diaconi relatu, deductum est de quibusdam ipsius Ecclesiæ „ clericis quorum dum unus ad presbyterium, duo ad Levitarum mi„ nisterium sacrarentur, Episcopus eorum, oculorum dolore detentus, „ fertur manum suam super eos tantum posuisse, & presbyter quidam „ illis, contra ecclesiasticum Ordinem, benedictionem dedisse.

PROBATUR 8. ex synodo Meldensi an. 845. in qua vetatur ne Chorepiscopi Ordines illos tradant qui per manuum impositionem tribuuntur. " Id est, inquit, non nisi usque ad subdiaconatum.

PROBATUR 9. multorum vetustissimorum ritualium auctoritate, quæ solam quoque assignant manuum impositionem, cæteris omissis. Vide Martenium. *cap.* 9. *art.* 9. *num.* 4.

ASSERTIO II.

TRADITIO codicis Evangeliorum potest dici ad essentiam diaconatus non pertinere.

PROBATUR 1. quia cum Diaconi ab Apostolis constituti sunt, nullus adhuc extabat Evangeliorum codex qui tradi posset: verus tamen tunc temporis extabat diaconatus: ergo diaconatui jam instituto accidit hæc Evangeliorum codicis porrectio.

PROBATUR 2. Ecclesiæ Græcæ usu, quæ necdum hanc in suas consuetudines admisit: de quo Martenius *supra*, *num.* 7.

PROBATUR 3. ex eo quod id ne in moribus quidem Ecclesiæ Latinæ quondam esset: quod patet ex antiquis ritualibus ante annum 800.

scriptis. Exinde quidem invaluit; sed necdum seculo XIV. ecclesias omnes pervaserat is ritus. Nondum certe receptus erat in Ecclesia Aniciensi: qui enim ei tunc præerat Durandus, hanc consuetudinem in ipsam primus induxit. Vide Morinum *exerc. 9. cap. 1.* Martenium, &c.

Probatur 4. quia multis in ecclesiis olim diaconi Evangelium non legebant, quod pluribus argumentis probat Morinus *supra*, *num.* 10.

Concilium Toletanum I. *can.* 4. " Subdiaconus defuncta uxore, inquit, si uxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat removeatur, & habeatur inter ostiarios vel lectores, ita ut Evangelium & Apostolum non legat. " Lectione ergo Evangelii & Apostoli fungebantur tunc temporis Subdiaconi in Hispania.

Sozomenus *lib. 7. hist. cap.* 19. " Sacrum codicem (Evangeliorum) hic (Alexandriæ) legit solus Archidiaconus, apud alios vero Diaconi: in multis etiam Ecclesiis soli sacerdotes, diebus autem solemnibus Episcopi, ut Constantinopoli prima feria Resurrectionis Dominicæ." Ergo.

Probatur denique ex Urbano II. *supra* de Nezelone, qui quidem, quia nihil habebat, dicitur nihil dare potuisse Daiberto, cui manus imposuerat ad diaconatum.

ASSERTIO III.

Stola non est de essentia diaconatus.

Probatur. Primo enim nihil ejusmodi legitur primis Diaconis datum.

Secundo in antiquis ritualibus non paucis omittitur: de quo Martenius *num* 4.

Tertio in Græcis quidem Ecclesiis vulgo, sicut in Latinis, usurpatur; sed in illis stolæ nulla verba instar formæ respondent.

Quarto nec stola, nec verba apud Latinos ei adjuncta, diaconatus effectum satis significant.

Quinto omnes fere theologi, his aliisque rationibus moti, stolam esse diaconatus materiam inficiantur. Ergo.

ASSERTIO IV.

Dalmatica ad diaconatus essentiam multo minus pertinet.

Probatur, quia recentissimi illa est usus in Ecclesia Latina teste Morino; in Græca autem nullatenus comparet.

AR-

ARTICULUS III.

De Forma Diaconatus.

ASSERTIO PRIMA.

FOrma diaconatus posita est in precibus impositioni manuum adjunctis.

PROBATUR 1. ex Scripturis *supra*, quæ in Diaconorum creatione ab Apostolis facta solius orationis mentionem faciunt.

PROBATUR 2. ex usu ecclesiæ Græcæ, quæ etiamnum nihil aliud in usu habet : de quo Morinus.

PROBATUR 3. ex ecclesiæ antiquis ritibus, in quibus pariter solæ orationes extant, quas inter una dicitur conceptis verbis *consecratio Diaconi* : de quo Martenius.

PROBATUR 4. utriusque Ecclesiæ in eo ritu adhibendo consensione.

PROBATUR 5. ex auctore constitutionum apostolicarum, Dionysio vulgo Areopagita, Concilio Carthaginensi IV. & Hispalensi II. *supra*.

ASSERTIO II.

Plures theologi non sine fundamento putant diaconatus formam non esse in his verbis reponendam, *Accipe Spiritum-sanctum ad robur &c.*

PROBATUR 1. quia apud Græcos non usurpantur : de quo vide euchologia.

PROBATUR 2. quia in ecclesia Latina a paucis sæculis frequentantur : de quo Morinus *exercit. 9. cap. 2. nu. 2.* & Martenius.

PROBATUR 3. quia manifeste apparet ea esse orationi, quæ sola ab Episcopo primum fundebatur, postmodum inserta. Ejus sane sententiam ac seriem aliquatenus perturbant, nec cum ea omnino cohærent : imo postquam dixit Episcopus, *Accipe Spiritum-sanctum*, orat nihilominus idem, ut in ordinandos illabatur, quasi nondum datus sit.

PROBATUR 4. quia, teste Augustino *supra*, Ecclesiæ præpositi non utebantur hac formula, *Accipe Spiritum-sanctum*.

PROBATUR 5. quia effectum sacramenti proprium non satis distincte ea verba indicant.

ASSERTIO III.

Verba quæ stolæ, dalmaticæ & Evangeliorum codicis traditionem comitantur, ea non sunt forma diaconatus.

PROBATUR iisdem, quæ de materia allata sunt, momentis.

ARTICULUS IV.

De Diaconissis.

IN Ecclesiæ ministerio extitisse quondam Diaconissas virgines aut viduas aut in unicis nuptiis continentes, apud antiquos celebratissimas, ex variis conciliis & scriptoribus 1. *parte*, *qu.* 2. & 5. adductis, compertum est.

De his autem gravis ac præcipua in scholis quæstio est, an scilicet vera Ordinatione consecrarentur: quam accurate, quantum fieri licuit, *ibid.* tractavimus: itaque pauca jam duntaxat supersunt de iis inquirenda.

QUÆRES 1. an illæ fuerint vetusti in Ecclesia usus.

RESPONDEO earum originem esse antiquissimam. Paulus enim *ad Rom.* 16. Phœben Cenchrensis Ecclesiæ diaconissam commendat: hujusmodi quoque ministrarum meminit Plinius *lib.* 10. *epist.* 97. ubi de Christianis loquitur.

QUÆRES 2. an non solum in Oriente, sed & in Occidente frequentes extiterint.

RESPONDEO ita esse: quod ex variis utriusque Ecclesiæ synodis, Patribus, & ritualibus libris indubitatum est.

QUÆRES 3. an utrobique sacro ministerio manuum impositionis ope addicerentur.

RESPONDEO ita esse: ac de Oriente nulla est difficultas: de Occidente vero idem colligitur ex Tertulliano *lib.* 1. *ad uxorem*, *cap.* 7. Fortunato *in vita S. Radegundis*, *cap.* 22. concilio Wormaciensi *can.* 45. ordine Romano vulgari &c.

QUÆRES 4. quo vitæ anno mulieres ad hoc ministerium assumerentur.

RESPONDEO olim non ante annum vitæ sexagesimum: sic enim Apostolus edicit 1. Tim. 5. 9. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum.*

Adde codicem Theodosianum *lib.* 6. *lege* 27. Justinianæum de Episcopis *lege* 9. Sozomenum *lib.* 7. *cap.* 16. postea autem assumptas anno quinquagesimo aut quadragesimo: ita concilium Chalcedonense *can.* 15. concilium Wormaciense *supra*; cujus quidem disciplinæ mutationis causam afferunt Patres Trullani *can.* 40. & Zonaras *ad can.* 15. *Chalced.* quod nempe " Ecclesia potentior & robustior evaserit, sintque fidelium ani- " mi ad capessenda divinæ legis imperia paratiores.

QUÆRES 5. quænam essent Diaconissarum munia.

RESPONDEO plura fuisse: hæc autem esse præcipua. 1. Cum mulieres baptizabantur, earum corpora nudabant & ungebant, easque e sacro fonte suscipiebant: ita constitutiones apostolicæ *lib.* 3. *cap.* 16. & Epiphanius *hæresi* 79. 2. Easdem aut alias mulieres, cum opus erat, privatim adibant & docebant; ita eædem constitutiones *ibid.* & synodus Carthagi-

nen-

nensis IV. *can.* 12. 3. Eas ecclesiæ fores, per quas feminæ ingrediebantur, custodiebant, & ipsis mulieribus in ecclesia præerant: ita eædem constitut. *lib.* 2. *cap.* 58. & *lib.* 8. *cap.* 20. Ignatius, seu quisquis alius est, *in epist. ad Antiochenos*; Harmenopulus *sect.* 2. *canonum epitomes*, *can.* 14. *&c.*

QUÆRES *6.* quandonam in usu esse desierint.

RESPONDEO eas apud Græcos sæculo XIII. exolevisse, ut testatur Balzamon *ad can.* 15. *Chalced.* quamvis alicubi adhuc vigerent, præsertim Constantinopoli, ut ex eodem colligitur *lib.* 5. *juris Orientalis*, *resp.* 35. apud Latinos autem eo pariter tempore extinctas fuisse: Petrus enim Pictaviensis *in glossis super sententias Lombardi lib.* 4. *dist.* 20. affirmat eas ævo suo in desuetudinem abiisse. Certe extabant adhuc XI. sæculo, quod ex Mabillonio *tomo* 2. *Musæi Italici* constat.

De his porro qui plura habere voluerit, is adeat Morinum, Cotelerium, Cangium.

QUÆSTIO QUARTA.

De Subdiaconatu.

SUbdiaconatus est Ordo sacer, quo cuipiam potestas datur ut diacono solemni more ministranti subserviat.

ARTICULUS PRIMUS.

An Subdiaconatus sit Ordo sacer.

ASSERTIO PRIMA.

SUbdiaconatus est Ordo sacer in Ecclesia Latina.

PROBATUR 1. ex iis quæ 1. *parte*, *quæst.* 2. disputavimus: 2. ex perpetua & unanimi Ecclesiæ Latinæ scriptorum a XIII. sæculo consensione: 3. ex iis quæ jam a nobis dicentur.

ASSERTIO II.

Subdiaconatus non semper fuit Ordo sacer.

PROBATUR 1. ex ingenti, quod veteres diaconatum inter & subdiaconatum semper posuerunt, intervallo. 1. enim tres tantum Ordines recensent, Episcopatum, presbyteratum, & diaconatum, quasi nulli alii essent. 2. Diaconos in tertio sacerdotii gradu collocant, nullos alios, ipsis inferiores, sacerdotio includunt. 3. Diaconorum con-

consecrationem Episcopis servant, cæterorum potestatem Chorepiscopis faciunt. 4. Intra sanctuarium illi tres gradus soli conferebantur, reliqui extra. 5. Majores Ordines continentiæ lege semper astricti sunt; non ita Subdiaconi. 6. Ipsis plebes regendæ commissæ sunt, non autem aliis. 7. Ex solis presbyteris & diaconis Episcopi assumi poterant. Quorsum autem tam latum discrimen, si subdiaconatus, sicut diaconatus, sacris Ordinibus semper annumeratus fuisset? cur ab aliis tanta intercapedine fuisset separatus?

PROBATUR 2. ex auctore Constitutionum apostolicarum *lib.* 8. *cap.* 28. ubi quanta potestas majoribus istis ac sacris Ordinibus competat describens, post episcopos & presbyteros, ad diaconos venit: " Diaconus, inquit, excommunicat Subdiaconum, lectorem, &c. Subdiacono non licet segregare neque lectorem, neque cantorem, ... non clericum, non laicum: ministri enim sunt diaconorum. " Quantum infra diaconos deprimuntur!

PROBATUR 3. ex synodo Laodicena, quæ *can.* 21. de Subdiaconis loquens, " Non oportet, inquit, ministros (sic enim vulgo appellabantur) locum habere in diaconico & sacra vasa tangere. " *Sacri* autem ideo præcipue dicuntur Ordines, quod sacra contrectent.

PROBATUR 4. ex synodo Carthaginensi IV. quæ *can.* 5. notat Subdiaconos non accipere manuum impositionem, quæ tribus aliis sacris Ordinibus communis est.

PROBATUR 5. *ex sacramentario* Gregorii-magni, & aliis ritualibus, ubi Ordinatio Subdiaconorum, una cum aliis minoribus, & a tribus majoribus seorsim, omnino recensentur. Vide Menardum *pag.* 280. Morinum *exercit.* 12. *cap.* 5. *num.* 7. & Martenium *cap.* 8. *art.* 1. *num.* 6.

PROBATUR 6. pluribus antiquorum sive Pontificum, sive ecclesiasticorum scriptorum ac theologorum testimoniis, qui notant subdiaconatum non fuisse olim sacrum Ordinem.

Primo enim Urbanus II. in synodo Beneventana anno 1091. cujus acta edidit Baluzius *ad cap.* 13. *libri* 8. *de concordia imperii & sacerdotii*, " Nullus, inquit, in episcopatum eligatur, nisi in sacris Ordinibus religiose vivens fuerit inventus: *sacros* autem *Ordines* dicimus diaconatum & presbyteratum: hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.

Secundo Ivo Carnotensis anno 1100. *parte* 5. *cap.* 72. decretum illud laudat & adscisit.

Tertio Hugo Victorinus an. 1130. *lib.* 2. *de sacramentis parte* 3. *cap.* 13. " *Sacros*, inquit, *Ordines* diaconatus & presbyteratus tantum appellandos censent, quia hos solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.

Quarto Gratianus an. 1145. *dist.* 60. cap. 4. *Nullus*, eandem Urbani sanctionem appellat, & in canonum corpus inducit.

Quinto Magister sententiarum an. 1145. *lib.* 4. *dist.* 24. *litt. I.* " Cum omnes (Ordines) inquit, spirituales sint & sacri, excellenter tamen " cano-

„ canones duos tantum *ſacros Ordines* appellari cenſent, diaconatus ſci-
„ licet & presbyteratus, quia hos ſolos primitiva Eccleſia legitur ha-
„ buiſſe .... Levitas etiam ab Apoſtolis ordinatos legimus : . . Sub-
„ diaconos vero & acolythos procedente tempore Eccleſia ſibi conſti-
„ tuit. " Quæ eadem verba habet Gratianus *diſt* 21.

Sexto Philippus Bonæ-Spei abbas *de continentia clericorum cap.* 107. anno 1180. " Hi duo, inquit, ſcilicet presbyter & diaconus ſacris Or-
„ dinibus dicuntur inſigniti . . . . Sunt præter iſtos alii, qui etiam cir-
„ ca altaris miniſterium occupantur, qui, etſi gradum ſanctitatis habe-
„ re non negantur, non tamen eorum *ſacri* Ordines appellantur.

Septimo Petrus Cantor an. 1197. *in lib. de verbo mirifico cap.* 54. "
„ De novo, ait, inſtitutum eſt ſubdiaconatum eſſe *ſacrum Ordinem*. "
Ergo hactenus non fuerat.

Octavo Innocentius III. an. 1200. cap. *A multis*, de qualitate præficiendorum, Urbani II. decretum refert & probat, ut & cap. *Miramur*, de ſervis non ordinandis.

Nono Joannes de Raguſio *in Oratione de communione ſub utraque ſpecie*, *tom.* 12. *Conc. pag.* 1152. " In primitiva, inquit, Eccleſia, erant
„ duo tantummodo Ordines, diaconatus ſcilicet & ſacerdotium &c.

Decimo Henricus Kalteiſen *de libera prædicatione verbi Dei*, *ibid. pag.* 1340. " In Eccleſia primitiva, inquit, tantum duo .... diceban-
„ tur *ſacri*, ſcilicet diaconatus & presbyteratus. Subdiaconatum eſſe
„ *Ordinem ſacrum* poſtea Eccleſia inſtituit.

Probatur 7. eorum veterum auctoritate, qui Pontificem nominant, a quo primum ſubdiaconatus inter Ordines ſacros repoſitus fuerit.

Primo enim Innocentius III. cap. *A multis*, *ſupra*, hujus rei auctorem aſſignat Urbanum II. cujus veſtigiis ipſe inſiſtens, Subdiaconos in numero ſacrorum Ordinum conſtituit, ideoque Epiſcopos tam e Subdiaconorum Ordine, quam diaconorum & presbyterorum eligi deinceps poſſe pronunciat.

Secundo Pontificale contra Pariſienſe ab annis circiter 300. ſcriptum, teſte Martenio, dignitatis iſtius originem ad Innocentium refert : Sub-
„ diaconatus, ait, ex inſtitutione Innocentii III. .... eſt ſacer Ordo:
„ unde ſuper ipſos, ſicut ſuper alios, faciendæ ſunt litaniæ &c.

Tertio Durandus Mimatenſis *lib.* 2. *rationalis*, *cap.* 8. id ex eodem Innocentii III. fonte derivat : " Ordo ſubdiaconatus, inquit, *ſacer* ho-
„ die ſecundum Innocentium III. reputatur.

Nec immerito : quamvis enim dici queat hoc ab Urbano II. ſancitum eſſe; attamen res iſta apud pleroſque aut incerta, aut ignota erat, aut ab ipſis non admiſſa, ut patet ex Philippo abbate & Hugone qui aliter ſenſerunt. At Innocentius III. dubium omne ſolvit, & huic conſtitutioni firmam auctoritatem conciliavit.

Porro Urbanus II. ſub finem XI. ſæculi, Innocentius autem III. XII. exeun-

exeunte Ecclesiæ præfuerunt. Ex quo nemo est, qui non intelligat pridem esse ex quo subdiaconatus ad sacri Ordinis honorem evectus est. Ut autem huic assertioni robur accedat, observandum est subdiaconatum necdum apud Græcos inter sacros Ordines recenseri.

ARTICULUS II.

An Subdiaconatus sit sacramentum.

DUÆ sunt ac semper fuerunt de hoc capite opiniones: prima affirmans, eaque apud veteres theologos pervulgata: altera negans, apud recentiores communior. Postremæ hujus duntaxat proponemus argumenta: de utraque autem judicium unicuique permittemus.

ASSERTIO.

NON exigui ponderis sunt momenta quibus innituntur ii, qui Subdiaconatum sacramentum esse inficiantur.

PROBATUR 1. Is Ordo non est veri nominis sacramentum, qui non a Christo, nec ab Apostolis, sed ab Ecclesia progressu temporis institutus est: atqui talis est subdiaconatus.

Primo enim subdiaconatum in primitiva Ecclesia non extitisse, sed procedente tempore ab Ecclesia fuisse institutum censuerunt allegati mox summi Pontifices, doctores ecclesiastici, & vetustissimi scholæ principes, Urbanus II. nimirum & Innocentius III. Ivo Carnotensis, Hugo Victorinus, Gratianus, Lombardus, Joannes de Ragusio & Henricus Kalteisen.

Secundo Ambrosius, seu potius Ambrosiaster, *in epist. ad Tim.* apud Amalarium *lib. 2. de officiis ecclesiasticis. cap. 6.* " Non convenit demirari, inquit, si neque Subdiaconorum, neque lectorum memoriam „ Apostolus fecisse videatur: illis enim gradibus functionum, qui in „ Ecclesia necessario habentur, isti postea magis sunt adjecti propter „ utilitatem ministerii, quod propter multitudinem credentium per alteros postea impleri debere necessitas flagitavit. Unde nec Ordinationem ante altare assequuntur, eo quod nec mysteriis ministrare statuuntur.

Tertio ipse Amalarius *ibidem*, " Notandum est, inquit, eos Ordines (sacerdotii nempe & diaconatus) qui potissimum necessarii sunt „ in Ecclesia, Apostolum Paulum denominasse: . . . . . cæteri Ordines his adjecti sunt. Crescente Ecclesia, crevit officium ecclesiasticum. Ut multitudini Ecclesiæ subveniri posset, adjiciuntur inferiores „ in adjutorio præpositorum.

Quarto Petrus Blesensis *ser. m. 47.* " Notandum occurrit, inquit, quia „ productior est ascensus ad hunc (sacerdotii) gradum nunc, quam in primi-

„ primitiva Ecclesia, in qua, qui tantum fidelis erat, diaconus fiebat „ vel sacerdos. Introducti postea sunt quidam minorum (diaconatu) „ Ordinum gradus, per quos tanquam per cantica graduum ascenditur „ ad sacerdotium." Ergo subdiaconatus non est nec habebatur olim tanquam veri nominis sacramentum.

PROBATUR 2. ex eo quod, ut *supra* vidimus, subdiaconatus minoribus Ordinibus accenseretur. At major pars theologorum statuit minores Ordines non esse sacramenta. Ergo idem ab ipsis, si in antiquitate essent versati, aut sibi constare voluissent, de subdiaconatu erat pronunciandum.

PROBATUR 3. Sacramenta ministrum habent proprium a Christo sibi addictum, quem mutare penes Ecclesiam non sit: sunt enim illa divinæ institutionis; atque adeo si subdiaconatus, non secus ac cæteri majores, tanquam sacramentum ab ipso est institutus, eundem quoque cum illis ministrum habeat oportet, quandoquidem ejusdem tunc conditionis existimari debeat. Jam autem tres illi majores non nisi ab Episcopo conferri possunt. Ergo & subdiaconatus ejusdem deberet esse rationis. Atqui contra subdiaconatus conferendi potestas & chorepiscopis & presbyteris olim est ab Ecclesia facta. Ergo illius minister ab Ecclesia pendet. Ergo veri nominis non est sacramentum.

PROBATUR 4. ex synodo Tridentina quæ *sess.* 23. *can.* 4. probat sacram Ordinationem esse sacramentum, quia in ea dicitur, *Accipe Spiritum sanctum*. Atqui in tribus majoribus id dicitur; sed non in Ordinatione Subdiaconorum. Ergo subdiaconatus non est sacramentum.

PROBATUR 5. quia is Ordo in Ecclesia Latina sine manuum impositione confertur ex concilio Carthaginensi IV. & omnibus antiquis ritualibus. At videtur Christus assignasse pro materia sacramenti Ordinis impositionem manuum, eique gratiam alligasse: unde & in tribus majoribus constanter adhibita est. Ergo.

PROBATUR 6. ex ingenti illo discrimine, quod diaconatum inter & subdiaconatum veteres admiserunt, & nos non ita pridem explicuimus. Non enim verisimile est eos ita acturos ac locuturos fuisse, si subdiaconatus, non minus quam diaconatus, a Christo profectus esset.

PROBATUR 7. quia Vasquesius & Isambertus, qui aliter, quam nos sentiunt, ingenue confitentur, se non admodum firma sententiæ suæ argumenta habere.

OBJICIES. Ordo generatim est sacramentum. Ergo singuli Ordines sunt totidem sacramenta.

RESPONDEO 1. id nimis probare, inde enim sequeretur quatuor minores esse etiam sacramenta: quod tamen Vasquesius & plerique alii negant.

RESPONDEO 2. distinguo majorem: Ordo a Christo institutus; concedo: ab Ecclesia; nego. Itaque Ordines non sunt unius modi.

A R-

ARTICULUS III.

De Materia & Forma Subdiaconatus.

CUM in Ecclesia Latina Subdiaconi ordinantur,

Primo Episcopus singulis porrigit calicem vacuum cum patena vacua, & ait, *Videte cujus ministerium &c.* quibus verbis oratio adjungitur *benedictio* olim dicta.

Secundo Archidiaconus tangendos ipsis offert urceolos cum vino & aqua, & bacile cum manutergio.

Tertio Pontifex iis tradit amictum, dein manipulum, & tandem tunicam, ajens, *Accipe amictum &c.*

Quarto idem omnibus dat codicem epistolarum, *Accipite*, ajens, *librum epistolarum & habete potestatem legendi eas.*

In Ecclesia autem Græca sola cum oratione obtinet manuum impositio. Hinc multiplex oritur theologorum de Materia & Forma Subdiaconatus sententia.

Prima Materiam collocat in sola calicis & patenæ traditione : ita multo maxima pars scholæ.

Secunda in sola codicis epistolarum porrectione. Viguerius *in summa institutionis theologicæ cap.* 16.

Tertia addit manipulum & urceolum cum aquamanili & manutergio : ita Ricardus Cremonensis *lib.* 2. *cap.* 2.

Quarta Tunicam quoque adjicit : ita Medina *lib.* 1. *de continentia cap.* 44.

Quinta omnia quæ in ista Ordinatione usurpantur & ab Ecclesia præcipiuntur, ad materiam & essentiam refert : ita Morinus *exercit.* 12. & alii recentiores, hac scilicet adducti ratione, quod subdiaconatus sit ab Ecclesia institutus, atque adeo totus ab ejus decretis pendeat. Jam autem pro istarum opinionum varietate, forma quoque diversa statuitur : ea enim in verbis materiam comitantibus sita est.

ASSERTIO PRIMA.

SUBDIACONATUS Materia est calicis & patenæ traditio.

PROBATUR 1. ex concilio Carthaginensi IV. quod quidem definiens qua ratione Subdiaconus sit consecrandus, " Subdiaconus, inquit *can.* 5. " cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam & calicem vacuum; de manu archidiaconi urceolum, cum aquamanili & manutergium. " Nulla ibi benedictionis, quæ in diaconatu non omittitur, aut ullorum verborum mentio est.

PROBATUR 2. ex Joanne Diacono, qui *in epistola ad Senarium* de subdiaconatu his consentanea scribit : " Ejus, inquit, hic apud nos ordo est, " ut accepto sacratissimo calice, in quo consuevit Pontifex dominici san-

" gui-

„ guinis immolare myſterium, ſubdiaconus jam dicatur. " Illic enim jam totam hujus Ordinis ſubſtantiam in ejuſmodi traditione inſtrumentorum reponit.

Probatur 3. VIII. ſynodi Toletanæ auctoritate, quæ non ſolum eandem vaſorum ſacrorum porrectionem aſſignat: ſed etiam benedictionem adjungendam docet, quaſi id in quo ſubdiaconatus vis præcipue poſita ſit: quamvis non obſcure ſimul ſignificet hanc benedictionem ubique non viguiſſe: quod & quibuſdam Subdiaconis peccandi occaſionem dederat. " Relatum eſt nobis, ajunt hujus concilii Patres *can. 9.* quoſdam Sub-
„ diaconos, poſtquam ad ſacrum hujus Ordinis pervenerunt gradum, non
„ ſolum carnis immunditia ſordidari, ... ſed etiam, quod dictu nefas eſt,
„ novis uxoribus copulari: aſſerentes hoc ideo ſibi licere, quia benedi-
„ ctionem a Pontifice ſe neſciunt percepiſſe. Proinde omni excuſationum
„ diſciſſo velamine, id præcipimus obſervari, ut cum iidem Subdiacones
„ ordinantur, cum vaſis miniſterii benedictio eis ab Epiſcopo detur, ſi-
„ cut in quibuſdam eccleſiis vetuſtas tradit.

Probatur 4. ex omnibus antiquis ritualibus, qui talium vaſorum porrectionem, allata etiam ſynodi Carthaginenſis auctoritate, aut ſolam, aut ſaltem ut præcipuum iſtius Ordinationis caput, præſcribunt: de quo Morinus & Martenius.

ASSERTIO II.

Urceoli ab Archidiacono traditi, non videntur eſſe materia ſubdiaconatus.

Probatur 1. quia quælibet materia jam habet formam ſibi reſpondentem. At nulla tunc verba ab Archidiacono proferuntur. Ergo.

Probatur 2. quia Archidiaconus eo fieret veluti ſubdiaconatus miniſter. Atqui ſolus Epiſcopus eſt ordinarius ſubdiaconatus miniſter. Ergo.

ASSERTIO III.

Traditio codicis epiſtolarum non eſt materia ſubdiaconatus.

Probatur 1. eo quod is ritus ſit in Ordinatione Subdiaconorum recentiſſimus: vix enim anni 400. ſunt ex quo uſurpatur, quod ex veterum ritualium lectione colligunt Martenius & Morinus.

Probatur 2. non tantum hoc ritualium ſilentio, quod tamen maximi roboris eſt; ſed & diſertis Amalarii & Micrologi teſtimoniis, qui innuunt Subdiaconos non ubique epiſtolas legiſſe. Amalarius ergo *lib. 1. de divinis officiis, cap. 11.* " Miror, inquit, qua de re ſumptus uſus in
„ eccleſia noſtra, ut Subdiaconus frequentiſſime legat lectionem ad Miſ-
„ ſam, cum hoc non reperiatur in miniſterio ſibi dato in conſecratione
„ commiſſum, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine ſuo, " ſic ille ſeculo IX. At XI. ſæculo Micrologus *lib. 2. de eccleſiaſticis obſervationibus cap. 8.* " Solis Subdiaconis, inquit, inter inferiores gradus,
„ Romana auctoritas concedit, ut ſacris veſtibus induti Epiſtolam le-

„ gant

„ gant ad Missam, quod tamen non ex eorum consecratione, sed potius ex „ ecclesiastica consensione meruerunt obtinere. " Imo longe postea idem notat Durandus Mimat. *lib.2. ration. cap.8. n.4.*

ASSERTIO IV.

Amictus, manipulus, & tunica materiæ locum tenere non possunt.

Probatur, quia omnis ista suppellex sacra recentissimi usus est in Subdiaconorum Ordinationibus: essentiæ autem sunt immutabiles.

ASSERTIO V.

Forma subdiaconatus in solis verbis, & oratione, quæ calicis & patenæ traditioni respondent, constituta esse videtur.

Probatur. Primo enim in antiquis ritualibus ac sacramentariis, Gelasiano, Gregoriano &c. hæc sola comparent. 2. Ut *assert.* 1. vidimus, veteres in ista oratione præcipuam istius Ordinationis vim collocabant. 3. Omnes rituales libri in ejusmodi oratione Subdiaconi consecrationem reponunt.

Dubitari tamen potest an ista olim forma, saltem apud omnes, obtineret. 1. enim in concilio Carthaginensi IV. nulla formæ, & benedictionis mentio est. 2. Joannes diaconus totam hujus consecrationis substantiam in instrumentorum traditione constituit. 3. synodus Toletana significat hanc benedictionem non ubique viguisse. Atque hæc quidem ita disputamus, quod vulgares notiones consectemur, juxta quas essentiæ rerum mutabiles & variæ esse non possunt.

Cæterum si quis obfirmato animo contendat de talibus rebus, quæ ex humano arbitrio pendent, aliter esse statuendum, atque adeo earum essentias restringi & amplificari posse; non admodum repugnabimus. Satius tamen arbitramur, salvo meliori aliorum judicio, si ista omnia, quemadmodum a nobis factum est, ita componantur.

QUÆSTIO QUINTA.

De Minoribus Ordinibus, & Tonsura.

ARTICULUS PRIMUS.

De Minoribus Ordinibus.

QUæ de Minoribus Ordinibus dici solent, ea jam *prima parte* ita sumus executi, ut quæ restant brevibus quæstiunculis expediri possint.

Quæ-

QUÆRES 1. an Minores Ordines sint sacramenta.

RESPONDEO 1. duas esse Theologorum opiniones plane oppositas.

RESPONDEO 2. communiorem eam esse quæ hoc negat: 1. ob ea quæ de subdiaconatu nuper differebamus: si enim subdiaconatus non est sacramentum, multo minus sacramenta erunt inferiores Ordines. 2. Ex *supra* allegatis doctoribus, nonnulli sunt, qui acolythos subdiaconis conjungant. 3. quia non idem minorum numerus fuit in utraque Ecclesia: atque adeo plura uni quam alteri Ecclesiæ sacramenta essent: quod dictu est absurdum: si enim Ecclesia Græca hos omnes Ordines habuisset pro sacramentis a Christo institutis, cur ea non asciviisset? & quo tandem consilio se gratia sibi a Christo oblata privasset, eo saltem tempore quo adhuc sapiebat? Qui factum ut Græcos negligentiæ in tanto momento Ecclesia Latina non accusasset, aut de damno non admonuisset?

QUÆRES 2. quænam sit materia ac forma singulorum Ordinum.

RESPONDEO generatim ipsorum materiam in instrumentis cuique propriis; formam autem in verbis adjunctis esse sitam. Hæc autem, cæteraque huc pertinentia, si fusius tractata desideraveris, ex antiquis ritualibus, pontificali Romano, Morino, Martenio &c. qui in hos sacrorum Ordinum ritus ex professo incubuerunt, repetere curabis.

ARTICULUS II.

De Tonsura Clericali.

DE hac Clericorum Tonsura nulla est inter Theologos quæstio: quo breviores erimus præsertim cum ævo nostro tam præclare de ea scripserint Morinus, Hallerius, Thomassinus, Martenius, quos non sine fructu leget quisquis sacræ militiæ nomen dederit, aut dare voluerit.

QUÆRES 1. an ea Tonsura sit antiqua.

RESPONDEO 1. ita antiquam esse, ut ex veteribus plures eam ad S. Petrum retulerint: ita enim Gregorius Turonensis *lib. 1. de gloria Martyrum, cap.* 27. "Petrus Apostolus, inquit, ad humilitatem docendam caput desu„ per tonderi instituit." Ita quoque sentiunt Ceolfridus abbas apud Bedam *lib.* 5. *hist. c.* 22. Amalarius & Alcuinus *de divin. offic.* Rabanus *de instit. Cler. lib.* 1. *cap.* 3. Ratramnus *lib.* 4. *contra Græcos cap.* 5. quibus tamen recentiores multi contradicunt.

RESPONDEO 2. Tonsuræ hujus morem quarto aut quinto sæculo ineunte obtinuisse. Ut enim ante notavimus, Gregorius Turonensis, qui sexto sæculo floruit, ipsius originem Apostolo Petro ascribit. Ergo isto sæculo ita jam vetusti erat usus, ut viros etiam eruditos hujus initium lateret. Et vero cum sæculo quinto exeunte S. Nicetius, qui postea Trevirensis archiepiscopus fuit, hujusmodi Tonsura insignitus in auras prodiisset ex utero matris, id tanquam futuri clericatus omen spectatum fuit, teste eodem Gregorio Turonensi.

QUÆ-

Quæres 2. an idem Tonsuræ genus apud Græcos & Latinos in usu foret.

Respondeo diversum extitisse. Orientales enim caput integrum attondebant, non tamen ad cutem usque; & præterea capillos, ne defluerent, decurtabant: Occidentales autem contra integrum ita radebant caput, ut non nisi brevem ac tenuem pilorum ordinem ad instar coronæ in circuitu supra aures relinquerent. Tonsuram Pauli habere se gloriabantur illi; hi autem Petri: utramque videre est hodie in monasteriis: hanc quidem in monachis qui clerici sunt; illam autem in iis, qui *fratres laici & conversi* appellantur. De prima vide Ceolfridum apud Bedam *supra*, qui eadem plane ratione describit Tonsuram Theodori Cantuariensis *lib.4. cap.* 1. Quæ autem comæ apud Latinos forma esset, discimus ex vita S. Nicetii Trevirensis *supra*: "Nicetius episcopus, inquit Gregorius Turonensis, ab ipso ortus sui „ tempore clericus designatus est: nam cum partu fuisset effusus, omne ca„ put, ut est consuetudo nascentium infantium a capillis nudum cerneba„ tur, in circuitu vero modicorum pilorum ordo apparuit, ut putares ab „ eisdem coronam clerici fuisse designatam." Hinc Toletana synodus IV *can.*41. "Omnes clerici, inquit, vel lectores, sicut levitæ, & sacerdotes, „ detonso superius toto capite, inferius solam circuli coronam relinquant" &c. Ex quo constat Tonsuræ genus quod monachis hodie proprium est, omnibus olim Clericis fuisse commune.

Quæres 3. qualis jam esse debeat juxta Ecclesiæ canones Tonsura Clericorum.

Respondeo comam ita brevem esse oportere, ut aures pateant. Ita concilium Londinense an. 1248. Salisburgense an. 1274. Budense an. 1279. Ravennense geminum an. 1324. & & 1318. Gnesnense an. 1417. Basileense ann. 1431. Moguntinum an. 1451. Coloniense an. 1452. Taurinense an 1514. Parisiense eodem anno, Carnotense an. 1526. Faventinum an. 1569. Lascariense an. 1637. Cadurcense an. 1638. Rothomagense an. 1650.

Quæres 4. quis sit Tonsuræ minister.

Respondeo 1. Ordinarium ministrum esse Episcopum: 2. Abbates eam olim & suis & aliis contulisse ex synodo Nicæna II. *can.*14. Innocentio III. *in rescripto ad Robertum Pullum, & ex lib.* 1. *de gestis SS. Rotonensium*, *cap.*4. quod etiamnum ex privilegio præstare possunt: 3. A simplicibus presbyteris aliquando esse collatam, v. g. in ecclesia S. Martini Turonensis: de quo Martenius *art.7. num.*8. *&* 9. Denique eos etiam, qui clericali militiæ se addicebant, sibi quandoque propriis manibus comam totondisse; quod de S. Clodoaldo narratur.

TRACTATUS DE SACRAMENTO ORDINIS FINIS.





